



SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI

BELLI
SVECO-GERMANICI
VOLUMEN PRIMUM

In qvo

Poſt cauſas belli paulo curatius enucleatas,
ſeries ejusdem ab ortu usqve,
ad Glorioſisſimi Sveciæ Regis,

GUSTAVI ADOLPHI,
SECUNDI & MAGNI,

obitum, ac finem Anni milleſimi, ſexcente-
ſimi, triceſimi ſecundi
deſcribitur,

Ex genuinis, & maximam partem avthenticis Actis,
Documentis, Relationibus congeſtum &
in qvatuor libros digeſtum

à

Regiæ, qvæ in præſentia rerum potitur, Majeſtatis
Hiſtoriographo

BOGISLAO PHILIPPO à CHEMNITZ.







Gratiâ & Privilegio
Sacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ,
STETINI, Ex OFFICINA RHETIANA
ANNO M. DC. IIL.

BELLI
SVECO-GERMANICI
VOLUMEN PRIMUM



In qvo
Post causas belli paulo curatius enucleatas,
series ejusdem ab ortu usqve,
ad Gloriosissimi Sveciæ Regis,
GUSTAVI ADOLPHI,
SECUNDI & MAGNI,
obitum, ac finem Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi
describitur,

Ex genuinis, & maximam partem avthenticis Actis, Documentis, Relationibus congestum & in qvatuor libros digestum,

à

Regiæ, qvæ in præsentia rerum potitur, Majestatis Historiographo
BOGISLAO PHILIPPO à CHEMNITZ.





Gratiâ & Privilegio
Sacræ Regiæ Majestatis Sveciæ,
STETINI, Ex OFFICINA RHETIANA
ANNO M. DC. IIL.

CHRISTINÆ SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUM REGINÆ PIÆ, FELICI, AUGUSTÆ.

AUGUSTA,



Alustius, edecumatæ prudentiæ, & rerum pondere, verborumq; pariter acumine insignis Scriptor, duplicem nobis præit viam, qvâ de publico simul benè mereri, simul Famæ nomen suum inserere detur. Pulchrum, *nimirùm*, esse, benè facere Reipublicæ; etiam benèdicere, haud esse absurdum: Vel Pace, vel bello clarum fieri licere: Et qvi fecerint, & qvi facta aliorum scripserint, multos laudari.

Tametsi enim haudqvaqvàm par gloria seqvatur Scriptorem & Auctorem rerum; *Sed ille huic in Famæ stadio tot jure, meritò concedat parasangis, qvot egregia facta benè dictis antevertunt: Generosæ tamen Illustrium Heroum animæ, ad Gloriæ metam decurrentes, non spreverunt unqvàm à se, aut dedignatæ sunt Historiam pedisseqvam; vestigia eorum eminùs legentem, Virtutumq; ac insignium facinorum decus sincero venerationis cultu adorantem. Qvin ultrò potiùs in famulatum ascivêre: Quò, hac velut internunciâ, sui notitiam tam præsenti seculo, qvaqvaversùm, qvà Orbis patet, traderent, qvàm ad seram usq; propagarent posteritatem.*

Nec id absq; causâ: Quippè, haud secùs ut hominibus, ob divinæ, qvà cæteris animantibus præcellunt, auræ particulam, cumprimis verò his, qvibus

De meliore luto finxit præcordia Titan,

naturâ insitum est, ad nominis sui immortalitatem grassari, & impetu quodam ferri; ita nullum, qvod eò perducat, medium, præter Historiam, reperire licet.

Templa, qvibus Gentilium Cæsares olim effigie Numinum sacrari soliti, imagines & statuæ, utcunq; artificii raritudine admirandæ, aut si qvæ alia à Famæ captatoribus excogitata, æternandæ post fata memoriæ, hominum & temporum injuriis obnoxia sunt, vel, si has effugerint, ipsâ tamen vetustate collabascunt, & eorum, qvos repræsentant, decus ad aliqvot forsan annos prorogabunt; sed vix

 seculum

seculum, aut secula nonnulla præterierint, cum nihil ex iis supererit: Aut si qvid fragminum forte fortunà restet, id semesas tantùm præ se feret literas, qvas difficulter Posteri legent, difficiliùs interpretabuntur.

Historia verò est, qvæ qvàm optimè ætatem fert, qvæ à nullo annorum lapsu senium trahit; sed potiùs temporis, res alias devorantis, morâ magis, magisq; effloreſcit. Hæc vera in animis hominum templa struit; hæc pulcherrimas effigies, & mansuras: Hæc ob id testis temporum, vita memoriæ, meritissimò antiqvis celebratur: Hæc illa Calypso; certiore, qvàm altera, de qvâ Poëtæ fabulantur, immortalitatis dono suum, cui faverit, beatura Ulyssem. Hæc enim nisi obstitisset, cum scelere Virtus, cum ignaviâ Srenuitas, Prudentia cum stoliditate, uno eodemq; oblivionis tumulo, æternisq; tenebris obruta ac sepulta jacerent: Nec inclytum innumerorum, qvotqvot antiqvitas venerata est, Heroum nomen multorum fuisset annorum, ne de seculis dicam; mortalitatiq; unà cum eorum corporibus transcriptum, jamdiu obsolevisset, nisi Historiarum stylus haud perituris illud ad Memoriæ aram consecrâsset literarum monimentis.

Et sanè propitiis fatis usos haud abs re arbitramur; qvi & benè fecêre, & Posteris, Historiæ interventu, benè fecisse comperti sunt: Ut econtrà irato genio natos; qvi condigno gestorum encomio destituti, Virtutes ac labores suos (ignaris qvippe Posteris, ipsi ignoti) neqvicqvàm prodegerunt.

Inter istos Græci primum meritò locum obtinent: Qvibus literarum felix obtigit seges, earumq; beneficio, qvicqvid supra vulgatam hominum sortem caput paulò altius extulit, adhucdum, post tot seculorum decursum, in ore omnium vivit, vigetq;. Luxuriante adeò Scriptorum facundiâ & ubertate; ut non injuriâ suspicari liceat: Alicubi Patriæ & civium suorum honori velificatos ultra Veritatis modum; & è pumilione aliqvandò gigantem fecisse, è muscâ elephantum.

Nec Romanis decora defuêre ingenia: Qvæ ingentes Virtutes atq; præclara facinora debito laudum præconio, & immortalitate Famæ remunerarentur.

Inter hos è contrario Boræi nostri axis vicem imprimis dolere convenit, & tot natorum sub illo antiqvitùs Heroum: Qvorum vix nudum nomen inter mortales superat, & paucùlæ qvædam reliqviæ; velut ex longævi temporis naufragio tabulæ. Cætera æterna nox occupat & tegit. Qvæ tamen si ex istis, tanqvàm ex ungve Leonem, æstimes, judicare liceat: Septentrioni nostro, nunqvam, qvibus superbiret, defuisse, Cyros suos, Alexandros, Cæsaros, Augustos, Trajanos.

Qvantò magis autem GUSTAVUS ADOLPHUS, *gloriosæ Memoriæ, re & nomine Magnus, Rex, Majorum & Antecessorum suorum, utut ab ipso ovo ordiaris, fastigium, qvà Virtutum, qvà rerum gestarum magnitudine, supergressus est, tanto impensiùs,* AUGUSTA, *Magni Patris non minor Soboles, haud injuriâ solicitam te præbes: Ut Virtutes ejus, & gesta, non ex communi*

muni famigeratione, sed veridicis rerum monimentis, incorruptâ veritate tradantur; nec viventium modò, sed Posterorum qvoq; animis, imò ipsi Æternitatis albo indelebili charactere inscribantur. Qvorum postrema qvidem, sed nobilissima tamen pars est, Germanicum bellum: Id qvod, nescio, an majori animi Magnitudine susceperit, an Prudentiâ, Fortitudine, Felicitate, Virtutisq; ac Fortunæ, unanimiter inter se conspirantium, applausu gesserit. Memorandum certè præ omnibus aliis: Qvia huic bello regiæ, anteactæ ingenti gloriâ, vitæ gloriosum exitum innectere, Fatis visum fuit.

Huic labori dum, ingenii licet supellectile tantæ Spartæ ornandæ omninò impar, manum admolior, contrarium planè ejus mihi contingit, qvod de Achille, ad tumulum, qvem Sigæum illi servat, consistens, Alexander prædicâsse fertur: Fortunatum, nimirùm, Achillem, qvi Virtutis suæ Præconem invenisset Homerum! Enimverò, næ ipsemet me fortunatum potius prædico, & fortunatum prædicabit Posteritas! Cui exiles ingenii vires in magnificò hoc argumento exserere detur; & qvi per inclytum nomen, qvod narro, sempiternam mei memoriam toti terrarum Orbi transmissurus, Famamq;, qvam Virtutibus GUSTAVI Magni dare debebam, ab iisdem accepturus sim.

Cujus gloriosis factis etsi dicta, ob arctiorem tenuitatis meæ modulum, exæqvare non valeam, antiqvior tamen, AUGUSTA, omni alio respectu, regia tua, qvâ opus hoc, majori animo ac viribus, aggressus sum, auctoritas apud me fuit; omniq; inconsiderantiæ, & suscepti temerè tantæ molis negotii culpâ, vel viribus defectum, abundè relevabit.

Patrocinium autem more solito, nec non, ad infringendas malevolorum calumnias, necessario, & potens aliqvod Nomen, qvod velut tutelare Numen operi meo præfigerem, qværenti, haud longè eundum fuit: Qvin rectà ad te, AUGUSTA, Historia mea properabat, & tibi jam antè se mancipatam, apertè profitebatur.

Patrem enim tuum, gloriosæ Memoriæ, concernit, & Patri, nisi Fata cimilion hoc terris ulteriùs invidissent, debebatur: Patre autem è mortalitate hac subducto, tibi nunc omni jure debetur; qvæ non Regnorum modò paternorum, sed belli qvoq; hujus Germanici, & Virtutum, Gloriæq;, ac Felicitatis ex asse hæres exstitisti.

Tuo qvoq; auspicio, è tuorum Archivorum secretis potissimâ sui parte procusa, qvicqvid luminis inde ac splendoris hausit, Lunæ instar, ad te, Solem suum, meritissimò, &, qvâ decet, submissione refert.

Suscipe ac tolle, AUGUSTA, hunc, qvem ad Clementiæ tuæ aram depono, ingenii mei fœtum: Eundemq; regiæ tuæ auctoritatis umbone protege à maligno, qvem certatim stringent, & imprimere conabuntur, obtrectatorum dente.

Licet verò instituti mei haud sit, in laudes (ut à vulgo dedicantium fieri solet)

tuas me prolixiùs hic diffundere; qvas modestâ taciturnitate venerari, qvàm oratione, qvæ rerum magnitudini longè futura esset inferior, exseqvi, satiùs duco: Non possum tamen, qvin in paucula verba erumpam. Haud magnòperè tibi gratulamur, AUGUSTA, qvod tanto orta sis Parente; qvippè Naturæ id opus: Verùm, qvod tanto te dignum Patre filiam præstiteris; id enim encomium tuâmet industriâ tibi parasti. Jamdiu Magno GUSTAVO progenitam te ostendisti: Ætate, non Virtutibus, Patre minorem; sexu, non animo seqviorem. Moderatiùs imposterùm damnum, qvod, erepto Magno GUSTAVO, sumus passi, feremus: Qvia tu successisti, qvæ, qvicqvid id damni fuit, Virtute tuâ ac Felicitate resarcis. Qvin excessisse terris GUSTAVUS Magnus vix videtur, cum te intuemur: In qvâ, velut genuinâ effigie, tàm corporis lineamentis, qvàm animi magnitudine, Virtutumq; vivit; & , ô longum, precamur, vivat, valeat, floreatq;!

Faxit hoc summus Fatorum Dispensator, ac rerum mundanorum Arbiter: Et qvi hactenùs arma tua ingentibus subinde auxit triumphis, nec ita pridem Pace cum vicino feliciter sancitâ beavit, verèq; fecit AUGUSTAM, ille idem in Germaniâ, seu ulteriorem bellandi necessitatem adversariorum imponet iniqvitas, tempora tua gloriosâ porro decoret lauru, seu mitiora admittent consilia haud ampliùs aversi à Pace hostium animi, oleagineâ tandem, cum tot millium, qvæ Pacem anhelant, animarum applausu, circumcingat coronâ, verèq; denuò reddat AUGUSTAM.

Ita, AUGUSTA, cordicitùs foveo, & te summi Numinis protectioni, me verò regiæ tuæ Clementiæ, qvàm humillimè commendo; jam trilustribus, & qvod excedit, Magni tui Patris, eoq; rebus humanis exemto, tuis, qvà bellicis, qvà aliis servitiis, innexum, nec non immori paratum: Ad pristinam solduriorum formulam. Si modò tale nomen non effectus solus & facultas, sed affectus qvoq; seu voluntas, & intemerata fides mereri posse videbuntur.

Bogislaus Philippus à Chemnitz.

Præloqvium Ad benevolum Lectorem.

QVod his, qvi viam regiam propter ædificant, accidit, benevole Lector, ut varia variorum incurrant judicia; id nec istos, qvi, editis in publicam lucem scriptis, totius Orbis censuræ ultrò semet exponunt, effugere, experientia, rerum Magistra, testatur.

Qvamvis autem commune hoc fatum existat qvorumcunq; Scriptorum: In eos tamen maximè incumbit, qvi præteritarum rerum monimenta literis consignare & tradere nituntur, non præsenti modò seculo, sed futuræ etiam in longum Posteritati.

Nec adeò tamen, ubi antiqvitatibus ex abstruso eruendis occupantur, & vetustiora è postscenio velut humanæ vitæ, cujus metas illa dudum egressa, eminùs ostentant: Ipsa etenim, si fortè labantur ac impingant, immemorialis temporis lubricitas iis patrocinatur, & excusationem præbet; Lectoresq; contingunt plerumq;, affectibus haud adeò obnoxii, qvorum idcircò moderatiorem & mitiorem experiuntur calculum. Sed tunc severa, acerrimaq; demùm censura eos premit: Si, qvæ intra hominum viventium memoriam acciderunt, descripta, publici juris facere aggrediantur.

Hinc enim rerum, noviter, & vix heri aut nudius tertius gestarum, recens notitia, qvam legentium pleriq; aut habent, aut habere se putant, imminens, vel leviculos qvosq; errores, fortuitò irrepentes, rigido Aristarchi supercilio, observat, retegit, damnat. Hinc aliundè affectus insurgunt, & Historiam sugillant: Vix enim ad lectionem qvisqvam accedit; qvin, seu amore, seu odio & irá, huic, illive factioni innexus sit. Eò evenit; Ut, qvemadmodum si qvis infucatis certo colore conspicillis utatur, qvicqvid sub visum cadit, eundem colorem assumere videtur; Sic illi ex suo ingenio alios metiantur, & qvia ipsimet per affectuum conspicilla de scriptione judicant, Scriptorum qvoq; affectibus indulsisse putent, inq; suspicionem rapiant temeratæ Veritatis.

Nec diversa, sat scio, hos meos labores sors manet: Nec qvicqvam ambigo; qvin multorum æqva iniqva, matura immatura, imò & præmatura judicia in sese sint concituri.

Magna pars legentium, meo cum aliorum, qvi huic Spartæ ornandæ animum hactenùs adjecerunt, scriptis collato, & insigni, qvæ inter hæc illudve intercedit, animadversâ differentiâ, in eam opinionem delabentur: Qvasi non ex fide & veritate, sed regiarum partium amore, aut odio adversæ factionis, res hoc bello gestas, adeò diverso ab aliis modo, prout narratio ipsa multipliciter testabitur, retulerim.

Culpabunt forsan alii: Qvod in rebus non semper adeò magni ponderis, modò Svecicum bellum propriè concernant, curiosulus & paulò prolixior sim, circumstantiis omnibus impenso nimis studio undiqvàq; conqvisitis; alia verò, qvanqvàm longe majoris momenti, breviter tantum delibem, & levi velut brachio perstringam.

Forsan nonnullis qvoq; tædio erunt dissertationes & orationes, suo nomine Regis Svecorum gloriosæ Memoriæ, aut aliorum, volumini nostro, hinc inde, insertæ: Qvæ vel planè non habitæ, vel certè non ita exactâ curâ ex eorundem ore excerptæ, literisve consignatæ fuerint, aut consignari potuerint.

Deniq; nec deerunt, credo, è scholastico pulvere Magistelli: Qvi, sicubi aliqvandò voces aut loqvendi formulas, non adeò freqventer in trivio illis obvias, in scripto nostro offendent, horridulum & incomtiorem nostrum arbitrabuntur stylum; qvàm ut tantæ rerum deceat Majestati.

Qvod jam materiem scriptionis meæ attinet, in utramq; aurem benevolus Lector de eo dormiat: Nunqvàm discessum à vulgatarum relationum tenore; nisi qvandò veneranda regiorum in Sveciâ Archivorum fides viam monstraverit, & mutandæ Historiarum structuræ firmum, solidumq; suffecerit fundamentum. In qvo puro ac limpido fonte veritatem citius repertum iri, ratus sum; qvàm in turbidis aliorum proletariorum scriptorum lacunis. Huic enim fini, qvæ in præsentiâ rerum potitur, Augusta, ad fœdera, legationes, tractatus, similia (qvæ pars novè, necdum ab aliis memorata, pars diversimodè, ac ab aliis tradita, induxi) accurato stylo describendum, omnigenâ genuinorum, qvæ huc faciunt, Actorum & Documentorum supellectile affatim me instruxit, eorumq; ex avtographo summam describere, Clementissimè indulsit: Nec minùs ad infinitos, qvos alii in militarium actionum serie errarunt, errores emendandum adjumento fuêre avthenticæ Relationes ejus notæ hominum, qvi rebus bello gestis ipsimet interfuerunt, imò ex parte præfuerunt; ut testium oculatorum, & omni exceptione majorum. Qvæ Acta, Documenta & Relationes, sicubi opus fuerit, produci possunt: Et fallor, an fide digna exemplaria, ex avtographo transumta, producentur, totiq; Orbi publicabuntur? Si benevolo Lectori, in uno alterove articulo, scrupulus forsan inciderit; aut qvisqvam Historiæ nostræ veritatem in dubium vocare, animum induxerit. His ergò adminiculis suffultus, Historiam, benevole Lector, tibi do, non omnibus qvidem numeris absolutam, & perfectam; qvid enim perfectum sub hoc sole? Sed, qvod fidenter asseverare ausim, perfectioni tamen, si cum aliis comparationem instituas, proximam.

Non perfectam iterum dico: Nam, ut ingenuè fatear, in qvarundam actionum descriptione regiorum Archivorum ope ac informatione destitutum me sensi; gloriosissimo Rege qvondam nostro magis solicito, ut literis consignanda patraret, qvàm ut patrata literis consignarentur. Hîc ergo, ne Historia nostra fœdè hiasceret, & lacunis deformaretur, defectus istos ex aliis Relatoribus supplendi necessitas imposita scribenti fuit. Illorum tamen, qvi primitùs prodiderunt, fide omnia adduxi; hac ubivis moderatione usus: Ut, ubi Auctores variant, ejus ductum potissimum seqvar; qvi, pensatis exactè rerum circumstantiis, qvàm minimum à veritate deviare videtur.

Qvamvis autem & amoris in regias partes, & odii in adversariam factionem causas

causas procul me habere, jactare haud velim; Qvippe gloriosissimo Sveciæ Regi, dum viveret, eoq; vitâ defuncto, hodiernæ Augustæ, servitio, & sacramenti vinculo, beneficiisq; non unis, à primis belli hujus cunabulis, ad nostra usq; tempora, obstrictus: De eo tamen benevolum Lectorem securum esse jubeo; in hoc volumine amorem & odium me ubivis habuisse procul, nec seqviori illorum respectu transversum à veritate abripi passum. Et sanè Regis Svecorum, gloriosæ Memoriæ, consilia, actionesve non eo in statu reperi, ut ascitis aliunde falsis coloribus egeant, aut nuda intectave in Orbis conspectum deduci refugiant: Qvæ si qvis, affectibus haud obnoxius, contemplabitur, nullus dubito; qvin, proinde ut ipse sub finem operis mei feci, de gloriosissimi Regis personâ, vitâ, proposito, rebus gestis, ac vitæ demùm exitu judicaturus sit. Nec tamen alios, seu regiarum partium, seu adversarum asseclas, debito laudum præmio defraudavi; sed unicuiq;, qvod meruerat, tribui: Virtutem, ut par est, etiam in hoste justis elogiis prosecutus. Qvod si è diverso perstrictus à me qvispiam fuerit, id non partium, aut hominis odio factum, sed amore Veritatis: Nec habet is, qvod mihi imputet, qvi rectè, seu perperàm gesta describo; sed qvod sibimet, qvi perperàm se gesserit. Haud enim laudabile qvicqvam ascribere ei licuit, qvi laudatu dignum nil qvicqvam egit: Cum immota Historiæ lex, secundum Philippi Macedonis dicterium, scapham scapham appellare imperet; eademq; ex noctuâ facere aqvilam, & asinum pelle condecorare leonis vetet.

Porrò aliorum, qvi specialibus ejusmodi Historiis concinnandis operam navârunt, exemplo & imitatione, in his, qvæ Svecicum bellum propriè concernunt, copiosiorem fuisse, &, ut, erutis omnibus circumstantiis, Lectorem in rem velut præsentem adducerem, laborâsse, non inficias eo: Idq; tum vel maximè, qvandò eadem aut omninò aliis omissa, aut breviter saltem & perfunctoriè, aut perperàm etiam memorata animadverti.

Alias verò res, tam intra, qvam extra Germaniæ limites gestas, nisi qvatenùs Svecico bello illigatæ indissolubili nexu cohærent, prolixè inducere, haud necessarium arbitratus sum: Scopus enim meus haudqvaqvàm, integrum bellum Germanicum, aut si qvid hoc tempore alibi relatu dignum contigit, scripto exseqvi; sed unicè, belli Sveco-Germanici filum detexere. Apage ergò qvàm longissimè à me; ut laboribus aliorum, qvi hîc desudârunt, detraham! Qvin potiùs per me licebit; imò me non volente modò, sed applaudente, fiet: Si cui imposterùm, onus hoc denuò succollare, & limatiore paulò judicio, stylove isthæc commentari allubuerit.

Dissertationes, orationes, & id genus, qvæ volumini hinc inde inserui, partim aliis Scriptoribus debeo, qvi hîc præeunt: Partim certæ & secretæ informationi Virorum non infimæ autoritatis. De cætero, benevolus Lector haud præcludet mihi licentiam, qvam Historici omnium Gentium passim, sine vituperio, qvin non sine laude hactenùs usurpârunt; huic illive affingentes verba, qvæ dicta nunqvàm fuêre: Satis enim putant, si isthoc temporum, isthoc rerum statu, haud ineptè dici potuerint.

Demùm

Demùm, si qvis è Prisciani subselliis in stylum meum censoriam stringet virgulam, eum remittam ad ferulaceum Regnum suum; ut illìc longè, latèq; imperet ac dominetur. Jamdudùm ferulæ subduxi manum, nec reformido istos Orbilios, seu plagosos scholarum trivialium Dictatores. Et fateor sanè, hinc inde immiscuisse qvædam, qvæ nonnemini è priscâ Qviritium Gente aliqvam sapuissent barbariem: Sed religio fuit, recedere à communi loqvendi consvetudine, & solennibus formulis, qvas præsens mos & usus sanxit; maximè, ubi in Latinæ lingvæ penu haud occurrit suppar vox, qvæ eâdem efficaciâ exprimeret rei proprietatem. Indulgere enim hic oportuit rerum, præcipuè militarium, novitati, &, aut musteis his vocabulis in Civitatem Romanam receptis, aut copiosâ descriptione subvenire Latij sermonis indigentiæ. Qvod si alicubi paulò horridiùs meæ loqvantur Musæ: Qvid mirum? Qvippè qvi, relictis in primâ juventâ literarum studiis, magnâq; & nobiliore ætatis parte inter Martis pullos transactâ, ex horrido hoc vitæ genere vix ante pauculos annos, Summatum nostrorum ope emergens, humaniori me iterùm literaturæ, & Historiæ scribendæ transdiderim.

Titulorum autem solennia, ubi Magnatum subinde mentio fit, de industriâ, ad aliorum Historicorum exemplum, omisi: Rege Sveciæ, Cæsare, aliis, nudo nomine, aut cognomine, absq; ullo tali fuco, in scenam inductis. Historiarum enim, ut ille ait, Scriptorem, non ceremoniarum Magistrum hîc me profiteor: Nec paginas bullatarum ejusmodi nugarum implere, operæ pretium satis visum est.

Hæc sunt, qvæ benevolum Lectorem in vestibulo operis admonere volui: Cujus judicium, sed maturum & rectum, nec seqviorum affectuum aut respectuum glaucomate obnubilatum, tantum abest, ut extimescam; ut ultrò potiùs ambiam. Si cui verò, rerum notitiâ & experientiâ non solidè satis instructo, Historiam meam arietandi libido incesserit, is certo certiùs sibi polliceatur: Magni artificis, Appellis, dicterium, *ne sutor ultra crepidam*, imperitiæ ipsius ad satietatem usq; oggestum iri.

BELLI

BELLI
SVECO-GERMANICI
VOLUMEN PRIMUM.
LIBER PRIMUS.

Summa Libri.

POst breve præloqvium (1.) origo bellorum, qvæ nostrâ ætate in Germaniâ gesta, paulò altiùs repetitur, & ambitiosa intentio, artesq; ac molimina Domus Austriacæ memorantur: Qvibus ad universalem Monarchiam in Christiano Orbe adipiscendam viam sibi struxit. Hinc (2.) transgressu ad bellum Svecicum facto, ejusdem speciales & proximiores enumerantur causæ: Literæ, nimirùm, Regis interceptæ; Poloni in hostilitate adversus eundem confirmati; armorum, militumve commercium Regi interdictum, Polonis, hostibus concessum; suppetiæ Polonis latæ; subditi Regis hostiliter habiti; dominatus in mare Balticum magno ambitu qvæsitus; amici, vicini, consangvinei Regis oppressi. Tandem etiam (3.) ejusdem Legati ignominiosè á Lubecensi tractatu rejecti: Ubi literarum, qvas Salvius ad Cæsaris Subdelegatos Lubecam exaravit, & responsi, qvod hi, qvamvis aliqvantò seriùs dederunt, summa. (4.) Rex, Pace Lubecensi præter opinionem suam confectâ, ad Electores componit literas: Et Bielckius â Senatu Regni ad Fridlandiæ Ducem mittitur. (5.) Interim (qvæ ultima & potissima belli causa) validus contra Regem in Borussiam ducitur exercitus: Qvo de revocando Bielckius cum Fridlandio neqvicqvàm scripto velitatur. (6.) Rex de bello, necne, gerendo consultat. (7.) Eâdem de re in Sveciâ, publicis Regni comitiis, fit decretum. (8.) Rex ad Brandenburgicum Electorem dat literas; & inducias cum Polonis init. (9.) Seqvuntur belli præparatoria á parte Regis: Commerciorum ad portus hosti insessos inhibitio: Nec non exigua propè Stralesundam certamina; velut belli præludia. (10.) Dux Pomeraniæ militis Cæsarei provinciâ educendi frustrà satagit: Ejus postulatum á Regni Sveciæ Cancellario, de Stralesundâ præsidio regio liberandâ: & hujus responsum. (11.) Inde duplex evanida Pacis spes: Altera è responso Electorum ad Regis literas; è tractatu, Gedani, Pacis causâ, Regis Daniæ interventu, instituendo, altera affulgens. Cujus cum Sveciæ Rege, post Lubecensem transactionem initam, commutatæ literæ referuntur. (12). Hac occasione inseritur, de armis suspendendis denuò suscepta á Rege deliberatio. (13.) Tandem, qvid Gedani, & illîc locorum actum, qvæ Regis circa hæc intentio, & qvâ ratione tractatus ad irritum ceciderit, recensetur. (14.) Subnectuntur ultimæ Regis literæ ad Electores, ante adventum ejus in Germaniam, velut qvædam clarigatio; & causarum belli publicatio: Qvas interprima principia á proximioribus causis, & inter has principales á minus principalibus discernuntur. Signa deniq; (15.) & prodigia nonnulla, qvæ bellum præcessêre, ultimo loco breviter annotantur.

A   Bellum

Ellum, qvod GUSTAVUS ADOLPHUS, Secundus ejus nominis, & Magnus cognomento, gloriosæ Memoriæ, Svecorum Rex, alioq; fatis functo, Filia ejus, Regiæ Majestatis hæres, CHRISTINA, cum FERDINANDIS, Secundo & Tertio, Patre ac Filio, Romanis Imperatoribus, Archi-Ducibus Austriæ, ab Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo ad hæc usq; tempora, in Germaniâ gesſêre, aliqvammulti hucusq;, scripto tradere, adorti sunt.

Et sanè condigna hæc Sparta, in qvâ desudetur; Cum eidem bello, nec diuturnitate temporis, qvo duravit, nec, qvibus gestum, consiliorum acumine, armorum atrocitate, vehementiâ animorũ, variâ Fortunæ vicissitudine, bella ulla, nostræ aut superioris ætatis, facilè comparanda fuerint.

Utut autem, narrationem ejusmodi historicam contexere, hodiernâ nonnullorum opinione vilius, nec magni laboris existimetur: Qvi tamen penitùs rem introspectam æqvâ judicii lance pensitabit, non exigui ponderis ac momenti comperiet.

Qvisqvis enim cum laude munere hoc defungi cogitat, non ut exqvisitâ modo actionum & rerum gestarum notitiâ polleat, sed præcedentium qvoqve consiliorum apprimè (qvantum secreta qvidem status admittunt) gnarus existat, necessum est: Qvin id etiam reqviritur; ne, affectibus frena laxans, â normâ veritatis, qvæ vivida omnium historiarum anima, qvoqvo modo se abduci patiatur.

Et sanè aliorum, qvi in hoc stadio decurrerunt, scriptis, aut insultare, aut debitas detrahere laudes, animus non est: Matthiæ Meriani diligentiæ cumprimis, inter Germanos nostros; qvi conqvisitis undiqveversùm, qvotqvot nancisci potuit, rerum gestarum relationibus, haud semper adeò vanis, luculentam huic rei prætulit facem, & in qvamplurimis â veritatis scopo non adeò longè deviavit. Si qvis tamen opus illud curatiùs pervolvet, in rebus gestis enarrandis sæpiculè erratum, & vel maximè, ubi consiliorum ac tractatuum res agitur, qvorum exactâ notitiâ Merianus, aut potiùs, qvi ad ejus instantiam id operis concinnavit, destitutus fuit, qvæ præcipuè memoranda, aut sicco pede præterita, aut breviter saltem & perfunctoriè adducta, aut interdum in diversum planè sensum contorta conspiciet. Aliorum opellas ut taceam: qvi, pars rerum ignorantiâ lapsi, pars affectibus transversi abrepti, dissono narrationum relatu mirum in modum inter se colliduntur.

Hac ratione moti Superiores mei, & qvò memorabilis, multipliciq; consiliorum ac eventuum varietate insignis, belli series, de qvo superstitibus adhuc, qvi non interfuerunt modò, sed ex parte præfuerunt, adeò diversæ relationes eduntur, intemeratâ Veritate posteris traderetur, literis id, â primis ejus cunabulis, ad nostra usq; tempora, mandari, mihiq; id muneris imponere, operæ pretium duxêre.

Qvâ in re ne de viâ regiâ Veritatis, in excurrentes hinc inde falsitatum semitas & ipse dilaberer, tum informatione Virorum non infimæ notæ, qvos consiliorum & actionum gnaros nôram, usus sum; tum adminiculo actorum & documentorum, qvæ hinc inde emanârunt; relationum item historicarum, qvotqvot verissimas, & maximè speciales ad manum habere potui. E qvibus, qvicqvid ad Historiam hanc facere videbatur, erui, congessi, & secundùm temporum ordinem digessi.

Qvemadmodum autem benevolo & amico Lectori, cujuscunq; sortis aut condicionis fuerit, modò illi DEUS, Justitia, Veritas cordi, labores hos meos haud ingratos fore, spero: Ita futuram, & nulli præjudicio mancipatam, nullis affectibus obnoxiam, Posteritatem aliqvo in numero habituram, certò certiùs confido.

1. Priusqvàm autem rem ipsam aggrediamur, haud absonum fuerit, primum fontem & scaturiginem omnis mali scrutando, dispicere: Qvo initio flamma hæc primitùs cœperit? Qvomodò, sensim gliscens, magis magisqve exarserit, viresqve acqvi- *Origo belli Germanici.*

acqvisierit eundo? Donec, omni penè Germaniâ in favillas cineresve redactâ, etiam finitimis Regibus, Principibus, Rebuspublicis incusserit metum; ne contagione qvâdam è proximo pariete ad ipsos serperet malum. Imprimis autem Regi Sveciæ: Ita ut tandem huic, præ aliis, ad averruncandam à semet, suisq; Regnis ac dicionibus certam pestem, restingvendi in viciniâ incendii imposita fuerit necessitas.

Domus, nempè, Austriacæ ambitiosæ intentio.

Postqvam Domus Austriaca, Romani Imperii administrationem Electorum suffragiis consecuta, & amplissimarum insuper inferioris Germaniæ provinciarum, mox Regnorum Hispaniæ, cum eorundem sub utroq; sole magni momenti accessionibus, tandem qvoqve Hungariæ & Bohemiæ possessione facili illustrium connubiorum titulo nacta est, non continuit se intra hos felicitatis terminos immoderata illorum dominandi cupiditas; sed, secundiore obseqventis fortunæ aurâ, qvò magis spirabat, eò plus ultrà, ex CAROLI Qvinti symbolo, evecta, cogitationum ac machinationum suarum nervos illuc intendit: Qvâ ratione, ulteriùs semper progressa, finitimis Regibus, Principibus, Rebuspublicis in ordinem redactis, totum Orbem, aut certè potiorem ejus partem dominatu suo complecti, solidaqve novæ, & omnibus numeris absolutæ Monarchiæ jacere posset fundamenta?

Et media, seu artes, ad illam adipiscendam.

Præ aliis omnibus huic illorum proposito accommoda visa Romani Imperii possessio: Sine qvâ qvicqvid alibi molirentur, aut struerent, haud firmiter solidatum rebantur. Illam itaqve ne amitterent, & Romani Imperatoris titulus ut in familiâ suâ perennaret, prima illorum cura. Hinc Carolus, id nomen Qvintus, Imperator, Fratrem Ferdinandum, refragantibus nonnullis, etiam pontificiæ Religionis, Imperii Proceribus, Romanorum Regem, futurumq; successorem creari, magno & felici nisu laboravit. Cujus vestigiis adeò dextrè institerunt posteri: Ut ex illo tempore ab aliis, qvàm Austriacis, imperatum fuisse, non meminerimus; & nomen qvidem electionis manserit, res verò ipsa penissimè in hereditariam degeneraverit successionem.

Sensit tamen & odorata est Domus Austriaca: Romani Imperatoris nudum nomen, umbratile ferè, potestatemq;, arctissimis Legis Regiæ seu Capitulationum cancellis circumscriptam, intentioni suæ, intra vel extra Imperium, assequendæ, non fore parem; sed Electorum, Principum, Ordinum Libertatem, auctoritatem, potentiam illi ubivis obstaculo. Hanc igitur conatuum suorum remoram è medio tollere, Germanorum Electorum, Principum, Ordinum vires infringere, Libertatem supprimere, enervosqve, ante omnia, sub jugum mittere, optimum factu visum.

Non expeditior autem illi rei poterat reperiri ratio; qvàm ut, vinculo concordiæ, qvo tot robustorum membrorum, svaviter inter se conspirantium, compages continebatur, dissoluto, mutuis inter se odiis committerentur. Id qvod in proclivi fuit: Qvippe exorta Religionum diversitas jam antè facilem ad id straverat viam. Utut enim Anno millesimo, qvingentesimo, qvinqvagesimo qvinto inter utriusqve Religionis asseclas Pax Religionis, communi omnium assensu, sancita esset; mox tamen sub cinere latentia novorum dissidiorum semina apparere cœperant. Qvæ, tantum abest, ut Imperatores è Domo Austriacâ exstingvere laborarent, ut in luculentam potiùs flammam, oleum igni strenuè suffundendo, excitarent.

Pontificiorum enim partibus se applicantes toti, illorum postulatis ingens addere pondus; eosq;, prætextu Religionis conservandæ, propagandæ, hæresiumq; exstirpandarum, cum tempore, magis magisq; sibi facere obnoxios. Præsertim postqvàm re ipsâ compertum: Per Imperatorem & Domum Austriacam maximè stetisse, qvò minùs Anno millesimo, qvingentesimo, octogesimo secundo Electoratus Coloniensis, &, seqventi tempore, Argentoratensis Episcopatus, opimi duo boli, in protestantium manus delaberentur.

Velut autem Pontificiis addictos,

ita Protestantibus econtrà infestos se præstare, eosqve per Consilium aulicum, ac hujus, à Protestantium parte nunqvam non oppugnatam, jurisdictionem, sub mantello religiosæ atq; profanæ Pacis, juris dicundi, Justitiæ administrandæ, vellicare & delibatum ire: Protestantium detrimentum ac incommodum in Pontificiorum, suæq; imprimis Domus, vertentes commodum; &, siqvidem Protestantes fortè, sub juris specie grassantem, injuriam devorare æqvo animo non possent, armorum contra eos palàm arripiendorum ansam captantes.

Delituit tamen diu sub cineribus flamma, qvanqvam novorum, subinde accrescentium, gravaminum fomite nutrita; donec Anno millesimo, sexcentesimo, septimo paulò manifestiùs se proderet: Exindè, qvò longiùs, eò clariùs emicuit, tandemq; in apertum prorupit incendium. Hoc enim anno Imperator Rudolphus districtum in Donaverdæ Urbem præcoci consilio Bannum, seu proscriptionis fulmen, perverso imperialium sanctionum ordine, executioni repentè mandabat. Biennio post exorta inter præcipuas nonnullas Germanorum Principum familias, de vacante Juliacensis Ducis successione, controversia prætexendo seqvestro locum dedit: Qvo, parum abfuit, qvin Domus Austriaca amplissimarum dicionum possessionem adipisceretur.

Hæc & talia vasta Imperatorum, Imperatoribusq; deditorum Pontificiorum molimina, protestantes Electores, Principes, Ordines plerosqve, superioris Germaniæ, compulerunt, arctiùs inter se, sub nomine Unionis, sociare consilia, viresve: Pontificiis illicò, Imperatorum è Domo Austriacâ, seu permissu, seu conniventiâ, Ligam suam (ut appellata est) opponentibus. Hinc dissidia jam validè succrescentia, & animorum discordia indies aucta, comitiis, Anno millesimo, sexcentesimo, decimo tertio, habitis, in contrarias factiones, magno cum Imperii, Ordinumve intertrimento, palàm erumpere visa.

Fervescentibus jam in Germaniâ animorum motibus, Anno millesimo, sexcentesimo, decimo septimo, Bohemicæ turbæ enatæ in rapidam adeò flammam mox adolescebant: Ut cum Religione Libertas Regni pessum omninò iret, & Bohemia Domui Austriacæ solidam exinde servierit servitutem.

Regni hujus casus infelix electoralem Domum Palatinam in exitium præcipitem secum abripuit. Ubi certè Ferdinandus Cæsar, datâ occasione haud segniter usus, ne, morâ interpositâ, amicè res componeretur, & spes, semel animo concepta, decollaret, absq; ullo Electorum consilio aut assensu, proscriptionem in Fridericum Palatinum properavit: Dicionum ejus parte non contemnendâ ArchiDuci Alberto, Agnato suo, & Hispanis, è Belgio accersitis, in prædam concessâ; reliqvô, unà cum electorali dignitate, in Bavariæ Ducem, præteritis Friderici Palatini liberis impuberibus, fratre necdum adulto, aliis agnatis proximioribus, citra controversiam innoxiis, imò partim Pontificiis, ex plenitudine, seu potestatis, seu tempestatis (ut Jurisconsulti in ejusmodi casibus loqvuntur) translato. Qvæ translatio in conventu Ratisbonensi, Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo tertio, reliqvis Electoribus non consilii in modum ad deliberandum proposita, sed in modum decreti tantum insinuata, suffragante qvidem Clero, repugnantibus tamen, & validis rationum momentis neqvicqvàm contradicentibus, Saxone & Brandenburgico, Electoribus, per collatam Bavaro publicè investituram, consummata. Ita Domus Austriaca insignem, cui Germaniæ Libertas hucusqve institerat, qvæq; conatibus ipsius qvàm maximè obstiterat, columnam simul è medio sustulit: Simul qvinti electoralis suffragii potita, deqve imperatoriâ dignitate longè, ac anteà, certior, Bavarum, qvem alioqvi, ne, Majorum æmulus, incrementis suis & ipse tandem invideret, metuebat, hoc beneficio extremè sibi devinxit.

Reliqvos, fœdere unitos, Principes ac Ordines, qvorum junctas vires adhuc reverebatur Ferdinandus Cæsar, singulos faciliùs in ordinem redigi posse, qvàm universos ratus, Civitates

tates primum imperiales ab eorum communione magnificis promissis divulsit: Fide sanctissimè datâ, recipiens. *Qvicqvid ab ipsis commissum hactenùs fuerat, & imputari poterat, perpetua se oblivione perinde sepulturum: Ac si nec Unionis foedus, nec Bohemici motùs, nec ullæ, ab his promanantes, turbæ extitissent unqvam, aut Civitates harum fuissent participes. Nihil quoqve ab ipso Cæsare, aut Rege Hispaniarum, & reliqvis Domus Austriacæ membris, aut Pontificiis Imperii Ordinibus, hac de causa, incommodi detrimentive passuras: Nec ulla ipsis præsidia impositum, qvin nec transitum per Urbes, ipsorum ingratiis, postulatum iri.*

Sed hoc non attento, postmodùm Civitates pleræq; imperiales validis præsidiis oppressæ, sub duro militaris licentiæ jugo penè hostiliter habitæ, per novos, subinde exqvisitos, sinus, variaqve prædandi vocabula exhaustæ, & ad incitas redactæ. Obtendentibus autem collata ab Imperatoribus privilegia, & ipsissimâ Ferdinandi Cæsaris manu sigillove corroboratam Aschaffenburgensem transactionem, responsum. *Imperatores Romanos concessis immunitatibus ac privilegiis non adeò sibimet constrinxisse manus; qvin exigente rerum necessitate, liberè iisdem aliqvando derogare valerent: Reliqvos tractatus, & pacta conventa in his initâ, tempori accommodata, cum tēpore variari, nec Cæsaris proposito & conatibus obsistere, aut opponi, ullo modo, posse.*

Principum ac reliqvorum Ordinum, qvi, præter Civitates, Unioni nomina dederant, par fortuna: Qvanqvam, simul ac Ferdinandus Cæsar Bannum in Fridericum Palatinum stringeret, velut fulmine afflati, omni hostilitate abstinerent, & mox, imperatoriorum promissorum fiducia freti, armis se penitùs spontè exuerent.

Postqvam Cæsaris voto ac armis superior omnis Germania hunc in modum cesserat, ad inferioris etiam Saxoniæ Circulum manus suas extendit, ac illi subigendo nervos intendit. Conscripserant enim militem aliqvem ejusdem Saxoniæ Proceres ac Ordines, Christiano Qvarto, Rege Daniæ, Duce Circuli electo: Id crimini ipsis datum; id invadendis his provinciis aperuit fenestram.

Et qvanqvam recens natum dissidium in Conventu, Brunsvigæ habito, amicâ viâ componere, interventu suo tentarent Saxo & Brandenburgicus Electores, Cæsar tamen, absolutum sibi belli Pacisqve arbitrium sumens, adeò iniqvum se præbere compertus: Ut bellum incerto eventu subire mallent inferioris Saxoniæ Proceres ac Ordines, qvàm certam, qvæ ex armorum depositione imminebat, servitutem.

Vicerunt tamen & hîc, totius penè Imperii viribus suffulta, Cæsaris arma; & Daniæ Regem, cui, ut Circuli Duci, supremum militiæ regimen commissum fuerat, non Saxoniâ tantum inferiore, &, qvas adversus hostilem vim tuendas susceperat, provinciis, sed magnâ insuper Regni parte, qva continenti cohæret, pepulerunt.

Nec contentus Cæsar, furorem suum in inferiorem exonerasse Saxoniam, superioris etiam Saxoniæ Circulum, qvi solus adhuc totius Germaniæ superabat intactus, universum (excepto Electoris Saxoniæ territorio) & imprimis maritimam Pomeraniæ oram, cujus Dux tamen nullius criminis insimulari, nedum convinci poterat, milite, ad prosperos fortunæ successus certatim undiq; confluente, velut rapidò qvodam diluvio inundavit.

Inter hæc singularis Ferdinandi Cæsaris, & ars, & cura; protestantes Imperii Principes ac Ordines, aut exstirpare radicitùs, aut, sub prætextu litium iis intentarum, qvas præproperâ sententiâ hoc rerum statu terminabat, succisis rerum gerendarum nervis debilitare: Ne, evulsis pennis, deinceps in altum se extollere, & involanti aqvilæ obsistere ullatenùs possent.

Cujus rei (ne proscriptionis in Palatinum festinatæ memoriam refricemus) vivum exemplum Marchio Badensis nobis præbet: Qvem Ferdinandus Cæsar, ad dicionum, de qvibus ipsi cum Edovardi Fortunati liberis controversia, traditionem, unâ cum fructibus perceptis & percipiendis, damnorumve factorum & expensarum lui-

luitionem condemnatum, etiam potissimâ pristini patrimonii parte privatum iit.

Eodem fato Mauritius, Hassiæ Landgravius, non amplissimæ modò hæreditatis, qvæ à Ludovico seniore obvenerat, & totius superioris Hassiæ, sed, ob fructuum & expensarum restitutionem, possessi anteà territorii jacturam insuper non contemnendam Cæsaris sententiâ passus.

Severiùs longè cum Ducibus Megapoleos actum: Qvorum provincia ad mare balticum sita, adeoq; Cæsari ac Domui Austriacæ, ad scopum suum obtinendum, maximè accommoda. Hos enim Ferdinandus Cæsar, Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo octavo, non citatos, non auditos, absq; ullâ judiciariâ causæ cognitione, nudo decreto, avito hæredio exuit: Fridlandiæ Duce, cliente suo, exuviis his exornato.

Nec longo post intervallo in causâ Hildesiensi, sententia definitiva præcipitata: Qvâ Dux Brunsvicensis Episcopo & Clero dicti Episcopatus, unà cum territorio, & locis, Episcopatui qvondam ademtis, etiam fructus perceptos ac percipiendos, & damnum emergens lucrumve cessans restituere jubebatur: Cujus sententiæ effectus, Duce ad ultimum Revisionis beneficium confugiente, ne tantillum qvidem, prout aliàs juris & moris, suspendi potuit: Qvin executioni è vestigio mandaretur, & Duci, præter illa, qvæ ipsius Majores Clero Hildesiensi ereptum iverant, Ducatus partes aliqvot non ignobiles, ratione tum fructuum, tum reliqvorum, ad qvæ restituenda condemnatus fuerat, detraherentur. Ulterius, Principatus Calenbergensis, Comitatus Hojensis, & qvædam Brunsvicensis agri præfecturæ Seniori Tillio, qvadringenties mille Joachimicorum nomine, qvos Cæsari Daniæ Rex, & ille Tillio transcripserat, alia insuper aliis, à Cæsare collata, in prædam cesserunt: Ut Duci demùm ex ingenti, qvod anteà possederat, patrimonio vix septem præfecturæ, illæq; modicæ & minorum gentium, velut pristinæ magnitudinis reliqviæ, superfuerint. Imprimis Ferdinandus Cæsar, Duce Brunsvicensi licet in gratiam recepto, Gvelpherbyti munitissimam Urbem, Arcemve, Aulæ Ducariæ sedem, in meditullio regionis sitam, præsidio suo insessam retinuit: Ut hoc velut freno subdomaret Brunsvicensem, aliàs insignis ferociæ, caballum; ne recalcitrando novas turbas daret.

Qvid in Pomeraniâ Cæsar molitus fuerit, certò haud liqvet: Qvippe conatibus ejus, anteqvàm lucem aspicerent, à Rege Sveciæ oppressis, & in abortum degenerantibus. Non obscurus tamen rumor erat: Electori Brandenburgico, in casu vacantis per ultimi Ducis Bogislai mortem successionis, à Duce Bavariæ litem de hoc Ducatu motum iri; antiqvæ investituræ, qvam hic, qvoties opus, ab Imperatoribus renovari fecisset, prætextu. Unde militaria, qvibus totam provinciam Ferdinandus Cæsar obruerat, hospitia, in hunc eventum, forsan seqvestrum Juliacense parturire, nonnemini suspicari in mentem venerat.

Ut verò, qvicqvid protestantium Religioni addictis virium supererat, exhauriret, & jam non per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo unoq; velut exitiabili ictu universos jugularet Cæsar, bonorum ecclesiasticorum, qvæ hactenùs possederant, penè omnium controversiam mox, Edicto publicato, iis movit: Cujus Edicti, si effectum sortiretur, vi, omnes & singulos ad incitas redigi, necessum erat.

Ubi, sub Religionis colore, privato iterum suo, suæve Domus commodo velificans, ArchiEpiscopatibus, Magdeburgensi & Bremensi, nec non Episcopatui Halberstadensi, qvæ tria nobilissima, non inferioris modò Saxoniæ, sed totius Germaniæ membra, filium suum obtrudere conatus est.

Tandem, qvia Cæsar & Domus Austriaca, ad scopum suum feliciter conseqvendum, classem in mari necessariò reqviri animadverterant, ideò non littora tantùm maris baltici, & portus ad id sitos [qvorum plerosqve jam occupârant] summâ curâ munienda susceperunt; Stralesundâ, dum jugum eorum subire gravatur, summâ vi hostiliter oppugnatâ: Sed & alias Civitates, qvas navibus & viribus maritimis

mis pollere nôrant, Hispanicorum commerciorum huc unicè restringendorum, variorumqve privilegiorum & insignis emolumenti spe factâ, ad se pellicere conati, in id impensè incubuerunt: ut comparatâ illarum adminiculo classe, mari qvoqve baltico suos injicerent compedes.

Trãsgressus ad speciales belli Svecici causas.

2. Qvanqvam autem nascens, & è Germaniæ malis valida cum tempore incrementa sumens Austriacæ Domus potentia, extraneis Regibus, Principibus; Rebuspublicis, sensim hoc modo magis magisqve formidolosa facta fuerit; maximè cum, intra Imperii Romani fines jam se non amplius continens, vicinos qvoqve, missis in Italiam, Borussiam, Transisulanâ diversis Exercitibus, lacessere haud vereretur: GUSTAVUS tamen ADOLPHUS, secundus ejus nominis & Magnus, Sveciæ Rex, imprimis suspectam habuit, luculenter deprehenso; qvò magis baltici maris littoribus illius vires appropinqvarent, eò plures majoresve adversum se indies fieri bellorum occasiones.

Qvæ sūt 1. Literæ Regis interceptæ,

Velut jam Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo sexto, literæ qvædam Regis Sveciæ ad Transilvaniæ Principem, nec ab hoste, nec ad hostem missæ, â Cæsarianis interceptæ, reseratæ, ac, confictâ in Regis invidiam verborum interpretatione, publicatæ fuerant: Ipso internuncio in carcerem compacto, ac durè & hostiliter habito. Qvæ injuria, qvo inopinatò magis Regem â Cæsare, qvem, nec verbo, nec facto, hucusqve læserat, perculit, eò altiùs in pectus penetravit, ac descendit: Maximè, cum verus literarum tenor nihil, in Cæsaris aut Imperii Romani præjudicium tendens, loqveretur, sed bellum, qvod Regi Sveciæ cum Polonis hac tempestate intercedebat, solummodò concerneret.

2. Poloni in hostilitate adversus Regem confirmati.

Porrò Regi â fide dignis relatum. Licet componendorum inter Sveciæ ac Poloniæ Regna dissidiorum sæpènumerò spes affulgeret, Commissariis utriusqve Regni annuatim in eum finem congredientibus: Pacis tamen hos osores, per internuncios ac literas, sedulò apud Polonos operam dedisse, ne vulnus in cicatricem coiret, anteqvam in Germaniâ suum plenè attigisset scopum; spe certâ Polonis datâ. Germaniæ Electoribus, Principibus, Ordinibus sub jugum missis, sese igitur, omnibus viribus collatis, eò gnaviter incubituros; ut Sveciæ qvoqve Regnum â Polonis penitus opprimeretur.

3. Militum, seive bellicæ commercium Regi interdictū.

Et qvo verbis facta statim responderent, Svecosqve omnibus bellorum gerendorum mediis, qvantum pote, nudatos, Polonorum armis, favore suo suffultis, debellandos exponerent, & omni militum, & rei bellicæ commercio, qvod utrumqve liberum Polonis, Svecorum tunc hostibus, reliqverat, Regi Sveciæ in Germaniâ interdicere visum.

4. Suppetiæ Polonis, hostibus, latæ.

Clariùs autem odium eorum in Regem Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo septimo emicabat; qvâdo Adolphus, Holsatiæ Dux, cum copiis haud contemnendis, Sigismundo Tertio, Polonorum Regi, subsidio ablegatus: Idqve eo potissimùm tempore, qvo, eqvitatu Polonico ad Dirschaviam dissipato, & toto exercitu in consternationem haud exiguam conjecto, periculum erat, ne ipsis castris Poloni pellerentur. Qvapropter hoc præter opinionem & immerito suo, illatum vulnus, Regi eô magis doluit, qvò certior spes erat; hostilem exercitum, absq; hoc foret, ad internecionem cæsum, atq; ita hac vice debellatum iri. Nec verò missione militum, nec alio prætextu colorabantur istæ suppetiæ: Qvin potiùs ipsius Cæsaris signa, & Imperii Romani aqvilæ in hostili acie apertè fulserunt. Dux qvoq; Holsatiæ, post navatam Polonis strenuam aliqvam diu operam, è Borussiâ cum residuo milite in Pomeraniam regressus, ibidem, non secùs ac aliæ Cæsaris legiones, hiberna nactus est: Ut vel inde, è Cæsaris stipendio nunqvam excessisse, appareret.

5. Subditi Regis hostiliter habiti.

Intereà Cæsareus miles Regis Sveciæ subditos, qvi, negotiorum suorum ac innoxiorum commerciorum causâ, in Germaniam appulerant, ubicunq; nancisci contingeret, hostiliter tractare: Ablatis vi mercibus, & navibus fisco addictis. Qvod iidem, non aliò locorum se justiùs confugere rati, ad Regem

Regem detulerunt: Ejus opem, auxilium, patrocinium supplicibus ac qverulis precibus implorantes.

6. Dominatus in mare balticũ magno ambitu qvæsitus. Imprimis Septentrionalibus Regibus ac Regnis maximè suspectum accidere: Qvod Cæsar ac Rex Hispaniæ supradicto millesimo, sexcentesimo, vicesimo septimo, & seqventi Anno, per Georgium Ludovicum, Comitem Svartzburgensem, & Gabrielem de Roy, Commissarios suos, Lubecam, aliasq; Urbes Hanseaticas, in partes suas traducere conati, illarum ope classem in mari baltico comparare molirentur. Utut enim alius color rei qvæsitus nil aliud, videlicet, intendi, qvàm ipsarum Civitatum commodum; hac etenim ratione, abrogatis, qvæ exteri invexissent, monopoliis, navigationem & commercia Civitatibus sarta, tecta conservatum, ac, inter alia, Hispanicarum mercium vectarum ad solos eorundem portus astrictum iri: Septentrionaliũ tamen Regnorum Reges, re altiùs penetratâ, aliorsùm id interpretati, aliqvid monstri alere negotium existimabant; nec modò in Regalium suorum super mare balticum, cujus tutelam & protectionem, ex Majorum instituto, sibi asserunt, insigne vergere præjudicium, sed & ipsis in Regnorum visceribus oppugnandis, media ac occasionem qværi.

Qvæ suspicio in Rege Sveciæ validiora incrementa sumsit, postqvam, finito bello Danico, à classe & navibus armandis minimè cessatum: In se enim, reconciliato Daniæ Rege, fabam hanc cudi, haud sine causâ ominabatur. Præsertim, qvia Cæsariani, spe de adjungendis sibi Civitatum Hanseaticarum viribus evoluti, Gedanensium & Polonorum, cum qvibus Regi Sveciæ apertum bellum, naves in consortium asciverant, illarumq; ope mare balticum, harum artium hactenùs insolens, piraticâ infestum reddebant: In tantum, ut Rex Sveciæ, Regalium suorum, & securitatis maritimæ, commerciorumve conservandorum, classem & ipse suam magnis incommodis atq; impendiis adornare, illâq; Cæsarianos occupatis portubus, præsertim Wismariensi, inclusos tenere coactus fuerit.

7. Amici, Cum autem Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo octavo, Stralesundæ Urbs à supremo Cæsareæ militiæ Imperatore, Fridlandio, præsidia, qvæ imperabantur, admittere detrectans, arctissimo premeretur obsidio, ferroq; ac flammâ extrema qvæq, perpeteretur, recepit illa qvidem ab initio à Daniæ Rege militem auxiliarium, qvem spontaneo motu, defendendæ Urbi, huc submiserat, & necessitate exigente, plus auxiliorum ab eodem conseqvi poterat: Ne tamen cum Cæsaris hostibus [qvos inter tunc temporis Daniæ Rex] conspirare argueretur, mox ad Sveciæ Regem confugiens, ut addicti neutri parti Principis, cujus benignitatem antehac luculentis rerum testimoniis experta fuerat, tutelæ ac patrocinio, seqvestro velut deposuit exagitatam infestis hostium armis Libertatem. Nec Rex justissimis de causis, qvas ipsimet Stralesundenses per Legatos suos deduxerant, recusare ullatenùs potuit; qvin Civitati, non ipsius modò, sed & publicæ, communisq; securitatis gratiâ, misso non contemnendo militum subsidio, subveniret. Vicini, Consanguinei Regis, oppressi.

Salvâ tamen obedientiâ, Cæsari & Duci Pomeraniæ, tanqvàm Superioribus, debitâ; nec ad Cæsaris, aut cujusqvam offensionem, sed solam Civitatis, portusq; Stralesundensis, & conseqventer, totius maris baltici defensionem, commerciorumve libertatem: Ut ex fœdere, cum Stralesundensibus inito, sole meridiano clariùs apparet.

Inde militum Tribunis, qvi Stralesundensibus suppetias missi, in mandatis datum: Ne extra obsidium, & necessariæ atq; legitimæ defensionis cãcellos, adversus Cæsaris exercitum qvicqvam tentarent. Qvi & ipsi, ab initio, Danis, qvamdiu illic loci unà commorati sunt, in expugnatione oppidi Bart, aliisve factionibus, neqvicqvam ad capessenda contra Cæsarianos hostilia arma, instigantibus, Regis sui mandatum causati, intra hos terminos immoti steterunt.

Eodem penè tempore Cæsar Duces Megapoleos omnibus dicionibus, qvas ab Imperio ipsi, eorumve Majores, tot per annos, Feudi nomine possederant, privârat; Ducemq; Fridlandiæ, summum terrâ, mari militiæ suæ Impe-

Imperatorem, his investitum ierat. Qvorum, & Religionis, & sangvinis nexu junctorum, Ducum vicem Rex, ipsâ Christianâ caritate, arctâq; necessitudine flagitante, jure miseratus: Præsertim cum, omni aliâ ferè spe destituti, in his angustiis ad Regem, velut sacram anchoram, confugerent.

8. Legati ignominiosè à tractatu Lubecensi rejecti.

3. Mox, cum Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo nono, Lubecensis conventus, compescendis Danicis motibus, haberetur, Rex Sveciæ duos è Regni Senatoribus haud postremæ notæ, Gabrielem Oxenstirna Baronem, subseqventi tempore Dapiferi nomine in Regno clarum, & Johannem Sparrium, ut Legatos, eò qvoq; mittendos duxit: Non modò, ut Stralesundâ, qvam in protectionem nuper receperat, turbis, cum qvibus, præter meritum implicata, colluctabatur, evolutâ, Ducibusq; Megapoleos autoritate suâ sublevatis, dissidiorum igniculos, his aliisve de causis inter ipsum & Cæsarianos exortos, restingveret; sed prætereà tractatum qvoq; ipsum, interventu suorum Legatorum dirigeret ad fidæ ac æqvabilis Pacis portum.

Horum namq; mandata eò unicè collineare. *Darent operam, ut Principes, Comites, Urbes, portus ad mare balticum & magnum Oceanum summatim, uterq; superioris ac inferioris Saxoniæ Circulus, nec non Oldenburgensis & orientalis Frisiæ Comitatus in statum, qvo Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo, ante bellum hoc enatum, fuerant, reponerentur: Stralesundæ autem Civitati, cui jure injusta vis erat illata, non pristina modò restitueretur securitas & libertas, sed damni qvoqve, hoc bello exantlati, nomine satisfieret. Pro Ducibus Megapoleos, siqvidem criminis, erga Cæsarem & Imperium admissi, convicti forent, certam pecuniæ summam [qvantam Electores, Principes, Ordines Imperii ex bono & æqvo essent arbitraturi] mulctæ loco, & Regem prædem hujus seu sponsorem offerre, ipsis injunctum. Qvi, siqvidem delictum eorum jure exaggerari eousq; posset, vel ad millies mille Joachimicorum exsolvenda, se obstringere decreverat.*

Legationi ut viam sterneret, Johannem Salvium, status sui & præsenti Pacis negotio expediendo insimul destinatum, Secretarium Rex, iter paululùm antecapere, jusserat. Qvi, ubi in Daniam venit, Cæsaris Subdelegatos scripto compellans, & Regis propositum brevibus detegens, ut Regii Legati, transmissis fidei publicæ literis, ad tractatum admitterentur, postulavit.

Tantum autem abest, ut literario responso dignati eum fuerint Cæsaris Subdelegati: Ut potiùs, fide publicâ denegatâ, regios Legatos, tum territorio Romani Imperii, tum potissimùm Urbe Lubecâ abstinere, sub comminationis extremæ indignitate, per internuncium, qvi literas detulerat, Johannem à Rehausen/ ore tenùs jusserint.

Salvii ad Cæsaris Subdelegatos eâ de re literæ.

Eo non attento, Johannes Salvius, simul ac istud responsi à Cæsaris Subdelegatis tulit, nomine regiæ legationis, longiùs adhuc distantis, tantisper, dum de ulteriori ejus voluntate certior evaderet, rescribendum censuit; ad animum iis revocans. *Barbaras gentes non solùm Pacis Oratores honorificè excipere, sed etiam, ad bellum denunciandum missos Feciales, tam humaniter admittere, qvam salvos dimittere consvesse. Ipsos verò, non Cæsaris aut Romani Imperii hostes, sed amici Regis Legatos, non ad denunciandum bellum, sed honestis rationibus componendum, imò ad Pacem, & cæteras omnes amicæ vicinitatis necessitudines stabiliendum venientes, non modo non admitti, sed etiam ab humana imò christiana gente tam indignè repudiari, id verò seriò ut credant, adhuc vix induci posse. Nec enim verisimile videri, eam reverà mentem Germanæ & Christianæ gentis, quæ tot enixis contestationibus coram universo Orbe palam professa sit; per se non stetisse, qvò minus fida Pax hactenùs æqvis rationibus in Imperio fuerit reparata: Præsertim cum literarum lator nihil omnino in scriptis monstraverit, qvo de aperta Cæsarianorum Subdelegatorum sententia redderentur certiores. Non ergò non potuisse, pro communi Gentium jure eos denuò reqvirere; ut candidè & rotundè ipsis significent. Utrumne, tanqvam Regis Legatos, ad salutare Pacis opus promovendum, tractatui interesse, eove nomine fide publica cavere velint? An persistent in eo, qvod ore tantùm Subdelegati relâtum fuerat.*

 Sed

Sed & posteriores hæ literæ, silentio à Cæsaris Subdelegatis transmissæ, Regi, qvi haud malè auritis satis responderi non respondendo noverat, ansam dederunt Legatos, Lubecam destinatos, domum, re infectâ, revocandi. Nec sanè mediocrem ejusmodi indignitates, concoctu difficiles, ingentis ac heroici animi Principi bilem movebant.

Cæsarianorũ Subdelegatorum responsum, sed serius. Paulò tamen serius, post regios Legatos jam revocatos, responso easdem literas dignati sunt Subdelegati Cæsaris: Priorum verborum cruditatem excusatione mitigantes. *Nimirum à Cæsare ad tractandum solummodò cum Daniæ Rege missis, absq; speciali mandato cum aliis in tractatum descendere, aut fidem iis publicam impertiri non licere. Si tamen regii Legati qvicqvam, qvod commune bonum concerneret, aut Paci promovendæ faceret, in mandatis haberent, idq; ad Cæsarem deferre non gravarentur; nec commodum à Cæsare responsum defore, & ipsis dubio procul, qvomodò hac in re gerere se debeant, injunctum iri.*

Pax Lubecensis coit. 4. Et hoc qvidem responso Regis Sveciæ Legatis satisfactum arbitrari Cæsaris Subdelegati: Tractatum verò ipsum, si longius protracto Svecus qvoq; interveniret, majoribus difficultatibus implexum, ac Cæsarianorum intentioni terminum forsan aliqvem, metamve præfixum iri veriti, Pacis ocyùs maturandæ, arcum, qvem hactenùs adeò, ut rumpi minaretur, intenderant, derepentè remisêre; spe Daniæ Regi factâ restituendarum, qvas Cæsar armis occupârat, provinciarum, Jutlandiæ, nimirùm, Slesvicensis & Holsatiæ Ducatuum. Qvo contentus hic subitò cum iisdem ad pactionem descendit: Qvamvis & lis de dominatu in mare balticum, qvem Cæsar ab aliqvo tempore per Fridlandiæ Ducem, in Regalium, à Septentrionalibus Regibus ac Regnis tanto nisu hactenùs propugnatorum, præjudicium usurpaverat, relinqveretur indecisa; & portus ac munitiora ad mare balticum, magnumve Oceanum Germaniæ loca in Cæsaris potestate remanerent; de maritimis deniq; ejus apparatibus intermittendis altum esset silentium. Qvibus de causis Rex Sveciæ Legatos suos Lubecam principaliter destinaverat. Ut ita dissidiorum inter Regem Sveciæ & Cæsarem semina hac Pacificatione non in ipsâ herbâ supprimerentur, sed, accedente indignâ Legatorum repulsâ, velut frugifero imbre irrigui, validiùs indies succrescerent.

Rex Sveciæ è diverso nihil sanè minus sibi persvasum habuerat, qvàm tractatum hunc, se inscio & penissimè præterito, adeò præcipiti exitu terminatum iri: Meminerat etenim, cum Daniæ Rege, anno vixdum prælapso, fœdus pepigisse, qvo expressissimis verbis cautum, *de Rege Sveciæ Pacis, si qvæ fieret, legibus comprehendendo, & sincerè ac assiduè communicandis invicem consiliis; ita ut alter alterutrius consiliorum ac intentionis maturè fieret particeps.* Ubi verò Lubecæ facta, transacta omnia, non vanis rumoribus, sed certis, & veritatis indubitatæ nunciis allatum est, mutatâ velificatione, & reflexo, qvem hactenùs, Lubecensis tractatus magnetem secutus, tenuerat, cursu, aliam ad tranqvillitatis ac securitatis portum viam insistere coactus fuit. Præter Regis Sveciæ opinionem.

Qvod autem (ut Cæsaris Subdelegati in literis innuerant) ad Cæsarem, cum qvo ipsi nulla hucusq; intercesserat literarum communicatio, rem deferre, ceu pars læsa, salvâ dignitate haudqvaqvam posset, alio medio usus, Electorum, cum qvibus illi ex parte jam anteà literarum communio fuerat, collegio scribere, idq; de opportunis remediis interpellare constituit: Senatui insuper Regni permittens. Ut ad summum Cæsareæ militiæ Imperatorem, Fridlandiæ Ducem, Legatum ablegarent; experturum in re præsenti: An dissidiorum, qvæ hactenùs suborta fuerant, amicâ viâ componendorum aliqva spes superesset?

Qvia porrò relatum erat Regi; susceptum Stralesundæ patrocinium, & missa eidem subsidia, vitio sibi à nonnullis in Germaniâ verti: Ideò in literis ad Electores, ante omnia, causas justissimas, tum qvæ Stralesundenses ad implorandum, tum qvæ ipsummet ad præstandum auxilia compulissent, fusè & luculenter deduxit. *Acerbissimum nimi-* Regis ad Electores literæ.

nimirùm Civitatem Stralesundensem sibi questam. Tametsi nec in Imperatorem Romanum, nec Imperium ipsum, nec ullum Imperii Ordinem qvicqvam admiserit, cujus causa, tantum abest, ut unqvā citata aut accusata, vel convicta aut condemnata, ut etiam imperiali decreto & innocens declarata, & de obsidentis exercitus recessu secura esse jussa sit, tantam tamen cæsarianorum armorum fuisse iniqvitatem: Ut, spreta hac ejus innocentiâ, neglectis juribus ac constitutionibus Imperii, contemto contractu Arnhemiano cum Pomeranis inito, posthabitis pluribus aliis diversorum temporum pactis, nec considera:â tantâ indebitò exactâ, solutâq; pecuniâ, donis & muneribus, ipsâ etiam Religiosæ profanæq; Pacis sanctimonia temeratâ, imprimis vicinos Civitatis pagos vastaverint; ejus territorio varia munimenta imposuerint, portui incumbentem insulam, Danholm/ sine ullâ inimicitiæ denunciatione, ex insidiis captam, in illius præjudicium munierint; omnes ex continenti in Rugiam, ex Urbe in continentem, & vice versâ transitus occupârint; cives vario tractatuum ludibrio vexaverint; maximo tributo exhaustis etiam præsidia imperârint; portumqve adeò ipsum, naves, tormenta sibi tradi, poposcerint; ac tandem his privilegiorum libertatisqve obtentu negatis, Urbem, arctissimâ obsidione pressam, ferro ac flammâ, ad extremum usqve indignissimè fuerint persecuti. Cum igitur Imperatoris decreta nihil efficerent; Pomeraniæ Dux nec vellet eos iuvare, nec posset; à societate autem Hanseaticâ pro derelictis haberentur: Iure, moreqve Gentium, permissu privilegiorum, Majorum suorum exemplo, coactos, externæ potentiæ implorare adminicula; donec tam inopina belli tempestas desæviret, & tuta Pax instauraretur. Et Regis qvidem Daniæ subsidia, ut maximè præsentanea, ad arcendum primum impetum acceptasse: Ne tamen id vitio ipsis olim verteretur, qvasi hostibus Imperii se associâssent, nullum tandem æqvius præsentiusve habuisse remedium, qvam sub Svecorum, ceu neutrarum partium & amici, Regis confugere tutelam. Igitur attento imprimis, qvod hæ Stralesundensium preces divino, humanoqve jure niterentur; tum observantiæ, vicinitatis, communis Religionis, libertatis, & commerciorum vinculo, qvo tam antecessoribus suis, Regibus, Regnoqve Seciæ, qvàm ipsimet semper addicti fuerant, considerato; animadverso deniqve, qvanto cum, non tantùm suo, Regniqve sui, sed & omnium, qvi necessitudine qvâcunqve à mari baltico dependent, gentium præjudicio conjunctum foret, si aliqvis in hoc portu piraticæ excursionis nidus à privatâ cujuscunqve ambitione figeretur: Regem, in gratiam vicinorum & amicorum, ipsiusque adeò publicæ securitatis, nullo amplius jure recusare potuisse; qvin oppressis, opem suam tam impensè implorantibus, subveniret. Atqve id tantò magis, qvò plura ipsi à malevolis Imperatoris consultoribus, his annis, hostilitatis documenta fuerant ostensa. Etsi enim nulla unqvam contra Imperatorem aut Imperium Romanum, vel auxilia contulerit, vel fœdera inierit, utcunqve ab aliis ad hoc non ignavè sæpe numerò incitatus; qvin potius à Germanico bello semper abstinuerit, religiosè servatâ amicitiâ, neutrique parti se applicans, nec dato vel in minimis ullo offensionis prætextu: Non posse tamen comprehendere, qvo merito suo, Regniqve sui, infesta contra se signa Cæsaris in Borussiam fuerint illata; Pax cum Polonis studiosè impedita; omni è Germaniâ militis & armorum auxilio, hosti cōcesso, ipsi interdictum; literæ ejus ad Principem Transilvaniæ interceptæ ac reservatæ; jamdudum id unicè Lubecæ agitatum, ut unà cum Regno suo ab omnibus humani generis fœderibus & commerciis excluderetur. Ad hæc vicinos, amicos, consanguineos suos ad mare balticum patrimonio avito exutos, tantùmqve non penitùs exstirpatos; subditos aliqvoties expilatos, atqve in captivitatem abductos: Deniqve totâ ferè Europâ jam denuò disseminatum; ingentem contra se exercitum in Borussiam expeditum iri. Licet autem subsidiis, Stralesundam à se missis, id effectum; ut Daniæ Rex, cum, tanqvam hostis, Urbem opportunitate situs Regno suo facilè asserere jure belli potuisset, in non exiguum Romani Imperii præjudicium, attamen, ipsius interventu, amicitiæ ergò, illâ cesserit, & sic libertas Civitati, Civitas autem Romano Imperio fuerit cōservata: Eam nihilominùs gratiam repositam; ut Legati, qvos ad Lubecensem

sem tractatum miserat, & causam Sundensem, & cæteras simultates enatas cõposituros, non modò non admissi, sed magnâ etiam cum indignitate repulsi, qvinimò totâ Germaniâ abstinere sint jussi. Qvoniam igitur minimè dubitet, ut cæteris Imperii Ordinibus, ita Electoribus cumprimis ingratam fore isthanc insolentiam, qvâ externus Rex innoxius & innocens, imò amicitiæ jura offerens, tam indignè tractetur; muneris etiam illorum sit, providere, ne qvid Respublica christiana detrimenti capiat: Idcircò intermittere noluisse, qvin ab iis amicè reqvireret. Retraherent Cæsarem, interpositâ autoritate suâ, ab injurioso ejusmodi processu, considerantes: Nihil aliud à Rege vel hactenùs qvæsitum, vel ad huc qværi, qvàm honestæ Pacis securitatem. Et hanc qvidem si æqvis rationibus obtinere possit, nihil in se desiderari passurum, qvod ad amicæ vicinitatis necessitudines colendum reqviratur. Sin, præter spem omnem, Pacis mediis, qvæ offerantur, rejectis, prior processus continuaret, ac per hoc aliâ viâ saluti ac securitati suæ prospiciendi ipsi imponeretur necessitas, haud minùs Electoribus, qvàm DEO, & universo terrarum Orbi excusatum fore: Qvandò non in ullum præjudicium Romani Imperii (cum qvo nihil ipsi intercedat inimicitiarum) sed ad præstandum solius inculpatæ tutelæ moderamen, arma sumeret.

Biekkius à Regni Senatu ad Fridlandium mittitur. Præter has Regis ad electorale Collegium literas, Regni Senatus, Regis Camerarium, Stenonem Bietken, Baronem, ad Ducem Fridlandiæ ablegabat: Ut, si adversæ partis animos ad Pacem pronos reperiret, primum amico tractatui jaceret fundamentum; dum plures Commissarii subseqverentur, rem totam omnimodæ transactioni subjecturi.

Interim (qvæ ultima & potissima belli causa) integer exercitus contra Regem ducitur. 5. Is verò, Stralesundam appellens, rerum faciem, cùm in aliis, tum in eo præcipuè mutatam deprehendit: Qvod integer exercitus, tormentis ac aliis belli reqvisitis instructus, sub ipso Cæsaris Campiductore, Arnheimio, contra Regem arma stricturus, non jam in procinctu amplius staret, sed in Borussiam infestis armis tenderet.

Literaria Qvæ qvidem mutatio ulteriorem Legati progressum stitit: Ne qvicqvam tamen inexpertum relinqveret, Duci Fridlandiæ hac de re scribendum, & adventum suum, qvibusve de causis esset missus, significandum duxit. Bielkii cũ Fridlãdio hac de re velitatio. Nimirùm, *etsi exigua spes ampliùs superesse potuerit, per amicos tractatus, & iteratam legationem, igniculos dissidiorum inter Regem & Cæsarem extinguendi, sopiendive: Qvos superioris Legationis indigna rejectio, velut turbarum qvâdam face, flabrisq; in majorem flammam excitaverit: Attamen, qvia Subdelegatorum Cæsarianorum responso spes nova optati eventus, si de amicâ compositione ad Cæsarem vel Fridlandiæ Ducem à Svecorum parte referretur, ostentata fuerit, ideo, Regis mandato ab inclyti Regni Senatu se ad Ducem Fridlandiæ ablegatum; ut, animadverso, Cæsaris ac Ducis animum ad amicam tractationem inclinare, cum Duce de qvibusdam, qvæ tantæ rei necessariò præmittenda videantur, ageret, futuriqve tractatus solida collocaret fundamenta. Simul ac autem appulerit, compertum se, de expeditione Arnheimii Campiductoris, ingentibus copiis atqve infestis signis contra Regem suum in Borussiam moventis, hostiqve, Polonis, se conjungendo, hostem Regis propediem sè declaraturi. Qvapropter ab amico Senatu ad amicum Principem (ut Senatus Regni omninò sibi persvaserit) missum, cum castra, qvæ Arnheimius apud Polonos metari intendat, non amicitiam, sed hostilitatem eamqve haud obscuram redoleant, totâ hujus negotii facie immutatâ, consilium qvoqve & propositum mutare coactum.* Qvod autem Bielckius, susceptum Civitatis Stralesundensis patrocinium expeditioni huic Arnheimianæ, prætexi, odoraretur, causas, qvæ Regem ad suppetias illi ferendas permoverant, pluribus & facundo stylo explicatum iit: Qvæ, strictim loqvendo, erant tum *vicinæ ac amicæ Civitatis afflictione precibusve excitata commiseratio, tum proprio statui impendens grave discrimen.* Imprimis huc inducere visum; *qvod copiæ Cæsaris, in Borussiam ante biennium expeditæ, Regi, ad idem in causâ Stralesundensi faciendum, sat juris tribuerint: Cùm nihil magis Rex admiserit contra Cæsarem, succurrendo Stralesundæ Urbi; qvàm Cæsar contra Regem,*

gem, mittendo Polonis auxilia. Qvin imò culpandum tantò magis Cæsarem; qvod, primus impetum faciendo, Regem ad sui defensionem velut provocârit. Posito tamen, non concesso, nec in æternum probando, aliqvid hac in re à parte Regis erratum seu peccatum, Legatos tamen, Lubecam missos, hunc armorum hostilitatisq; fervorem refrigerare & mitigare potuisse; certè debuisse: Cum, ex celeberrimi Regis sententiâ, in eum, qvi jure agere paratus tanqvàm injurium arma expedire, nefas sit. Porrò, qvia prisci Romani nullum bellum justum fuerint arbitrati, antequàm clarigatum foret, i. e. ad jus suum per disceptionem obtinendum, Feciales suos misissent, facilè animadverti; qvid de Arnheimii armis, Borussiæ illatis, sentiendum: Qvæ usque adeò præcipitata, ut amicæ tractationi, à Svecorum parte ultrò oblatæ, præverterint. Licet autem hæc res, ut pedem, actutùm referens, ad suos reditum maturaret, svadere videretur, intellecto tamen, qvod Fridlandiæ Dux citerioris Pomeraniæ Præfecto, de comiter accipiendo, deducendoqve mandata dederit, (id qvod animi, ab amicâ tractatione non planè alieni indicium existimet) missis præsentibus literis, responsum Ducis in loco præstolari, decrevisse: Utrum, nempè, etiamnum in amicos tractatus voluntatis inclinatione propendeat, & copias, in Borussiam contra Regem infestis signis moventes, sistere ac revocare, omniqve aliâ offensione abstinere velit? Id enim ad amicam tractationem, prospero & optato eventu instituendam, omninò necessarium: Cum animi convenire seu coalescere neqveant, qvamdiu hostilis exercitii cuneo disjungantur.

Literis his Fridlandiæ Dux respondebat. *Tot copiis abundare Imperatorem, ut, exercitu Arnheimiano se exonerare, necessum habuerit: Atqve ita eundem, exauctoratum, Regi Poloniæ, ut amico, non immerito, tradidisse; contra Svecos militaturum. Nec revocari, utpote Regi Poloniæ sacramento jam addictum, posse.*

Adversus qvod responsum, nullâ interpositâ morâ, Legatus Svecicus regessit. *Regem, vel Regnum Poloniæ, nullo unqvàm tempore, ne tunc qvidem, cum potentissimus, formidulosissimusqve hostis, Orbis christiani terror, eis non immineret modò, sed incubaret etiam, omniumqve virium suarum periculum faceret, tot, tantasqve exoticas legiones, suo ære, propiusqve viribus contrahere potuisse: Indeqve sole meridiano clariùs apparere; cujus operâ & auxilio jam solito majora hostili potentiæ incrementa afferantur, & cujus non occultâ modò stimulatione & consilio, sed apertâ armorum, viriumqve subministratione factum ut bellum, qvod sopitum propè & confectum videbatur, recrudescere incipiat. Damna & hostilia in fraudem Regis hinc scaturientia, solâ nominis mutatione (nimirum, Arnheimianos milites, nô Cæsarianos ampliùs, sed Polonos appellando) resarciri, obliterariqve haud posse. Non à nominibus damna, belliqve clades metuenda: Arma, robora, corpora Virorum esse, qvæ vim faciant, hostilitatemqve exerceant. Hæc igitur removenda, non nuda nomina tollenda; si animus ab omni hostilitate alienus sit. Neqve ullas Gentes, qvæ Legibus & Moribus reguntur, talia, hostibus submissa, auxilia aliter interpretari, sed pro manifestâ hostilitate accipere. Contrarium autem qvibusdam hujus seculi exemplis utut evinci posse videatur; singula tamen ista per meram conniventiam facta, imò sub utilis, non justi ratione interdum dissimulari: Cum ejus farinæ hostilitates eâdem potiùs arte eludere & compensare, qvàm palam reprehendere ac vindicare, sæpè expediat. Qvod si amicitiam præ se ferre, obliqvè autem, & per alienum (ut dicitur) latus, petere, offendere, ac hostilia qvævis exercere licitum esset; qvid hominum hæc societas à Comicis personatorum scenis differret? Actum fore de societatis humanæ vinculo & fundamento, Fide; ubi tam lata aperiretur fenestra, tam vastus panderetur campus, exqvirendi tot fallendæ ejus ambages, semperqve fraudi aliqvam speciem juris imponendi. Rectiùs lure Consultorum scholam nos docere: Qvod directò prohibitum sit, neqve per indirectum fieri ullo jure posse; &, qvod per alium qvis machinatur, perinde æstimari, ac si ipsemet idem perageret. Qvocirca Regem suum innoxium, cōtra qvem hostilitas directò à parte Cæsaris exerceri, justè ac legitimè non possit, neqve per indirectum lædendum, aut lacessendum: Adeòqve jus & fas ipsum poscere, omnemqve*

nemqve æquitatem postulare; ut, qvod hîc erratum, qvàm ocyssimè, arma infesta cohibendo, revocandoqve, emendetur, corrigaturqve. Cæterum, qvomodòcunqve res caderet, & qvicunqve tandem futurus esset hujus negotii eventus, Regni Sveciæ Senatores sibi & Patriæ gratulari, gestireqve; qvod duæ res, qvarum sola judicia, præter DEum & ensem, Superiorem non recognoscentes vereantur, æstimentqve, â Rege suo stent: Bona, videlicet, Conscientia, & incorrupta rerum gestarum Fama. Certo qvippè certiùs exploratum habere; qvod Conscientia verè regia ab omni neglectæ, vel non seriò expetitæ, Pacis causâ Regem liberet: Per Famam autem confidere futurum, ut indies Orbi terrarum magis magisqve innotescat; â parte Regis nihil neglectum, nihil, qvod ad dissidiorum mala ingruentia avertenda facere videretur, intentatum relictum.

Iterata hæc Legati postulata, vix unâ alterâve lineâ Dux Fridlandiæ dignatus, nec â priori sententiâ se dimoveri passus. Legatus verò Svecicus, apud hunc oleum & operam perdi animadvertens, ad Electores qvoqve literas dedit; adjunctis, cùm literarum suarum, tum responsorum, ab eodem Duce sibi redditorum, exemplaribus: Qvò de injuriâ, Regi suo illatâ, eò constaret luculentiùs.

Exercitus autem Borussiæ immissus, utut alio colore â Cæsarianis palliaretur, dum adversùs Regem Sveciæ, ut hostem, singulari animi pertinaciâ per totam æstatem pugnaret, pro apertâ ab eodem hostilitate, & belli, sine ullâ denunciatione illati, argumento habebatur. Nec parum eo promotum Induciarum, cum Polonis ineundarum, negotium; qvod, Galliæ ac magnæ Britanniæ Regum, nec non Electoris Brandenburgici interventu, hoc tempore sub incudem venerat: Polonis armorum pertæsis; Rege verò Sveciæ, remoto hoste hoc, in Cæsarem, novum hostem, vendicare avido.

Regis, de bello, necne, gerendo, consultatio.

6. Ne verò Rex præcipiti & inconsiderato potiùs impetu, qvàm certo consilio in bellum contra Cæsarem ferri videretur, assumtis, qvotqvot in Borussiâ ad manus erant, Regni Primoribus, ac præcipuis Ministris, interq; eos cumprimis Regni Cancellario, Axelio Oxenstirna, Barone, cujus consiliariâ prudentiâ in rebus arduis maximè nitebatur, qvæstionem, bellum, necne adversùs Cæsarem gerendum esset, in deliberationem deduxit. Et sanè tanti momenti res exactissimâ consilii lance, variis hinc inde rationum pondusculis adjectis, librata, in æqvilibrio diu anceps pependit.

Non deerant, qvæ bellum dissvaderent, prægnantes rationes. In bello, nempè, *suscipiendo considerandum: Num justum; num necessarium sit, aut certè ingentis commodi spem minimè dubiam foveat; num deniq; facilè confectu videatur. Iustitiam præsenti bello conciliari multiplicibus Cæsarianorum injuriis: Nec de illâ qvicqvam dubitari. Tot enim & tales â Rege memorari bellorum causas, ut, præsertim in unum collatæ, inferendo bello sat habeant momenti. Id tamen ubivis observari: Cæsarem, licet arma hostilia induerit, nondum palàm induisse hostis nomen. Adeoqve omnes indignitates, Regi Regnove Sveciæ illatas, aut militi & Duci imputari posse, aut alio qvopiam colore obtegi: imò in Borussiam postremâ vice missum Exercitum, evanido, sed specioso, exauctorati & in Regis Poloniæ stipendia postmodùm transscripti militis prætextu velari. Cum ergò Cæsar nondum exuerit regiæ Majestatis reverentiam, utpotè cui palàm se hostem profiteri reformidet; posse adhuc, salvâ regiâ dignitate, qvam his excusationibus suis sartam tectam Cæsar præstet, nec eidem impudenter insultare ausit, tranqvillitati publicæ condonari, & dissimulatione transmitti illatas hucusqve injurias: Dummodò ne extrema necessitas compelleret ad arma, aut luculenta utilitas eadem svaderet, & rerum status ac circumstantiæ felicem, facilemqve rei exitum pollicerentur. Necessitatem non videri ullam incumbere: Si qvis Regni Sveciæ, & parentium eidem dicionum situm contemplaretur. Qvippè Regnum nisi per Daniam, Cæsari inaccessum: De qvo qvidem Rege non metuendum, ne Cæsarianis transitum præberet, & incendium, qvod vix finibus suis arcuerat, media iterùm in viscera, quæ intacta hactenùs manserant, reciperet. Mari autem non firmissimâ modò classe, sed tot etiam claustris*

strris

ſtris ac rupium obicibus Sveciam munitam: Ut Cæſar, præſertim maritimo apparatu impar, ne qvidem coadunatis omnibus viribus ſuis, illac perrupturus ſit. Livoniam & Boruſſiæ partem qvam Rex, jure belli occupatam, Induciarum, ſub incude ferventium, vi, fortè animo jam præcepiſſet, circumfuſis usqvequaq; Polonorum finibus, velut vallo & aggere cingi: Qvi certè, tranqvillitate (in qvo nunc toti) per Inducias ad tempus partâ, in agros ſuos admiſſuri non ſint eluvionem, qvâ vixdum ſe exoneraverint. Qvin, etiamſi velint, ſalvis tamen induciis gratificari tranſitum Cæſarianis neutiqvam poſſe. Qvicqvid igitur ad mare balticum moliretur, aut machinaretur furibundus hoſtis, Regem, in Regno ac ſolio ſuo tutum, contemnere ac deridere poſſe illius minacias; ringentis, ac dentes inani rabie ſtringentis, nec ultra nocituri: Adeoqve neceſſitatem bellandi nullam ſubeſſe; niſi qvam Rex, transmiſſis in Germaniam armis, & lacesſito illic hoſte, ſibimetipſi imponeret. Nec utilitatem, aut emolumentum ex bello cum Cæſare, velut ex eo, qvod cum aliis vicinis geratur, ſperari poſſe: Longè enim aliam in illo, qvàm his rerum faciem. In his, ſimul ac Rex fines egrederetur, pedem ponere in hoſtico, &, qvicqvid terrarum acqvirere poſſit, jure belli lucrifacere: In iſto, qvòcunqve cum Exercitu appellat, non niſi conſangvineorum, amicorum, vicinorum, ejusdem Religionis Principum, adeoq; hoſpitum, non hoſtium terris impingere. Qvibus etſi Cæſarianos ejiciat, haud ſibi tamen eas aſſerturum Regem, ſed veris Dominis, qvi & ipſi, violentis Cæſaris armis oppreſſi, miſeratione qvàm odio digniores videantur, procul dubio reſtituturum. Verum autem hoſticum, proprias, nempè, Cæſaris diciones, adeò longè diſſitum: Ut tactum, aut à Rege occupatum iri, ambigua valdè ſpes ſit. Interim non ad bellum modò ſuſcipiendum, ſed & proſeqvendum, certos ac immenſos penè reqviri ſumtus. Hinc militum provincialium in Svecia delectum, hinc (cum provinciæ maritimæ in Germania, jam à Cæſarianis penitùs exhauſtæ, alendis exercitibus pares ampliùs non ſint) varia collectarum ſeu tributorum genera, & qvicqvid patrando bello, ingenioſa excogitavit neceſſitas, continuatum; hinc onera, qvæ nunc ſubditis incumbant, non (ut populares, finito bello Polonico fore, ſibi perſvaſerant) imminutum, ſed, increſcente majoris belli periculo, forſan auctum iri. Hinc certa & ingentia Regi, ex hoc bello, imminere impendia: Ambigua verò & exigua, imò nulla ferè, ſperari compendia. Qvod ſi, Induciis cum Polonorum Regno initis, injurias, qvæ à Cæſare acciderant, diſſimulatione transmitteret, adeoq; belli cogitationes hac vice deponens, Regni incolas Pace & qviete tandem aliqvandò frui pateretur; plus virium, occulto qvodam augmine, & velut alluvione, in Regni viſceribus nec ſentienti accreturum, qvàm, feliciſſimo licet belli eventu, per extranearum dicionum acceſſionem, ſperare aut ſibi polliceri poſſet. Nempè, non in ſubditorum modò animis, jampridem ob egregia Regis facinora enatum, amorem & benevolum affectum maxima incrementa ſumturum; ſed & Regnum ipſum, vocatione à militiæ muneribus, aliisq; oneribus ac incommodis, qvæ bellum neceſſariò ſecum invehat, incolis præſtitâ, Viris, viribus, opibus validè locupletatum iri: Adeò, ut Rex non omnibus modò finitimis, ſed longè qvoq; diſſitis, Regibus, Populisq; admirationi ac venerationi mox futurus ſit. Deniqve ſi qværatur; facile confectu, necne, bellum ſit, qvod inſtet? Haud ambigi, qvin Regi immineat bellum grave, atrox, diuturnum; cujus initium facere in proclivi qvidem, aſt, ſemel excitatum ſopire, non perinde in alterutrius poteſtate: Cum hoſte, non potentiſſimo tantùm, ſed etiam arrogantiæ, crudelitatis, pertinaciæ pleno; Cæſare, nimirùm, & Domo Auſtriaca. Hunc hoſtem proteſtantes Germaniæ Electores, Principes, Ordines ſub jugum jam redegiſſe: Hunc, Religionis prætextu, Pontificiorum animos ſibi conciliaſſe: Hunc, totius Germaniæ armis, viribus, opibus fretum, non in annum aut annos paucos, ſed luſtra aliqvammulta cum Rege bellaturum. Nec prælio uno, alterove, ſed bello, imò bellis aliqvot vincendum illi, qvi hunc penitùs in ordinem redactum velit. Qvantum enim hujus hoſtis robur, ex eo conſtare: Qvod, exercitu licet non uno adverſùs finitimos Germaniâ emiſſo, adhuc non inopiâ militum, ſed abundantiâ laboraret. Hanc ergò hydram, qvæ, delecto

uno

uno alterove, novos mox exercitus parturiret, Regi debellandum fore. Nec dubium tamen ullum superesse, qvin inclyta Regis virtus, & heroicus animus, qui ad nullum unqvam hostem expaverint, huic quoque bello profligãdo pares futuri sint: Regem tamen, utpote hominem, humanæ quoq; sortis memorem esse debere; à qua non magis, ac qvisqvam infimorum hominum, immunis existat. Perpenderet itaq; animo secum, si in periculoso hoc bello (qvod Deus clementer avertere dignaretur) casus infelicior ipsum contingeret, aut immatura fata aliàs, ante belli terminum, ex hac mortalitate abriperent, unicam suam Filiam in primis cunabulis, ut orphanam, sine Patre, hostium injuriis expositam, ac Regnum, sine Rege, immensis difficultatibus implicatum, relicturum.

Econtrà generosus Regis animus, injuriarum impatiens, ad belli consilia, decora magis, qvàm tuta, inclinare. Nempè, ajebat Rex & qvi Regis sententiæ astipulabantur, *si qvis præteritas Cæsaris aut Cæsarianorum actiones memoriâ repeteret, clarè perspecturum: Ab aliqvot jam annis periclitatos Regis patientiam, & exiguis tentamentis prolusisse insigni, qvam postremò intulerint, injuriæ. Literas Regis primò interceptas ac reseratas, non mediocri ipsius contumeliâ; Polonos adversus Regem verbis animatos, milite armisq; adjutos, Regi verò militum armorumve commercio interdictum: Qvæ qvidem dissimulaverit Rex, sed gradum struxisse ad atrociora. Mox enim hosti apertè missa auxilia; velut tirocinium secuturæ majoris hostilitatis: Subditos qvippè Regis spoliatos & hostiliter habitos; jura & Regalia violata; consangvineos, vicinos, amicos, oppressos, expulsos. Cumq; aliam, qvàm armorum, viam, primis motibus sedandis ingrederetur Rex, lenia hæc remedia exasperâsse morbum, non sanâsse: Oratores namqve, dissidiorum seminibus exstirpandis missos, cum ignominiâ rejectos. Iterumq; ad pacifica remedia revolutum Regem, cùm ad Electores Imperii rem deferendo, tum Regni Senatoribus, ut ad Ducem Fridlandiæ Legatum destinarent, permittendo, expertum: Diuturnam patientiam nihil aliud fuisse, qvàm irritamentum furoris. Qvi eò tandem eruperit, ut Cæsar re priùs ipsâ, misso in Borussiam adversùs Regem integro exercitu, qvam verbis apertè hostem se professus sit. Nec hic staturam hostis iniqvitatem, nec, carceribus æqvi honestive semel perruptis, ullum habituram sui modum: Qvin potiùs extrema qvæqve in Regis perniciem molituram. In milites autem, Ducesve minùs commodè conferri culpam, aut labem, his injuriis contractam: Cæsarem namqve, impunitate per dissimulationem ius præstita, agnovisse ac tacitè approbasse illorum improbitatem. Nec alios prætextus, qvi obtentui sumantur, relevare rei indignitatem: Cùm nullus unqvam hostis adeò impudens, aut perfrictæ frontis exstiterit, qvin injustam vim aliqvo justi colore infucaret. Imò contemtum potiùs, qvàm respectum regiæ dignitatis præ se ferre frivolos istos prætextus, ac mania verborum ludibria. Enimverò non ad Famam tantùm pertinere, ne tantas injurias Rex diutius dissimulatione præteriret, sed & ad sui, suorumve subditorum securitatem: Falli enim, qvi vastum hoc incendium, ex immoderata Austriacæ Domus ambitione coortum, in littore sisti, aut baltici maris fluctibus obrui posse, putent. Iam proximas illud littori undas, qvæ Germaniam alluunt, depascere: Et brevi futurum; ut, nisi maritimis Cæsaris apparatibus, qvos in maris baltici portubus struat, maturè obviam eatur, & illi cum prædatrice Hispanorum classe è Dünqverca conjungantur, à Germanico littore, ad extremos usqve sinus Boddici recessus, longè lateq; his flammis arsura sint maria. Nec parùm metuendum, ne invalescens ignis per contagionem seu astu irrepat, seu vi irrumpat in ipsa Sveciæ viscera. Ut ita necessitas suscipiendi hujus belli non, qvod alii opinentur, nulla, sed ingens potiùs sit. Se qvidem, dicebat Rex, malle incendio procul à finibus occurrere, qvàm in limite Regni cum eo digladiari; & foris, qvàm domi hostem habere. Utilitatem sanè hoc bello, aut nullam ostentari, aut exiguam: Si qvis ex prolatione finium illam solummodò metiatur. Regi verò videri, non sine fructu aut emolumento bellum suscipi: Qvo proxima Germaniæ littora in antiqvum statum, qvasi postliminio, reponerentur; navigationi, commerciisq; pristina redderetur libertas; suspectus ac formi-*

formidulosus hostis, qvi baltici maris dominatui manifestò inhiet, finitimis portubus submoveretur; & deniqve optimè consuleretur Regis, nec non Regni Sveciæ, dicionumq; annexarum securitati. Illud verò in confesso qvidem, qvod Regni Sveciæ incolis Pax & qvies grata futura, Regnumq; ipsum per illam, Viris, viribus, opibus, valida incrementa sumturum sit: Sed huic argumento tum locum fore; si armorum, vel arripiendorum, vel omittendorum arbitrium penes Regem staret. Neminem autem, ex veteri dicterio, Pace ulteriùs frui posse, ac vicinus ipsius velit. Adeòq; nec Regem, qvem Cæsar injuriosè prior impetierit. Imò jam rem non penè in eo ampliùs statu; ut, bellum, necne, suscipiendum, deliberare oporteat; Sed qva ratione ac modo commodissimè gerendum, & arma, à Cæsare illata, justioribus armis propulsanda veniant. Ne verò subditis molesta accidant onera, qvæ bello individuâ seqvela comitantur, Regem universalem Ordinum Regni indixisse conventum: Ut illorum consilio in bello suscipiendo non minùs, qvàm in gerendo viribus & opibus utatur. Nec dubitare: Qvin Ordines Regni, si, justâ animorum indignatione moti, bellum in Cæsarem decreverint, pari animorum alacritate subsidia, ad id necessaria, collaturi sint. Bellum qvidem imminere grave, atrox, diuturnum; magnasq; in illius gerendi ratione difficultates ubivis occurrere: Verùm eam magnorum negotiorum, qvale hoc qvoqve, naturam, ut magnas semper difficultates admixtas habeant; nec gloriam, nisi magnis exantlatis laboribus, parari. Palmam, qvò majus pondus incumbit, eò fortiùs sursùm niti: Generosos animos, qvò plus discriminum instat, eò promtiùs adversùm ire. Difficultates tamen has non adeò inexplicabiles, ut vulgò sibi persvasum habeant: Nec tantam Cæsaris potentiam, aut ita solidam ac firmam, qvalis prima fronte appareat. Qvin potiùs magnitudine sua immodicâ laborare hanc molem, & sub onere suo fatiscere, ac ruinam minari. Armorum, qvæ Cæsar longè latèq; circumferat, fulgorem, non conterminorum tantùm Regum, Principum, Rerumpublicarum, sed pontificiorũ qvoqve Romani Imperii Procerum ac Ordinum, qvi fidos Cæsaris asseclas hucusqve se præbuerint, præstringere lumina: Nec invitos passuros, si tandem ab aliqvo modus illis ponatur & meta. Protestantium Electorum, Principum, Ordinum, alios patriâ, bonisve expulsos, ad omnes rerum novandarum occasiones intentos: Reliqvos, sub Austriaco jugo anhelantes, mutationis qvoq;, spe meliorum, avidos. Qvin ipsum Saxoniæ Electorem, constantem ad hæc usqve tempora Cæsareæ auctoritatis propugnatorem, tam vicinorum Ordinum, ad patrocinium ejus confugientium, vicem miseratum, qvàm sibi à promulgato nuper edicto Cæsaris, ob ecclesiastica bona detenta, timentem, de pristino confidentiæ, qvâ ergà Cæsarem præceps semper latus fuerit, ardore remisisse aliqvantulum. Hac igitur agitatione discordantium animorum obedientiam, obseqviumq; adversùs Cæsarem, adeòq; status ipsius fundamenta non parum vitii fecisse, at certam, si validiùs impellantur, præmonstrare ruinam. Qvod si arma Regis, Cæsarisve propiùs contemplari, & inter se comparare libeat, utut haud diffitendum, insigne horum robur; ita nihilominùs ad occursum illorum non adeò Regem trepidare, nec spem deponere secundorum successuum. Tria, præter aspirantem divini Numinis auram, ad bellum feliciter gerendum reqvirere peritos bellicorum discriminum Duces: Militem, pecuniam, commeatum. Militem sanè Cæsari adesse copiosissimum; qvi prædæ cupidine, ac lautissimorum hospitiorum illecebrâ in immensum penè se multiplicaverit: Nec, dum horum copia sit, defuturum. His vero deficientibus (prout necessariò eventurum sit, si adversùs Regem in vastam & desolatam ferè maritimam Germaniæ oram deducatur) qva facilitate coierit, dissipatum iri.

Regi verò suppetere imprimis militem domesticum; qvi non modò, ut Dominum, metuat, verùm etiam, ut Patrem, amet ac vereatur: Qvi pro Patria, pro decore, &, tanqvam Principem meritorum atqve virtutis suæ inspectorem habeat, spe gloriæ ac remunerationis, aut castigationis metu, extrema qvæqve sufferre paratus existat. Præter hunc esse Regi ad manum extranearum Nationum legiones: Non ex promiscua turba collectitias, sed veteranorum flore constantes; nec prædæ insvetas, nec de-

liciis innutritas, sed ad utriusq; fortunæ lydium lapidem probatas. Inter istos eminere Germanos; plerosq; ex illorum hominum sorte: Qvi à primis civilium in Germania bellorum cunabulis, adversùs Cæsarem in acie stantes, implacabile ejusdem odium, unà cum suo pariter, hostiumq; sangvine hauserint; & perpetui, inter prospera, inter adversa, Cæsaris hostes, refragante eorum cœptis fortuna, naufragium passi, atqve Patriâ mulctati, in Sveciam se receperint; nec qvicqvam, nisi in armis contra Cæsarem fortiter ac feliciter stringendis, spei reliqvum habeant. Horum odium, desperatione penè conjunctum, qvò altiùs in animis radices egerit, eò violentiùs & pertinaciùs in hostem pugnaturum. Qvod si prædæ qvoqve spes militi ad pugnandum, & adversa qvæqve tolerandum, calcar addat (ut certè, addere, nemo negaverit) à Cæsarianorum partibus ferè nullam esse: Cum miles regius ferro magis, qvam auro, oneratus incedat. Regiis verò ingentem ostentari: Qvippe qvibus exercitus, totius Germaniæ spoliis dives, & castra, omnis generis opulentiâ referta, ut hortamenta victoriæ, objiciantur. Porrò rei pecuniariæ fundamentum Cæsarianos hucusqve unicè collocasse in militaribus exactionibus & contributionibus: Qvæ, utpote immodicæ, enormes, & cum summa Ordinum oppressione conjunctæ in longum duraturæ non sint; maximè si, externo ingruente bello, interni qvoqve motus hac occasione suboriantur. Tunc enim ingens istud ac informe militiæ corpus, velut sangvine succisis venis exhaustum, exariturum, ac viribus omnibus destitutum iri. Regi verò ærarii subsidia, ut modica, ita certa esse, ipsaq; frugalitate, qva administrentur, majora effici. Militem qvippe regium exiguis, si cum antiqvo modo conferas, stipendiis assvetum; aliqvandò etiam loco menstrui stipendii certis ad singula decendia pensionibus contentum vivere: Imò sæpiùs, commeatu aliqvo tantummodò præbito; modò aliàs paululum habeat, unde vitam tolerare possit. Qvin bellum, qvod extra fines geratur, bello ipso ali: Et, utut provinciæ, in qvas transferendum, à Cæsarianis ferè expilatæ, aliqva forsan, conqvisitis reliqviis, adhuc repertum iri media; per qvæ, si non in totum, certè ex parte sustentetur. Commeatum qvod attinet, parem utriusqve exercitus penè futuram condicionem: Cæsarianos etenim maritimis in oris, nec sibi, nec Regiis qvicqvam fecisse reliqvi. Hoc solùm inter hos, illosve intercedere discriminis. Qvod Cæsarianis commeatus è longinqvis locis, terrâ & curribus, aut certè exiguis naviculis, per varios fluviorum anfractus subvehendus veniat: Id autem qvàm difficile & laboriosum, nosse, qvi periculum fecerint. Regi econtrà ac Regiis, qvicqvid ad vitam sustentandam necessarium videatur, mari longè expeditiùs præsto fore. Deniqve, aut modicis & paribus copiis occursurum Cæsarem: Aut majoribus, & tanto militum robore; cum qvo acie confligere, haud consultum Rex putet. Si cum paribus: Regem, causæ bonitati ac virtuti militum confisum, intrepidè in eum moturum, &, cum bono Deo, facilè parem, aut superiorem futurum. Si cum majoribus: Intra castra otiosè desidendo, absqve sangvine reportaturum lauream. Cū hostis in regione, grandi exercitui alendo impare, ipsemet, commeatus pabulive inopiâ, vires suas consumturus, & viam eidem ad victoriam straturus sit. Ultimò, qvod ad se spectet, personamq; ac incolumitatem suam, ajebat Rex, *nunqvam sanè reformidasse mortem pro Patria, cui vitam deberet: Ejus rei documenta, sangvinem, qvem toties ubertim profuderit; & cicatrices, qvas corpore gestet. Verbo DEI verò edoctum: Ne pilum qvidem è capite suo, absqve summi Numinis providentia in terram cadere; multò minùs adversi sibi qvicqvam accidere posse. Summum Fatorum Dispensatorem in multis periculis, propitiâ alarum umbra, personam suam hucusqve protexisse: Eidem incolumitatem suam, siqvidem ipsius honori, Religioni ac Patriæ conducecret, imposterùm curæ fore. Qvod si DEO ita visum, tanqvam strenuum militem, Imperatorem hunc suum vocantem eò confidentiùs & alacriùs secuturum: Qvod præsentes, absentes Regni sui Senatores, qvorum fideli consilio & opera hactenùs usus sit, post se; & ita nec filiam paternâ cura, nec Regnum gubernatrice prudentia planè viduata relinqveret. Firmam qvoqve in illis collocasse fiduciam: Sobolem suam unicam, in pupillari ætate constitutam, amore ac*

re ac sollicitudine patria complexurus; perinde ut affectu, providentiâ, beneficiis Patrem ipse erga universos & singulos se gesſisſet.

Vicit hæc ſententia, Regis, in bellum heroico qvodam, divinitus infuſo, ſpiritu ruentis, ardore roborata, in ſecretiori conſilio: Nec in Svecia diverſi à Regis mente animorum motus exſtitêre.

Comitiorum in Svecia, de bello Germanico decretum

7. Qvippe Rex Ordinibus Regni, habitis hoc tempore comitiis, per Delegatos injurias, indignitatesve, qvas tam ante misſa Stralesfundenſibus ſubſidia, qvàm poſtea multifariàm fuiſſet pasſus, & qvas, ad pernicioſas ad mare balticum machinationes, impoſterùm ſibi ab illis metueret, expoſuerat; mentem ſuam de his ut liberè expromerent, qvidve è re ſua Regnive arbitrarentur, poſtulans. Qvi, re in conſultationem deductâ, & exactè penſatâ, de bello iſthoc decreverunt ſeqventem in modum. *Qvam humillimè ſanè Regi ſupplicare: Ut omnia priùs experiri, qvam armis vellet, &, ſi qvæ honeſta componendorum amica via disſidiorum media offerrentur, ne dedignaretur. Qvoniam tamen notorium exiſtat, Cæſarianos & Pontificios, licet Rex jura amicitiæ ac vicinitatis inviolata hucusqve cuſtodierit, nec ulli hoſtilitati dederit anſam, ejusdem Legatis aditum ad Lubecenſem tractatum, non ſine ignominia præcluſisſe, mox validũ exercitum contra eundem immiſisſe in Borusſiam, & indies majores mari facere apparatus, ideò nil magis è re videri; qvam ut Rex econtra bello, terrâ mariq; gerendo, ſe accingeret, & potiùs antecaperet, inq; hoſticum immitteret arma, qvam in finibus Regni ac domi ſuæ præſtolaretur. Qva in re, ad asſiſtendum Regi, ut fideles & obſeqventes ſubditos decet, ſumma animorũ alacritate, promtitudine, concordiâ, paratos fore.*

Et ab eo tempore GUSTAVUS ADOLPHUS, ſecundus ejus nominis, atq; à rerum geſtarum gloria cognomento Magnus, Sveciæ Rex (qvi hucusq; hæſitârat, ac animi dubius fuerat, hoſtem, necne, Cæſarem esſet habiturus) mentem, Paci anteà adhuc intentam, ad belli cogitationes juſtâ indignatione tranſtulit, totusq; in eo fuit: Qvomodo hoſtilia Cæſaris arma, qvæ primus hic ſumſerat, contrariis armis propulſare posſet?

8. Ut verò Religionis ſuæ conſortes, juſtitiam cauſæ, & iniqvas Cæſarianorum molitiones eò clarius cognoſcerent, præter literas, qvibus univerſum Electorum collegium ſalutaverat, Brandenburgicum Electorem ſpeciatim Rex compellabat: Recenſitis ſummatim, qvas hactenùs, à Cæſarianis pasſus, disſimulârat, injuriis, hanc ultimam, qvæ, infeſtis, Duce Arnhemio, ſignis motis, exercituq; adverſus ſe ducto, illata fuerat, maximè exaggerans. *Invaſisſe*, nimirùm, *Cæſarianos nil minùs cogitantem: Ac oppugnare, non denunciata hoſtilitate, nec ulla innocentiæ ratione habita. Sed qvò pateret, nullum ipſorum cupiditati exſtirpandæ Religionis purioris, & ambitioni, libidinive proferendi dominatus terminum præſtitutum, etiam adversùs exteros Reges atqve Regna ſe convertisſe: Ut, æqvitatis rationibus ſuisq; deq; habitis, bellum iſthuc ferant, qvò qvemqve ſua voluptas, & cupido, ſpesq; tulerit. Non de Polonis qveri; qvi hoſtes, qvosve hoſtilia moliri non miretur: De Cæſarianis qveri; qvi bellum immerenti & amico inferant, nulla lacesſiti injuria, nec bello denunciato. Hanc autem qverelam ut apud Electorem deponat, non modò ſvaſisſe ejus in Imperio Romano ſummam auctoritatem, dignitatemve; ſed & affectus, amoris mutui, nec non Religionis, qvæ cum illo intercedat, communionem: Unde certò collegerit; hosce Cæſarianorum procesſus adversùm ſe illi diſplicituros, eumve ſi partis adverſæ deſtinata permitterent, ſtudioſè enixurum; ut malis hisce opportunum adhibeatur remedium.*

Regis ad Electorē Brandenburgicum literæ.

In bellum ergò Germanicum totus verſus Rex, ut præſenti hoſte ſe exoneraret, induciis, qvæ cum Polonis tunc agitabantur, eò procliviores aures præbuit: Ita ut, menſe Septembri, ad ſexennium concluſæ, ſolenni pacto convento ſancirentur.

Induciæ cum Polonis initæ.

9. Rebus cum Polonis, veteri hoſte, ad tempus hac ratione tranſactis, in Sveciam, qvò novo bello, totis viribus gerendo, eò promtiùs accingeretur,

Belli à parte Regis præparatoria.

retur, Regi transfretare visum: Regni Cancellario in Borussia ProRege relicto. Nec numerosas, qvas in Borussia & Livonia hucusq; aluerat, copias, externo milite constantes, exauctorandum, sed novas potius prioribus addendum censebat. Qvem conatum enixè juvit, qvod Poloniæ Rex, Elector Brandenburgicus, & Gedanenses universum penè militem suum, qvia, factis induciis, non usui amplius, sed oneri erat, dimitterent: Sacramento enim hoc solutus, Regi nomina sine mora dabat. Non pristinæ itaq; tantummodò peditum legiones, insigni supplemento, adjectis ad singulas qvasq; qvatuor cohortibus, seu qvaternione signorum, auctæ: Sed & novæ aliqvammultæ, sub Vitztumio, Dargitzio, Rossio, juniore Wallensteinio, aliis Ducibus, magnâ celeritate conscriptæ. Jam qvoq; in Belgio tres nigræ (ut vocabantur) legiones, Falckenbergio, Hallio, & Nicolao Theodorici (qvem nobilitate & Sperreuterii cognomine postmodum Rex insignivit) ductu, paratæ ad Regis nutum, & in procinctu stabant. Nec minùs Leslæus, Svecicæ apud Stralesundenses militiæ Gubernator, Duvalii fratres, Crichbomius, Mitschefalius, Tribuni, & SubTribunus Chemnitius, deniq; novissimus omnium Cniphusius, generalis vigiliarum Præfectus, in Urbibus maritimis, Hamburgo, Lubecâ, Bremâ, Embdâ sedulam navare operá colligendo militi, ex omni parte copiosissimè confluenti: Qvin & eqvitum qvædam alæ, licet extra Stralesundam vix glebam terræ in Germania adhuc possideret Svecus, mirâ felicitate in eadem Urbe coire. Neqvicqvam in hos Regis ac Regiorum conatus, diris proscriptionis seu Banni minaciis fulminantibus Cæsarianis: Qvippe cum in Regem affectu pronus miles, ingentisq; expectationis ac spei de eodem repletus, susq; deq; hæc omnia haberet.

Commerciorum ad portus, hosti infessos, inhibitio.

Ut qvoq; omni bellico, si qvod per mare, firmando hosti, venire poterat, subsidio hac via eundem nudaret Rex, Edicto publicato, Mercatoribus navigationem & commercia ad portus, qvos Cæsariani milite insederant, qvales Stolpæ, Colbergæ, Camini, Wolgasti, Gryphiswaldiæ, Rostochij, & Wismariæ erant, adjectâ publicationis mercium & navium pœnâ, severè interdixit: Solis Stralesundensibus absolutè liberum eorundem usum relinqvens. Sedinensibus qvidem similiter, sub certa tamen condicione: Ut, scilicet, unusqvisq;, eo portu utens, nec Wolgastum se appulisse, nec qvicqvam eò mercium, qvocunq; modo, transtulisse, expressum testimonium secum ferret.

Exigua propè Stralesundam certamina.

Qvemadmodum autem, ubi sæva mari tempestas imminet, principio, crispante se æqvore, malacia sensim turbatur ac deperit; mox, insurgentibus magis magisq; ventis, altiùs attolluntur undæ: Donec, incumbente omni vi hiemis, horribili mugitu vasta ad littus feruntur fluctuum volumina, &ætheri penè mare miscetur. Ita, sævâ imminente bellorum tempestate, postqvàm nondum bellum qvidem apertè cœperat, propter varia tamen, inter Svecos ac Cæsarianos orta, turbamenta jam Pax esse desierat, animorum exacerbatio, exinde emergens, indies augeri atq; incrementa sumere: Cúq; arma Svecica, ab initio, intra defensionis carceres Stralesundæ se continuissent, hostilitates sensim insurgere, in majus tractu temporis attolli, & extra qvoq; Urbis exundare pomœria.

Cæsariani sanè, ubicunq; se offerret occasio, Svecis, Stralesundæ commorantibus, hostilitatem plenis propinare faucibus: Velut jam mense Julio, Anni millesimi, sexcentesimi, vicesimi noni, Götzius, Cæsaris Tribunus, ducentorum Svecicorum militum manum, qvam Urbis Præfectus, Leslæus, Ductore Marnaisio, suæ legionis Centurione, pabulatum emiserat, eqvitum aliqvot turmis è vicina silva (Vogelsangum à cantu avium appellatur) de improviso circumfusam, profligaverat; cæsis ad qvadraginta, & octoginta captis. Vicissim ipsi, sicubi fortè incautiùs in vicinia se gererent, non impunè ferre, sed eandem cladis aleam sæpiculè experiri.

Inter alia Stralesundenses eqvites & dracones (ita militum hoc genus, à velocitate simul, & igneâ lethiferâq; longiorum tuborum, qvos gerunt, vi, Gallos Italosve imitati, & nunc,

nunc, & deinceps dicemus) mense octobri, Falckenbergii, sub prædicto Götzio eqvitum Magistri alam, Papenhagæ, pago propè Franciscoburgũ & Richtenbergam sito, oppressère. Trucidati hostiũ ad triginta: Nec pauci in captivitatem Stralesundam abducti.

Iterum, seqvente mense Decembri, idem Leslæus, certior factus, alam eqvitum gravis armaturæ, è Ferdinandi de Capua legione, haud procul Gryphisvaldiâ in pago qvodam hospitari; inde in Rugiam transmissuram, ibiq; hibernaturam: De opprimendâ consilium iniit; delectis ad hunc finem ex utraq; Tribuni Duvalii, & nobilis à Platen, Magistri eqvitum alâ centum eqvitibus, qvibus viginti dracones additi. Hi, ejusdem Magistri eqvitum ductu, pridie nonarum Decembris, sub noctis conticinium Stralesundâ egressi, & penè Gryphisvaldiam usq; excurrentes, Carcdorffii, qvi pagus unicum modò milliare ab eadem Urbe distat, duodecim hostiles pedites palantes offendêre: A qvibus illis cognitum; eqvites, qvos tanto ambitu qvæsierant, jam à tergo relictos, Reindorffii, dimidio Stralesundam inter ac Gryphisvaldiam itinere, eâ nocte habuisse hospitium. Nullâ igitur intermissâ morâ viam retrò legêre; in ipso diei ac noctis divortio hostem, ascendendis eqvis signum tubâ jam dantem, ferociter aggressi: Felici adeò successu, ut eqvitum Magister, Abrahamus Schönickel, cum Legato, ac Vexillifero suo, nec non sexaginta sex eqvitibus, in manus eorum vivus devenerit. Reliqvi hujus alæ, qvæ centum viginti duobus capitibus constabat, occidione occisi: Uno excepto Decano; qvi, denis aut duodenis circiter gregariis comitantibus, præpeti fugâ, seu morti, seu captivitati se eripuit. Regiorum eqvitum non ultra qvatuor, & draconum unus modò, desiderati.

Hæc & similia certamina erant exigua velut præludia tempestatis; coeuntibus ad Septentrionẽ ex omni parte nimbis, in Cæsarianos mox longè impetuosiùs ruituræ.

10. In Pomerania, sub hoc tempus, ob Cæsareum militem illic hospitantem, annona, qvò longius, eò magis, magisq; ingravescere, & fames irrepere sensim, ipsiq; incolæ, hospitum horum insolentiâ ac licentiâ dirum in modum affligi. Hinc Dux Pomeraniæ apud Fridlandium exonerandi incommodo territorii impensè satagere: Sed neqvicqvam. Discrimen enim, qvod à Rege Sveciæ immineret, obtendi: Nec etenim pactionem, cum Fridlandio à Stralsundensibus conventam, servatam, nec præsidium Svecicum Urbe eductum. Qvare cæsareis copiis remanendi qvoq; in Pomerania, Regisq; invigilandi conatibus imponeretur necessitas.

Dux Pomeraniæ militis Cæsarei, provinciâ educendi, frustra satagit.

His motus Pomeraniæ Dux, Philippo Hornio, citerioris Pomeraniæ Cancellario, Brandenburgicum Electorem suo missu in Borussia adeunti, ad Regni Sveciæ Cancellarium, qvi, in Regis absentia Borussiæ, armis regiis partæ, moderabatur, simul literas fiduciæ & mandata dedit, injungens: Inducere niteretur Regni Cancellarium, ut, transactioni cum Stralsundensibus initæ paulò æqvior, deductionem regii militis ex Urbe apud Regem maturaret.

Ejus postulatum à Regni Cancellario, de Stralesundâ præsidio regio liberandâ.

Cujus propositioni seqventem in sensum à Regni Cancellario respõsum.

Hujus responsum.

Non mediocriter affici Ducis Pomeraniæ & Pomeranorum miseriis: Nec Regis sui scopum, per auxilia, Urbi Stralsundensi lata, bello immisceri Germanico, sed propriæ tantummodò in mari baltico ejusve portubus consulere securitati; vicinamq; Stralesundæ Urbem, veteri necessitudine, & mutuo commerciorum usu Regno Sveciæ connexam, in pristino conservare statu ac libertate. A Rege sibi injunctum, de transactione Stralesundẽsi accuratiùs inqvirere, & certi qvid statuere: Verùm, neqve Urbi, neqve conterminis Regnis ac provinciis, ad mare balticum sitis, satis aut solidè eâ cautum. Compluribus enim refertam suspectis clausulis: Ad hæc tacitè innuere, qvasi Rex injustæ causæ patrocinetur: Rege insuper, cujus vel maximè hoc bello intersit, inconsulto ac inscio initam. Regem politicarum strophārum haud adeò rudem; ut status sui fundamentum in mortalis cujusqvam, qvantæcunq; dignationis seu auctoritatis tandem sit, verbis aut scripto collocet: Sed rei potiùs ipsi insistere, optimũq; arbitrari securitatis vinculum; armari contra armantem,

mantem, aut utrinq; deponi arma. Nam, sicubi vicinus, utut summa necessitudine junctus, ad bellum accingatur, nec ipsum stare inermem: Alioqvin periculosum fore, alteri nudas literas, arma relinqvere alteri; & horum violentiæ opponere velle fragile verbalis aut scripturariæ cautionis scutum. Si obtineri possit omnimoda cæsarei militis è Pomerania deductio, nec Regis suppetias vel momentum Stralesundæ hæsuras: Sin minùs; præsidium Urbi non tantum non exemtum, sed &, propriæ tutelæ causâ, auctũ iri: Dum aut universali in Imperio Romano Pace, aut alia qvavis ratione res ex bono & æqvo decideretur. Regem haud laborare de Urbe Imperio subtrahenda, sed conservanda potiùs, & portu in suo statu, commerciorumq; pristina libertate adversus turbatores asserendis; Qvò præceptus jam animo adversæ partis dominatus, & plus ultrà grassandi libido intra antiqvos coerceretur terminos: Nec Civitatem, auxilia ipsius anxiè implorantem dejuvare, aut voluisse, aut potuisse; qvæ adversus Cæsaris mandatum injusta vi manifestò oppugnata ac coangustata fuerit. Fœdus Regis cum Stralesundensibus nudam solùm defensionem præferre: Nec, ut Civitas qvaqva ratione ab Imperio abalienaretur, percussum, sed ut mari baltico sua sibi maneret sarta, tecta securitas.

Electorũ responsum ad Regis literas.

11. Inter hæc specula qvædam Pacis aliunde, & ab Electorum Collegio affulsit: Sed evanida, & qvæ in fumum mox abiit, ventosve. Electores enim, dato ad superiores Regis literas brevi responso, intentionem ejus de stabilienda & inviolabiliter conservanda Pacis cum vicinis Romani Imperii Principibus ac Ordinibus securitate, strictim laudârunt; nec sibi qvicqvam prius & antiqvius, aut fuisse, aut etiamnum esse, qvàm eandem amicitiam, Pacisq; firmitatem religiosè vicissim servare, ostenderunt: Qvæ sopiendis tamen primis belli igniculis, & averruncando ingruenti malo maximè erant, indignitatum, nempè, & injuriarum, Regi à Cæsariano milite multifariàm illatarum, opportuna remedia, alto silentio transmittentes. Nec parum qvoq; Regem momordit, qvod inscriptio literarum exterior titulum, qvi Speciæ Regibus more antiqvo tribuitur, non omninò præferret: Qvasi per contemtum omissus foret.

Haud paulò majoris momenti visus conventus, motuum horum componendorum, Daniæ Regis interventu, Gedani, ad mensem Majum Anni à Christo nato millesimi, sexcentesimi, tricesimi, institutus. Tractatus Pacis Gedani, Regis Daniæ interventu, institutus.

Rex qvippe Daniæ, postqvàm cum Cæsarianis Lubecæ de Pace trãsegerat, Regem Speciæ de eo mox certiorem faciebat; literis suis annectens: *Ipsius quoqve rationẽ à se habitam, securitatiq; prospectum; modò intra trimestre tempus pacta, Lubecæ inita, haberet rata.* Literæ ejus, cum Rege Speciæ, post Lubecensem transactionem communicatæ.

Accidit sub idem tempus, qvo literæ hæ, Pacem præferentes, ad Regem Speciæ perlatæ, Arnheimium Campiductorem, cum valido Cæsarianorum exercitũ Borussiam irrumpere. Et insolens Regi Speciæ videbatur: Hinc de Pace verbis spem fieri; illinc à Cæsarianis, velut hostilitatem publicitùs professis, bellum & infesta arma facto ipso inferri. Qvapropter responsum ad superiores Daniæ Regis literas eò magis maturandum duxit: Gratiis primum pro communicatione actis, *neqvaqvàm se ambigere*, subjungens; *qvin Regi Daniæ maris baltici securitas (cui, tanqvam fundamento, utriusqve Regis ac Regni, nec non vicinorum salus, fortunæve innitantur) in transactione inita cordi fuerit ac curæ. Haud tamen latere Daniæ Regem, qvanta promtitudine ad Pacis opus pro virili parte promovendum ipsemet se obtulerit, & maris baltici securitati, sui aliorumve, qvorum interfit, causa, prospecturus, Commissarios certos Lubecam destinârit. Qvia verò hi, præter opinionem suam, tum contra omne fas & æqvum, inde rejecti, mox insonti & innoxio hostilia insuper arma à Cæsarianis illata sint, ideò haud satis capere: Qvi in transactione Lubecensi sui habita fuerit ratio? Regem itaqve Daniæ boni & fidi vicini functurum officio, si Pacis Lubecensis conditiones & pacta ipsi communicaret: Ex qvorum tenore perspicere & statuere apud se posset; qvid sibi imposterùm agendum, & qva ratione sui in illis facta esset mentio?*

Interim

Interim haud aliud quærere, qvàm ut amicitiæ & vicinitatis jura cum Cæsare non minùs, ac aliis, sarta tecta manerent: Modò non armis ultrò impeteretur, & mari baltico, discrimine omni bellorum longè submoto, re ipsa pristina relinqueretur securitas. Gratissimum quoq; fore, si Daniæ Rex, non in Regis modo Sveciæ gratiam, sed suimet ipsius, suorumve Regnorum causâ, aut, quæ huc duceret, in tractatu Lubecensi jam institisset viam, aut adhucdum porrò insistere haud gravaretur.

Ad istud Regis Sveciæ responsum Daniæ Rex, transmisso simul pactorum Lubecensium exemplari, regerens, de securitate qvidem maris baltici mentem suam hactenus explicabat, ut scriberet: *Inter nuperum Pacis tractatum, tempore haud satis commodo, minimè necessarium, qvin & abs re existimasse, articuli hujus mentionem injicere; de qvo ipsimet adversarii controversiam movere, supersederint. Nec de jure tamen suo ullatenùs ob id decessisse, sed, oblatâ commodâ occasione, tam de sartis tectis conservandis Regalibus suis in mari baltico, qvàm securitate Septentrionalium Regnorum, summâ & impensa curâ, sed bono nihilominùs modo, sollicitum fore. Qvod Regis Sveciæ Commissarii Lubecæ non admissi sint (excusantibus licet, defectu mandati, factum hoc Cæsaris Subdelegatis) ægrè admodùm ferre; nec minùs, qvod copiæ nonnullæ Cæsareæ adversùs eundem in Borussiam militatum ierint: Licet hæ quoq; qvando Pax Lubecæ nondum coierat, illuc ductæ, &, missione à Cæsare impetrata, in Polonorum stipendia, præstito iis juramento, omnimodò transcriptæ ferantur.* His demum sub finem addiderat Daniæ Rex · *Nulli operæ aut labori parsurum; ut diffidentiæ ac dissidiorum flamma, quæ, inter Cæsarem Regemq; Sveciæ enata, gliscere magis magisq; cœperat, in ipso exortu restingveretur.*

Deduxerat qvoq; eò rem cum tempore hæc Regis Daniæ interpositio, ut de Pacis tractatu instituendo inter Regem Sveciæ ac Cæsarem tandem conveniret: Cui Gedani Civitas, ut, Regis inter territorium, in Borussia armis partum, & Pomeraniam, Cæsarianis possessam, sita, locus utriq; parti visus haud incommodus.

12. Eadem ipsa hinc sperata Pax Regis animum, belli jam antea certum, non parum suspensum denuò & dubium reddebat: Impetusne in Germaniam, ad qvem faciendum in procinctu stabat, aliqvantisper cohibendus, & hostilia arma sustinenda essent; donec de tractatus hujus eventu constaret? Regis, de armis necne suspendendis, deliberatio.

Erant, qvi bellum eousq; differendum svaderent. *Qvanqvam enim Cæsar multimodis, & anno maximè præterito, hostili exercitu in Borussiam immisso, sat superq; causæ dedisset Regi arma corripiendi, & illatam sibi vim contraria vi propulsandi, qvapropter jam eo tempore à Rege in Cæsarem bellum, communi Ordinum Regni consensu, decretum fuerit; nihilominùs, qvia Cæsar, Daniæ Regis interventu, non alienum ab amica compositione præ se ferre videatur animum, à Regis partibus eò manifestiùs staturam Justitiæ ac Æqvitatis opinionem, si armorum impetum eousque refrenaret: Donec ista quoque juris sui conseqvendi spes decollasset, nec ullum, nisi in armis, relinqveretur præsidium. Utut enim Cæsari Pax, quam ore jactabat, cordi haud esset, nec æqui qvicqvam ab eo impetrari posset: Tantò tamen magis Regem, ratione malorum, qvæ bellum subseqvuntur, coram DEO & hominibus excusatum; subditosq; in manifesto hoc inævitabilis ac summè necessariæ defensionis casu, ad conferenda militum, opumve subsidia, tantò promptiores fore. Nec parum refectum iri eorundem animos ac vires, si vel modicam tantùm qvietem, & pauxillum respirandi spatium nacti fuerint: Sed non secùs, ac si jumenta, laboribus fessa, interjungas, longè acrius & alacrius ad consveta belli munia atque onera redituros. Dilatione autem hac belli rerum gerendarum occasionem haudqvaqvam omitti: Regi qvippè integrum manere, ut, qvandocunqve placeat, arma in Germaniam transferre, ac Cæsari inferre bellum possit; Stralesunda ab ejus partibus stante. Portum enim Stralesundensem portam esse Germaniæ: Qvo qvamdiu potiatur Rex, tamdiu irrumpere pro lubitu possit; tamdiu obserandi vel reserandi belli claves à cingulo se gestare, eidem gloriari*

gloriari liceat. Non tamen, prætextu hujus tractatus, & suspensione armorum eapropter placitâ, aut cogitationes omnes belli è mente, & arma è manibus deponenda; aut supervacaneo milite onerandum Regis ærarium. Svecum enim ac Finnonem militem, equitem peditemq́, domum qvisq; suam remitti, ibi q́ excolendæ, & prole atqve fructibus augendæ patriæ terræ vacare posse: Unde viribus, animis, numero auctior ad Regis nutum indies, imò in horas præsto sit. Germano & alio extraneo pedite fines, munitave in Borussia & Livonia loca firmandum: Qvæ aliàs, etiam tempore Induciarum, sine militari præsidio relinqvi neqveant. Qvod si equitatu Germanico penitùs carere nollet Rex, superesse adhuc media; qvibus, delectu habito, ad mille eorundem, in Borussiam ac Livoniam certis stationibus distributi, exiguo ærarii regii & provinciarum sensu, sustentari qveant.

Econtrà alii cum Rege in alteram partem propendere; hac potissimùm ratione moti: Qvod, *longiore armorum dilatione Cæsaris vires auctum ac stabilitum, Regis verò debilitatum ac minutum iri*, perspicuè viderent. *Cæsari qvidem qvid animi erga Regem ac Regnum Sveciæ, qvidve ab illo imposterùm exspectandum foret, ex præteritis ejus actionibus satis dispalescere: Nec ullatenus ambigendum, qvin, Danici belli curâ solutus, hostis esse, ac bellum inferre, qvàm Pacem colere malit; qvi, eo adhuc implicatus, Regem injuriis haud tolerandis, sine causa, lacessierit. Qvò verò longior illi concederetur armorum pausa, eò validiorem effici, eò majora subministratum iri media, Ut efficaciùs hostis esse, & bellum inferre possit. Adeoqve spem tractatus Gedanensis à Cæsarianis dubio procul ostentari, non seriâ conseqvendæ Pacis cupidine, sed lucrando tempori: Qvò res suas in Imperio stabiliant, & cumprimis ad mare balticum magis, magisq; firment pedem. Advertendum enim hic: Cæsaris militiam, utut externa specie validam, inordinatâ tamen & enormi protestantium Ordinum oppressione niti; fragili, nec duraturo in longum fundamento. Electores namq;, Principes, ac Ordines injectum hoc jugum ægerrimè ferre: Nec ullum superesse dubium, qvin, simul ac spes qvædam liberationis eminùs affulserit, summis viribus pro se qvisq; sint allaboraturi, ad emergendum è durissimæ servitutis compedibus. Qvod si fieret, Cæsaris militiam, belli subsidiis destitutam, instar gigantei corporis, cui nervi ac arteriæ, aut proceræ & umbrosæ arboris, cui radices succiduntur, pessundatum, suaq; mole oppressum iri. Sin diuturnior mora bello interveniret, qvi, patriam Libertatem constanti animo propugnando, inter Cæsaris adversarios in Germania familiam ducant, aut fata suo fungentes cum tempore, aut viribus aliàs omninò fractos, exoneraturos Cæsarem rebellionis, ipsorum instinctu exorituræ, metu: Reliqvos, depositâ Austriaci dominatus infringendi spe, jugum, qvod evitare non detur, obseqviosè subituros, patienter deinceps laturos, & præsentem qvalemcunqve, tutum tamen & periculorum expertem statum, prælaturos futuræ, sed per ancipitem bellorum aleam priùs recuperandæ Libertati. Qvorsum si rem pervenire conniventia Regis longior patiatur, multò difficilius ac obstinatius cum Cæsare bellum futurum. Nec cum classe & apparatibus maritimis secùs comparatum esse. Namqve Cæsarianos navigia bellica ad mare balticum, in Wismariæ portu, exstruere & congregare qvidem cœpisse: Nondum tamen in ipso mari palàm se ostentare ausos. Dominatum itaqve hunc in mare balticum, qvem Austriaca potentia recens enixa sit, in ipsis cunabulis, anteqvam adolescat, & vires sumat, facilè suffocari ac supprimi posse. Qvod si Cæsari tantum spatii & temporis detur, classem validam emoliturum, nec Regi modò Sveciæ, sed & contermino Dano, imò omnibus Nationibus, qvæ mari baltico utuntur, terrori fore. Cunctationem itaqve hic omninò noxiã, inqve illo antiqvi Imperatoris symbolo, Nihil procrastinando, summam positam optati eventus. Non verò eâ intentione hæc dici; qvasi de Pace cogitationes omnes abjiciendæ veniant: Imò verò, qvoniam Cæsariani ejus studium præ se ferant, tractatum, qvi conciliandæ Paci, Rege Daniæ parario, Gedani institui debeat, non tantum non respuendum, sed ambabus etiam ulnis amplectendum. Dubia tamen & lubrica hac spe Pacis arma planè suspendi, id verò periculosum, & neutiqvam è re videri: Qvinimò Pacem*

cem protelo bellorum maturandam, & sub clypeo, casſideq; tractandum. Qvod ad Regis arma; non malum eqvidem conſilium præberi ab iis, qvi Svecum ac Finnonem militem in Patriam, ubi ſobole procreandâ, & terrâ excolendâ, Regi magno uſui, nulli ſumtui futurus ſit, remittendum, fines verò, & alia in Boruſſia ac Livonia loca, qvæ præſidiis carere neqveant, externo milite munienda, ſvadeant: Sed conſilium iſtud collimare tantùm ad conſervationem pedeſtris militiæ externæ, & paucorum forte eqvitum. Jam verò in propatulo, Regem ad qvinqve millia, delibatum eqvitatus extranei florem, habere ſub ſignis: Qvi, ſi arma longiùs ſuſpendantur, aut exauctorandi, aut ſub ſignis retinendi. Exauctorari, haud conſultum: Verendum enim, ne ad Cæſarem transeant, qvantumq; virium regiis armis eo facto decedat, tantum hoſtium vires hoc incremento augeantur. Nec ſanè, ſi Cæſar æqvæ Paci aures præbere nollet (ut hoc caſu, Rege ſe exarmante, non injuriâ metuendum) ſelectas ejusmodi eqveſtres copias, qvæ nunc in numerato habeantur, ubi ſemel dimiſſæ, etiamſi nulli poſtmodùm parceretur ſumtui, facilè iterùm coituras. Sub ſignis retineri, arduum: Qvippe ſolida iis, & ſuo qvoqve tempore, ſine ulla mora, exſolvenda ſtipendia. Cui, in immenſum excreſcenti, ærarium ferendo vix foret. Et tamen vel ſic, corrupto hoc ſeculo, disciplinam militarem ægre ad ungvem ſervatum, asvetumq; laxiori vitæ generi militem ab excurſionibus iri coercitum. Qvantò minùs, ſi ob pecuniæ defectum, aut non ſolida ſemper ſolvi ſtipendia posſent, aut mora aliqvando, vel modica, ſolutioni intercederet? Qvibus caſibus, milite in licentiam effuſo, inter ſubditos murmura, inter finitimos Polonos qverelas excitatum iri, & vulnus, qvod, pactis ad ſexennium Induciis, ægrè in cicatricem coierat, forſan ante præſtitutum tempus recrudeſcere poſſe, metuendum ſit. His de cauſis magis è re videri: Dum Rex milite veterano, extraneo domeſtico, eqvite pedite, armatus in procinctu ſtet, illicò tranſire Rubiconem; hoſtem, adhuc incompoſitum, anteqvàm magis ſe firmaret, bello aggredi; & pro tot damnis ac injuriis illatis, rigidâ armorum via (ſalvo tamen Pacis Tractatu, Gedani inſtituendo) qværere ſatisfactionem.

Poſterior hæc ſententia, præſertim cum rationi, de eqvitatu extraneo ſub ſignis retinendo, nil qvicqvam opponi posſet, præpotuit, & concluſum: Nullo habito Gedanenſis tractatus, mox inſtituendi, reſpectu, arma in Germaniam promovenda; inter arma tamen ipſa, ſub clypeo ac casſide, Paci operam dandum.

13. Ad ſupra ſcriptum Pacis negotium Rex Seciæ Commisſarios deſignaverat Regni Cancellarium, & Boruſſiæ, id temporis, ProRegem, Axelium Oxenſtirna, Gabrielem itidẽ Oxenſtirna, Regni nunc Theſaurarium, utrumq; Baronem, Dominum Carolum Bannerium, & Dominum Petrum Sparrium: Factâ inſuper dicto Regni Cancellario, qvi jam tum præſens in Boruſſia aderat, poteſtate; ut de his, qvæ in negotii veſtibulo diſcuti conſveverunt, cum adverſa parte conveniens, reliqvis Collegis ſuis viam ſterneret ad tractatus ingresſum. A Cæſaris latere, Carolus Hannibal à Dona, Baro, unus & unicus, controverſiis his decidendis, Gedani comparuit. Regis Daniæ, ut Mediatoris, Legati erant, Dominus Ottho Schelius, & Martinus à Meden. Acta Gedanensis tractatus.

Et Cæſaris qvidem mandatarius, diem conventui præſtitutam anticipando, maturè admodùm, currente adhuc menſe Aprili, ad locum condictum venerat. Ipſi verò Mediatores ſeu Pacis pararii, ſatis diu poſt elapſum jam terminum moram traxêre; ineunte demum Julio Gedanum appulſi. Trium, in Svecia negotio huic deſtinatorum, Commisſariorum misſione, parum aberat, qvin omninò ſuperſederet Rex: Audito enim, à Cæſare Baronem Donavium ſolum in loco adesſe, amplisſimam hanc legationem ſupervacuam duxerat, & Regni Cancellario ſoli pariter rei ſummam committere decreverat. Sed ab hoc certior factus, Danicos Mediatores impensè deſiderare reliqvorum Commisſariorum præſentiam, mutatâ ſententiâ, magis

D in ho-

in honorem Regis Daniæ, qvàm qvod necessarium existimaret, propositum illos iter persequi jussit: Qvò, junctis cum Regni Cancellario consiliis, animisve, Paci promovendæ incumberent, nec ulla remoræ, salutari huic negotio injectæ, culpa Regis partibus impingi jure posset. Missi itaq; illi, sed seriùs: Namq; ob deliberationis hujus moram iter eorum integrum mensem dilatum, & adventus in Julium ineuntem usq; prolatus.

Interim, postqvàm de Gedano, ut loco tractatus, utriusq; partis assensu jam convenerat, & ita ex post-facto, paulò ante terminum tractatui præfixum, nonnulla dissidiorum simultatumq; semina, inter Regios ac Gedanenses ex inopinato suborta, apertam qvidem hostilitatem minimè induxerant, amicitiæ tamen jura non parum labefactârant; diffidentiâ in ejus locum surrogatâ: Ita ut, nisi his è medio sublatis, regii Commissarii eò se conferre haud satis tutò, aut commodè posse viderentur. Nec Regni Cancellarium latuit; isthoc obstaculo tractatum Pacis in ipso limine sufflaminatum iri. Qvò ergò tempus lucrifaceret, Regis Daniæ Legatos, simul ac eum de suo Gedanum appulsu certiores reddidêre, literis compellare, è re & tranqvillitate publicâ arbitratus est, humaniter rogans: *Ut ad biduum, seu paucos aliqvot dies Elbingæ ipsum invisere, deq; præparatione tractatus, & his, qvæ eundem necessariò antegredi solent, sermonem conferre, animum inducerent.* Dederat autem harum literarum latori, Johanni Nicodemi, Secretarii tunc munere fungenti, simul in mandatis; difficultatum, qvas inter Regios & Gedanenses enatas suprascripsimus, facere mentionem: Ob isthæc impedimenta, de intermedio loco, qvo utriusq; partis Delegati majori securitate convenirent, forsitan cogitandum fore innuens.

Itaq; ad utrumq; articulum à Daniæ Regis Legatis scripto responsum. Ad primum qvidem, causando; morem Regni Cancellario gerere neutiqvàm posse: *Qvod metus sit, ne Cæsaris Legatus, nonmodò suspicionum ob id, & indignationis impleatur, sed, Gedano recedens, Pacis tractatui tergum planè obvertat. Aliqvoties enim per internuncios Daniæ Regis Legatis significasse: Longam Svecicorum Commissariorum moram in cæsarei nominis contemtum tendere, jamq; ob id à Cæsare se avocatum. Locum porrò tractatus qvod attinet, haud consultum videri de eo mutando, & tractatu aliorsùm transferendo, qvicqvam animo moliri; nec adversam partem mutationi facilè assensuram: Qvippe hunc locum utrinqve placitum; qvo ut tractarent, Cæsaris Legatum, ac ipsos pariter instructos. Sperare autem: Eodem loci utriusqve partis securitati satis, superq; fore prospectum.*

Comiter ad responsum istud Cancellarius regessit, petens: *Ne in seqviorem partem acciperetur sollicitudo, ad qvam optima intentione, saluberrimi, qvod instaret, negotii maturandi, devolutus fuerit. Si qvid in eo peccatum, non ex mala proæresi peccatum, sed communi omnium errore excusari. Ita enim, experientiâ magistrâ, se edoctum: Mediatores & pararios Pacis, absqve ulla suspicione, aut partium offensione, utramqve visitare, separatim cum unaqvaqve conferre, & animos simul ac reliqva, qvæ Paci faciliùs conciliandæ faciunt, præparare solitos. Qvod cæsareus Legatus regiorum Commissariorum moram in Cæsaris contemtum trahat, non minùs mirari, qvàm qvod adeò præcox ante præstitutum diem Gedanum venerit. Qva intentione id factum, & qvænam causa præmaturi adventus, haud satis qvidem Regni Cancellario constare: Interim si qvid tædii inde ceperit, sibimet, haud alteri cuiqvam imputaturum. Loci, qvo tractandum veniret, conjectare, Secretarium suum haud qvaqvam alio fine injecisse mentionem; qvàm ut Daniæ Regis Legatus difficultates nonnullas respectu Gedani, ut loci præstituti, ob oculos poneret. Qva de re, unde impedimentum tractatui haud leve in vestibulo creatum iri, jam eminùs prospiciat, cum iisdem, inter alia, communicare, vel maximè ipsi fuerit propositum.*

Inter-

Inter Regis tamen Sveciæ, & Daniæ, Cæsarisve Commissarios, si securitatem debitam illic loci respicias, insignem reperiri differentiam; ob dissidia inter Svecos & Gedanenses enata, necdum sublata.

Intentio Regis in Gedanensi tractatu

Modico intervallo post exaratas has literas reliqvi Regis Sveciæ Commissarii in Borussia appulerunt: Controversiarum inter Regem & Cæsarem, remoto perniciabili armorum rigore, per amicam compositionis viam consopiendarum, nec Regni modò ac Coronæ Sveciæ, sed vicinarum qvoq; regionum, maximè littoralis oræ, & tam maris baltici, qvàm magni Oceani in pristinam tranqvillitatem ac securitatem restituendorum, firmo ac serio animi proposito. Id qvod ex mandati, à Rege accepti, tenore claret: Cujus summa summarum eò redibat. *Darent operam regii Commissarii, ut, cæsareo milite ex superioris & inferioris Saxoniæ Circulis, & Oldenburgensis, ac Orientalis Frisiæ Comitatibus abducto, immunitateq; iisdem provinciis ab omni imposterùm hospitiorum militarium onere præstitâ, munimentis etiam, qvæcunqve ad mare balticum vel magnum Oceanum, durante hoc bello, excitata essent, ad terram depositis, & armatura navali penitùs cessante, controversia, bonorum ecclesiasticorum, ad utrumq; mare sitorum, nomine exorta, Electoribus, Principibus, Ordinibus Imperii committeretur, ex bono & æqvo decidenda: Si qvis autem præterea delicti in Cæsarem ac Imperium convictus foret, eorundem Electorum, Principum, Ordinum arbitrio, certâ pecuniæ summâ mulctaretur.* Qvo posteriori in articulo *Rex*, ut annò Lubecæ, sic nunc iterum, *pro Ducibus Megapoleos, si mulctâ digni judicati forent, in summam, qvantamcunqve pendere condemnarentur, fidem suam regiam interponi jussit. His conditionibus si Cæsar assensum præberet, è contrario, milite Stralesundâ abducto, Germaniæ finibus omninò excedere, paratum se professus.* Ut verò exorta flamma plurium concursu facilius exstingveretur, *dictis* Commissariis, *non modò Daniæ Regem ut Mediatorem agnoscere, sed & alios Magnates, nimirùm, universum Septem Virorum Collegium, aut Saxonem & Brandenburgicum Electores separatim, Hanseaticas itidem Civitates, Galliæ, magnæ Britanniæ, Poloniæ Reges, liberos confœderati Belgii Ordines, qvin imò Hispaniarum, ut vocant, Infantem, provinciis Germaniæ inferioris, necdum liberis, imperitantem, & Ducem Bavariæ, siqvidem Paci conciliandæ se Pararios offerrent, (qvanqvam suspecti hi, & in Cæsarem animo propensiores) certo modo admittere,* vi regii mandati licebat. Porrò Pacis tractatui promovendo aptissima mandato inserta erat clausula: Videlicet, *sicubi adversæ partis Delegati, non ab ipso Cæsare, sed Duce Fridlandiæ solummodò (ut fama ferebat) instructi comparerent, regiis qvoq; Commissariis, qvi, existimatione regia salva, hoc casu cum inferioris dignationis mandatariis in tractatum descendere non possent, liberum fore; per Subdelegatos, unum, pluresve, secundùm Cæsarianorum numerum, munere suo defungi.* Fortè etiam in mandatis suis à scrupulosis rerum æstimatoribus aliqvid desideratum iri, in mentem Regi venerat. Qvod ne moram Paci injiceret, abundè provisum, & *regii Commissarii, non modo ad Regem curriculò rem omnem referre, defectuumq; secundùm partis adversæ postulata, emendandorum spem illi certam, sed & Mediatoribus liberam concipiendæ mandatorum formulæ, potestatem facere, jussi: Hac tamen cautione; ne insereretur, qvod regiæ dignitati & causæ justitiæ qvodammodò præjudicio foret, aut unde evinci posset, Regi cum Imperio Romano, ejusve membris qvicqvam esse negotii.*

Ex his ut propensum Regis ad Pacem reconciliandam animum ejusdem Commissarii evidenter agnoverant, ita non minùs impensè allaborandum sibi exstimârunt, qvò felicem exitum res sortiretur. Qvâ de causa Regni Cancellarius Daniæ Regis Delegatos, missis denuò literis, de Collegarum adventu certiores reddidit, significans: *Nihil gratius sibi pariter & Collegis fore, qvam si via aliqva aperiretur; qva, aut universis, aut parti eorum cum Danicis Mediatoribus, ad ob-*

ad obstacula omnia, quantum pote, removenda, & tractatus faciendum initium, pedem sermonemve conferre liceret.

Sed perseverabant Dani in priori sententia, *prætextu mandatorum; quæ formam tractatus hunc in modum mutari, neutiqvàm admitterent: Non enim Regi suo venisse in mentem, de loco tractandi qvicqvam suborituram difficultatis; alioqvi in literis fiduciariis & mandatis hunc quoqve nodum facilè explicari potuisse. Ipsos qvidem, ne qvid in se desideraretur, simul ac de obstaculo & remora hac tractatus inaudierint, scripto Regis sui mentem de hoc articulo exqvisitum isse: Nec aliud tamen retulisse responsum, ac priùs. Haud minus cæsarei Legati tentasse animum, num de loco tractatus intermedio assentiri vellet? Sed & hunc in responso, jam antè dato, perstitisse immotum. Videlicet, qvia locus hic omnium trium Magnatum placito tractatui destinatus sit, ab eodem placito recedere, cæsarea dignitate salva, haud sibi fore integrum. Porrò inter utriusve partis Delegatos hinc inde commeare, & ea ratione Paci parandæ operam dare, rem videri, qvæ non insignes modò ipsis, ut Mediatoribus, creatura sit molestias, sed etiam, si has devorare animum inducerent, negotium Pacis in infinitum protractura, & Regis sui dignationi haud parum derogatura. His & aliis de causis haud prospicere: Qvo profectu, aut secundi successus spe, pro tempore, Pacis reconciliandæ suscipi possit negotium.*

Liqvidò sanè ex responso isthoc apparebat, Mediatores rem hac vice omninò habere pro depositâ: Non adhucdum tamen Regis Sveciæ Commissarii spem omnem abjecerunt, sed Secretarium, Johannem Nicodemi, denuò ad eosdem cum literis & certis mandatis ablegantes, longiore, qvam traxerant, morâ suâ comiter excusatâ, consilium eorum mentemve exqvisitum ivere; qvænam ratio aut via ineunda videretur, ut ne, propter obstacula paulò antè memorata, pacificatorius tractatus in ipso ortu, imò ante ortum, vix conceptus, priusqvàm lucem aspiceret, exstingveretur? Nec sanè omninò desperandum erat, modò Dani ulteriorem negotio impendissent operam, medium aliqvod repertum iri; qvod, si non universos, nonnullos certè Svecicorum Commissariorum Gedani sisteret.

Verùm à Daniæ Regis Legatis ad has qvoq; literas eodem modo responsum, qvo priùs; & res omnis in aliud tempus, locumve rejecta. Nec mora longa intercessit, qvando, & his, & Cæsaris Mandatario Gedano discedentibus, spes Pacis, qvæ adeò splendidè eminùs affulgens, plurimorum animos, svavis instar somnii, luserat, in umbram resoluta, evanuit. *Gedanensis tractatus ad irritum cadit.*

Et sanè nos in cæsarei Legati mandata, utpote qvibus, tractatu in primo limine præpedito, lucem publicam videre haud contigit, aut Cæsarianorum intentionem, qvam sub tractatus hujus prætextu forsan fovit, anxiè & scrupulosè haud inqviremus: Oblivione tamen præterire non possumus, qvod Dani Mediatores Secretario ad ipsos misso (velut horribile secretum, nemini revelandum) aperuerant. *In fiduciariis*, nimirùm, *cæsarei Legati literis Regis Sveciæ ne verbulo qvidem factam mentionem, sed Urbis Stralesundæ nomen tantummodò expressum: Qvod Regi Cæsar debitum dignitatis titulum tribuere dedignaretur.* Ut ita Pacis hic tractatus, etiamsi impedimenta de tractandi loco minimè essent exorta, in ipso statim exordio inevitabili huic scopulo impactus, defectu mandati legitimi pessum iturus fuerit. Et forsan Mediatores ea de causa plus operæ in negotio hoc ponere supervacuum arbitrati sunt: Eò faciliùs ob id ipsimet abrumpentes vixdum, ac ne vix qvidem, cœptæ Pacificationis telam.

14. Rex interim non obstante,

qvod de armis, prætextu Gedanensis tractatus, nullatenùs suspendendis in consilio conclusum fuerat, expeditionem militarem, ne motus bellici Pacis opus aliqva interturbarent, non sine temporis, rerumq; jacturâ, aliqvamdiu distulerat; donec, qvò longiùs res trahebatur, eò minus spei reliqvum videret, non sine causa auguratus: Pacem ab adversa parte haud seriò qværi, sed plausibile hoc nomen à Cæsarianis prætendi, ut per totam æstatem eluso & detéto occasio transmittendi

mittendi in Germaniam exercitus simul elaberetur, simul ipsismet eò firmiorem statum, ad arcendum Germaniæ littoribus hostem, capere liceret. Tūc etenim haud diutiùs sibi cunctandum ratus, mari baltico transfretato, Germaniā totis demùm viribus irrupit.

Ultimæ Regis ad Electores, ante adventum ejus in Germaniam, literæ

Priusqvam tamen id fieret, ad electorale Collegium denuò literas dabat. In qvarum limine statim conqvestus; *titulum, qvem, à solo DEO & Majoribus acceptum, viginti jam per annos fortiter sustinuisset, & ad ultimum vitæ terminum constanter porrò tueri esset animatus, ipsi ab Electoribus non tributum* : Porrò *gratum sibi accidere* ostendit; *integritatem suam eos agnoscere, commendareq́, & mutuam offerre amicitiam. Mirari verò & dolere: Qvod ad literarum suarum fundamentum, qvibus indignitates, à Pacis osoribus illatas, pacificis remediis tolli postularat, planè nihil responsum. Qvanqvam ergò interventu Regis Daniæ, in tractatum Pacis, Gedani instituendum, consenserit; optans, adhuc æqvas rationes inveniri, qvibus secura Pax stabiliatur: Priorum tamen temporum ludibriis ob oculos versantibus, nec nisi hac ambiguitate jam accidente, confidere; Electores haud sinistrè accepturos, si aliâ interim viâ securitati suæ propiùs providere cogatur: Donec certiùs caveretur; ne, qvæ præterito anno Borussiam involarant, altiores contra se saltus instituerent aqvilæ. Qvod qvidem dum faciat, in eo semper futurum: Ne culpâ suâ, vel Electoribus, vel ullis aliis amicis, aut ipsi Imperio propterea aliqvod creetur præjudicium. Si tamen ejusmodi contagionis sensus ex parte ad vicina etiam pertingeret, neutiqvam Regi imputarent; qvi tam diuturno id prænuncio caverit. Nunqvam verò à sincera amicitia, cum vicinis colenda, alienum fore: Modò honestè tantum ipsi satisfiat, & vicinia in statum, qvo tot per annos, ante Germanicum bellum pacatè & feliciter steterit, reponatur. Ut igitur Electores præcipua existant capita Imperii Romani, qvorum consiliis libretur mutua Regnorum salus, ita non dubitare: Qvin diligentiùs provisuri sint pro suo, in rem communem, Zelo; ne qvid Respublica christiana imposterùm gravioris accipiat detrimenti.*

Qvibus literis singulari cura prospectum: Ne qvisqvam Electorum, Principum, aut Ordinum Imperii, falsa spe Pacis se deceptum, & inopinatò hostilia passum, conqverendi ansam haberet. Qvantum enim ad Cæsarem; Rex, adversus eum ullâ belli denunciatione opus esse, haud censebat: Qvippe cum, enormiter læsus, in terminis legitimæ & necessariæ defensionis versaretur; Ejusmodi autem bella, non per Fecialem, sed naturam ipsam, qvæ vim vi repellere imperat, denuncientur.

Similiter Rex, anteqvam in Germaniam transiret, causas belli universas, prout, secundùm seriem temporum, hucusq; deduximus, ut ad totius Orbis christiani notitiam pervenirent, Latinâ & Germanicâ lingvâ publicè typis excudi jussit; cum hac appendice: *Qvia arma nullatenùs in Imperij Romani præjudicium, sed solummodò ad propriam, suorumve ac Libertatis publicæ tutelam, tum consangvineorum, amicorum, vicinorum defensionem expediisset, ideò certò sperare; non æqviores modo Germanos, sed Christianum Orbem universum, favore eadem suo prosecuturos.*

Prima belli Sveco-Germanici principia.

Ut autem prima belli principia à causis proprioribus, & inter istas principalem à minùs principalibus accuratè secernamus: Diuturnum hoc bellum, & qvicqvid malorum secum invexit, velut seqvela anteriorum Germanicarum turbarum, ex ambitione Cæsaris & Domus Austriacæ, adeoq; Monarchiâ, qvam tot jam annis parturierant, primitùs, è longinqvo, velut originem traxit. Cæsar enim & Domus Austriaca occasionem, qvâ Germaniam, ejusve Electores, Principes, Ordines subjugarent, spontè se afferentem avidè arripuerant, nec destiterant; donec arma, per omnem Germaniam circumlata, ad maris baltici littus tandem promoverent. Qvo maximam partem occupato, classem in mari instruere ac cōparare aggressi, illius ope, & Hispanicæ, ex magno Oceano accedentis, subsidio, nec non immenso terrestrium copiarum, qvæ per Germaniam in procinctu stabant, apparatu, ad universalem, qvem diximus, dominatum, superbâ, & penè certâ spe

tâ spe

tâ spe rapiebantur. Huic autem ipsorum molimini Sveciæ Rex, de sua, Regnorumve suorum salute, juribus, Regalibus sollicitus, connivere minimè gentium potuerat. Hinc Regii in Stralsundensibus turbis, Cæsaris militi (absq; tamen aperta in Cæsarem hostilitate) collisi: Qvos, nempè, ad defensionem ejus Urbis, portusve, Rex miserat; ut isthæc, non in ipsius modò, sed aliorum qvoq; Regum, Principum, Rerumpublicarum præjudicium vergens, Domus Austriacæ intentio retunderetur.

Hic igitur primus & summus belli nostri fons, è qvo longo velut tractu manavit. Reperimus autem, curiosiùs rem scrutantes, adhuc aliam scaturiginem: Qvæ si non principalis, certè non contemnenda tamẽ, Regemq; Sveciæ propiùs, & solum inter omnes Magnates concernit. Sigismundus enim Tertius, Poloniæ Rex, duplici affinitate, intimaq; exinde amicitiâ Cæsari ac Domui Austriacæ innexus, amici nomen, qvod gerebat, sæpius, in Bohemicis cumprimis motibus, reipsâ, luculentis auxiliorum latorum testimoniis comprobaverat. Qvod autem Sveciæ Rex eundem Sigismundum, cum qvo ipsi bellum, validè premeret, & qvò longius, eò validius; non mediocrem indignationem, stomachumq; Cæsari id movit: Qui huc idcircò consilia intendebat; ut afflictam Regis Poloniæ, Affinis & fidi amici, fortunam sublevatum iret, florentes verò Regis Sveciæ res, atqve prosperos successus attereret. Unde, tractu temporis, ad manus & arma cum eodem deventum.

Causæ ejusdem propiores, & ex iis principalior.

Jam, qvod ad propiores belli causas, diffidentia sanè inter Regem Sveciæ ac Cæsarem, tenui & externâ specie contemtibili initio, longâ serie, jam ab Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo sexto profluxit. Sed non secus ac in montanis, resolvente se hieme, minima nivis particula, si è summo montis cacumine, levi motu tacta, decidat, qvò magis in præceps ruit, eò magis nivium, per qvæ devolvitur, se agglomerantium mole augescit, donec in ingentem excrescat globum, qvæ obvia qvæq; obruit, & onere suo obterit; vel ut fluvius, exiguâ scaturigine è terræ sinu promanans, qvò longiùs decurrit, eò magis, aqvarum ex omni parte concurrentium accessu, intumescit, eò capaciori ac ampliori fertur alveo, donec in profundum & rapidũ tandem evadat amnem: Ita diffidentia hæc primulo initio non adeò magni momenti visa, successu posteà temporis, accedentibus subinde novis Cæsarianorum injuriis, adeò valida sumsit incrementa; ut in apertam demum hostilitatem exiret, & internecinum bellum.

Qvanqvam autem jam ab aliqvot annis multa à Cæsare, seu Cæsarianis in Regem perpetrata fuerint, qvæ armis ejus stimulum post addidêre; velut in superioribus ordine deduximus: proximam tamen & principalem belli causam, adeòq; fundamentum, qvo maximè nititur, in eo meritò ponimus. Qvod, Rege enatam diffidentiam in prima herba Lubecensi conventu succidere parato, Cæsariani id susq; deq; habuerint, additâ insuper ad priores injurias ignominiosâ Legatorũ repulsâ: Cumq; Rex, ne sic qvidem Pacis cogitationibus depositis, interventu Electorum, ad qvos rem detulerat, & legationis, qvam, ipsius jussu, Senatores Regni ad Fridlandiæ Ducem miserant, viam eidem sternere niteretur; Cæsar ab hac Pacis via in contrarium planè aversus, integro Exercitu, tormentis cæterisq; belli reqvisitis instructo, Regem hostiliter oppugnatum ierit. Hac enim indignitate motus Rex, arma, qvæ in Polonum gesserat hucusq;, in Cæsarem vertit, & omni spe Pacis honestæ adversariorum iniqvitate evolutus, more inter Magnates, qvi non, nisi DEUM & ensem, superiores recognoscunt, consveto, ensem DEO Duce, arripuit: Non hujus modò hostilitatis, qvæ nuper illi acciderat, sed & injuriarum, antea illatarum, vindicem.

Prodigia, qvæ bellũ præcessêre.

15. Qvemadmodum autem alias compertum est, cruentæ ejusmodi bellorum stragi, & fœdæ regionum devastationi plerumq; antecedere insolita, cælo terráq;, ostenta ac prodigia; ceu imminentis divinæ iræ præludia: Ita nec ineuntis Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi auspi-

cia

cia iisdem caruêre. Nam, mense Januario, nocte, qvæ diem Paulinæ conversioni sacrum, Majoribus nostris peculiariter ominosum, secuta, in æthere mira, exercituum inter se concurrentium specie, apparuêre chasmata. Idq; ita signatè: Ut eqvitum peditumq;, hinc inde stantes, acies, sibiq; invicem minantia vexilla, tum tormentorum ac sclopetorum fulminantium fulgura, imò sarissarum densam segetem, prout primum erectæ gererentur, mox pronâ cuspide obverterentur in hostem, Spectatores, magnâ cum animi consternatione, viderint. Nec minùs armorum moventium susurrus, eqvorum campos ungulis ferratis qvatientis sonitus, tormentorum ac sclopetorum displosorũ boatus, tympanorum strepitus, tubarum clangor, vincentiumq; & cadentiũ murmur ac gemitus velut è longinqvo auditus.

Similiter Geismariæ, qvod Hassiæ oppidum altero ac dimidio milliari Cassellis distans, Tillianus miles noctu sangvinem, loco sudoris, emittere cœpit: Qvo contubernalis, qvi eodem lecto utebatur, ad Lunæ splendorem animadverso, ultra modum attonitus, hospitem, ut candelam afferret, inclamavit. Repertus ille langvidulus, lodicibus usqveqvaq; cruore infectis, poris è latere ubertim sangvinem stillantibus: Nec sangvis, qvanqvam abstergeretur, manare destitit; donec, exactâ ferè horâ, ultrò se sisteret.

Qvid autem sangvis hic Germaniæ portenderit, sangvinolenta subseqventium annorum eventa satis, superq; ostenderunt: Ad qvæ, stylo exeqvenda, cum bono DEO, jam accingimur.



BELLI SVECO-GERMANICI VOLUMEN PRIMUM.

LIBER SECUNDUS.

Summa Libri.

1. *POst succinctam Rugiæ ac munimentorum, qvibus simul Rugia munita, simul Stralesunda clausa erat, descriptionem, Cæsarianorum, Rugiam in Daniæ Regem transferre volentium, conatus refertur: Cui antevertit Leslæus; Hiddensœam primò insidens, deinde ambo, ad veterem & novum trajectum occupans castella. Götzius, inde ipsum rursùs ejicere, frustrà tentat. Alia Cæsarianorum, de Regiis insulâ excludendis, consilia: Sed & illa frustranea. Leslæus munimentum in Rugia ad novum portum oppugnat, & felici casu expugnat. Cæsariani alterum oppositum ex intervallo deserunt. Leslæi ad Rugiæ incolas mandatum: Cui, maximè à Regis adventu, morem gerunt. (2.) Contius, Cæsaris nomine, Gryphenhagam & Garcium Duci Pomeraniæ extorqvet. Sedinum ipsum affectat: Frustrà qvidem; sensim tamen in arctum redigit. (3.) Exercitus regius classem inscendit. Legionum numerus, & insignis apparatus bellicus: Tum classicus ordo. Supplicationes pro felici successu in Svecia indictæ. Rex Ordinibus Regni valedicit. (4) Legati à Duce Pomeraniæ adve-*

adveniunt: Qvorum propositio, Regisq́ duplex, ad hanc & alteram eorundem replicam, responsum inseritur. (5.) Rex classem Pomeraniæ littori appellit: Qvod, cum insulis prætensis, breviter describitur. Regis prima in Rugiam intentio: Sed, audito Leslæi successu, mutat, & ad Usedomiam flectit. Tempus, qvo appulit, notatu dignum. (6.) Regis in primo appulsu pietas; tum providentia ac sedulitas in se muniendo. Leslæus Regi jungitur. Regis inter primas difficultates ad militem hortamenta; & ad Ducem Pomeraniæ litteræ, adventus sui nunciæ. Rex occupat munimentum è regione Wolgasto: Porrò illa ad Svevum: Transmissoq́ Svevo Julinum; nec non Caminum. Severa inter Regios militaris disciplinas & ejus fructus. (7.) Contius eminùs castra ponit, & Landsbergam ad Vartæ flumen præsidio insidet. (8.) Seqvitur veteris Sedini & loci positus, qvà Viadrus hîc transitur, delineatio: Tum utriusq́ Regis pariter ac Contii, huc collimans intentio. Rex prævertitur Contium. Ejus cum Ducis Pomeraniæ Delegatis, tandemq́ Duce ipso tractatus: Rex Sedini recipitur. (9.) Fœderis inter Regem & Ducem articuli: Ab Ordinibus Pomeraniæ post ratihabiti. Ducariorum, de Stralesunda sub Ducis obedientiam reducenda, postulatum: Contra qvod Stralesundenses protestantur; additis variis de Ducariorum injuria qverelis. Regis ad hæc declaratio. (10.) Rex Sedinum novis operibus munit; & cum Duce, Civitateq́, de Urbis defensione, certo modo paciscitur. Stargardia in ejus potestatem transit: Arx Dammgarten? *præsidio firmatur. (11.) Ducis Pomeraniæ ad Cæsarem, de Rege Sedini recepto, expurgatio. Cæsarianorum ob id in Pomeranos odium. (12.) Proditio Qvintii de Ponte, eo fugâ elapso, detecta: De alio, criminis participe, sumtum supplicium. Diversa machinationum in Regis vitam indicia. (13.) Regis & Ducis Pomeraniæ de mutua defensione conventio; & hospitiis militaribus præscriptæ leges: Qvarum utrasq́ Ordines provinciæ habuêre ratas. (14.) Regii occupant Anclamiam; Ukermundam; Wolgasti Urbem: Vi obsessâ arce. Clempenoam sub hæc intercipiunt; & arcis Wolgastanæ per deditionem potiuntur. (15.) Savellius Clempenoam recuperat. Cniphusii de intercipienda Gryphiswaldia consilium in cassum it. (16.) Subjungitur origo & occasio Magdeburgensium turbarum. Christiani Gulielmi Administratoris postulata à Rege; tum consilia & intentio. Regis ad ea declaratio. Administrator Magdeburgi recipitur. Ejus ad Archiepiscopatus incolas edictum, ac prospera initia: Inter alia Mansfeldiæ castrum astu interceptum. Falckenbergius Magdeburgum mittitur. (17.) Rex in Megapolin movet. Cæsariani, eo absente, castra Sedinensia oppugnantes, rejiciuntur; & in Pomerania crudeliter grassantur: Cujus exempla proposita, Pencunum & Paswalcum. (18.) Rex, Stralesundam appulsus, turrim Damgardiæ expugnat, & castellum ad Rekenitzæ transitum: Deniq́ Ribniciæ oppidum. Regis mandatum ad universos Megapoleos, tum, in specie, ad Rostochii Urbis incolas. (19.) Cæsariani validius præsidium astu Rostochium introducunt. Rostochiensium exinde miseria, & protestatio apud Hatzfeldium interposita: Qvam tragica ejusdem mors subseqvitur. Savellius adversùs Regios castra facit. Bannerii ad Megapoleos, tum ruricolas, tum Civitates mandatum. (20.) Elector Brandenburgicus neutralitatem ambit: Cui duplex ad hanc via à Rege proposita. (21.) Alibi ad Albim turbatur: Orto partim à Ducibus Megapoleos, partim à Saxoniæ infe-*

inferioris Duce tumultu. Infausto tamen tum exordio, tum exitu: Saxoniæ enim inferioris Dux Ratzeburgi in hostium manus venit. Lubecenses Ducibus Megapoleos ob hunc tumultum infensi. (22.) Landgravii Hassiæ, per Legatum, Regis patrocinium qværunt: Qvod Rex suscipit, &, in eventum fœdus cum iis icit. (23.) Levibus interim velitationibus ad Sedinum certatum; & Colberga, finitimæ regioni infesta, à Regiis circumsideri cœpta. Semel etiam acri ad Sedinum conflictu Regii cladis qvid passi. Cæsariani Colbergam obsidio liberare contendunt: Qvibus Hornius obviam it, gradumq; referre facit. Rex ad suos, eo audito, accurrit. (24.) Regiæ naves Prætoriam Cæsarianorum in Travemundæ portum fugant: Qva de tradenda inter Johannem Salvium & Lubecenses literis disceptatur. Rex ad Lubecenses, delectus suos impedire auditos, scribit: Cui excusando respondent. (25.) Oldenburgicus Comes neutralitatis satagit: Rege certis legibus assentiente. (26.) Schaumburgius, Contio suffectus, copias ex parte in biberna distribuit. Regiis viribus è Borussia auctus Gryphenhaga obsessa vi capitur. Hostis munitionem contra Garcium, trans Viadrum, primò, mox Garcium ipsum deserit; & in receptu ex bibernis malè mulctatur. Supplicationes ob prosperos Regis successus Sedini solenniter habitæ. (27.) Post hæc Electorum conventus, Ratisbonæ actus, recensetur: In eoq; cæsareæ propositionis, qvà Regem Sveciæ concernit, summa, & Electorum, adversùs Regem, decretum; tum Cæsaris ad Ordines Imperii, militesve Regios mandata inhibitoria, ac avocatoria. Cæsar, sub hæc, Electoribus qvædam gratificatur; cum Rege Galliæ paciscitur; nec magnæ Britanniæ Regi in Palatini causa penitùs repulsam dat: Deniq; tam ipse, qvàm Electores, Regem, de armis deponendis, scripto compellant. (28.) Protestantes clandestina consilia Ratisbonæ conferunt: Qvorum impulsu Elector Saxoniæ Lipsiam conventum indicit. (29.) Rex intereà ad dictas Electorum & Cæsaris literas respondet. (30.) Tandem Magdeburgensium turbarum tela continuatur: Ubi defectus ac errores, qvi hîc acciderunt; tum Magdeburgi difficultatum plenus ac perplexabilis status; strenua Neo Alvenslebæ occupatio, & secuta turpis deditio; Regis deniqve, de Civitate liberanda, consilium non unum, & hortatrices ad eandem, de constantia servanda, literæ.

---

1. ANno redemtionis nostræ millesimo, sexcentesimo, tricesimo, sub veris initium, Alexander Leslæus, qvi Svecicæ militiæ Stralesundæ moderabatur, post varias prolusiones, & exigua virium tentamina, Rugiam insulam invadens, expugnatis munimentis in ea sitis, Cæsarianos insigni maximè impetu primus adortus est.

Descriptio Rugiæ. Rugia, Stralesundam contra posita, fertilitate nulli in mari baltico insularum cedens, & ferè tertiam partem Civium hujus Urbis propria, Pacis tempore, velut horreum Civitatis ac penus exstiterat: Subrepente verò in Pomeraniam Cæsariano milite, dissidiisq; inter hunc & Stralesundam exortis, validis præsidiis oppressa, mox inseqventi Urbis obsidio penissimè exhausta, desolata ac ad vastitiem redacta fuerat.

Exstruxerant autem Cæsariani, qvò Rugiam adversus Stralesundensium irruptiones simul munirent, simul Civitatem omni cum insula commercio intercluderent, bina ad veterem ac novum trajectum castella, militeq; firmaverant. Non minùs, qvod vetus portûs ostium (Gellam vocant) vadosum, nec grandiorum navium patiens sit, alteram, seu novum, excitatis in continenti *Et munimentorũ in ea sitorum.*

 Pome-

Pomeraniæ orâ ad Brandeshagam, & adverso Rugiæ littore duabus munitionibus, velut præcluserant: E qvibus, tormentis, hinc inde dispositis, colludentes, in navigia, si qvæ, illis invitis, Stralesundam præterlabi niterentur, detonabant.

Has angustias, qvibus Urbs, eminùs cincta, premebatur, ut laxaret Leslæus, nec non eqvitatui, qvem cogere cœperat, laxiorē aperiret pabulandi campum, regio Legato, Stenone Bielckio, Barone, suffragante, Rugiam, Cæsarianis, qvi præter necessaria munimentorum præsidia rari ob commeatus inopiâ in insula jam apparebant, ejectis, occupare constituit.

Cæsarianorū Rugiam in Daniæ Regē transferre volentium, conatus.

Nec parum maturabant ipsius intentionem Cæsarianorum, de commoditatibus, qvæ Regi Sveciæ ex hac insula, si potiretur, obventuræ erant, aliâ, qvàm armorum, viâ, eidem præcidendis, consilia ac conatus. Cum enim nec validum & sufficiens præsidium, ob defectum commeatus, alere insula, nec parvâ manu à Regiorum insultu defendi posse videretur, habito cum Daniæ Rege ac Duce Pomeraniæ tractatu, jam ab initio hujus anni id egerant; ut dicto Regi à Duce, acceptâ certâ pecuniæ, à qva hic maximè laborabat, summâ, possessio Rugiæ traderetur: Qvo casu & ipsi totâ insulâ, cum munitionibus in ea excitatis, cedere pollicebantur. Jamq;, non attentâ Stralesundensium protestatione, perissimè res transacta, nec, sub initium mensis Martii, nisi in uno, nondum convenerat: Daniæ, nimirum, Rege, ultra Rugiam, & castella illinc exstructa, etiam, qvod in continenti ad Brandeshagam situm, sibi tradi postulante; Cæsarianis verò de eo adhuc ambigentibus. Has ergò in Regis Sveciæ ac Stralesundensium præjudicium vergentes molitiones interrupturi, Legatus Regius & Urbis Præfectus, possessionem insulæ, illâ seu totaliter, seu ex parte occupatâ, qvamprimum sibi apprehendendam, duxerunt.

Leslæus Hiddensœam insidet.

Ut autem hostium, defensioni intentorum, curam aliovorsùm, qvàm qvò collimabant, averterent, principio Hiddensœam insulam, ad occidentalem Rugiæ oram, maris influentis canali non adeò lato ab eadem discretam, injecto ducentorum peditum, & octoginta eqvitum præsidio, ductore Georgio ab Heiden, ProTribuno, decimoseptimo Calendarum Aprilis, firmare placuit; Qvasi ab hac parte aditum qvæsituris. Qvibus additæ qvatuor armatæ celoces, cum triremi, & octo tormentis instructâ navi onerariâ; id genus, qvod, duplici ad malum, sed corbe nauticâ destitutum, velo utens, Crejeros vocant: Cæsarianis, siqvidem forsan canalem è Rugia scaphis trajicere, & Regios inde ejicere molirentur, impedimento futuræ.

Castellū ad veterē trajectum occupat.

Mox cognito per exploratores, præsidiarios in castello ad veterem trajectum & numero paucos, & animo infractos, adeòq; ad militiæ munia obeunda segniores, sexcenti sclopetarii cum parte eqvitum, Duvalio & Hallio, Tribunis, Ducibus, in insulam, qvarto Calendarum Aprilis, pontonibus tramissi, postero mane, intra sextam & septimam, hosti illîc se ostendêre. Et ostendisse qvidem satis: Cæsariani enim, qvi ad septuaginta in præsidio, Regiis visis, arma statim abjicientes, unà cum castello in eorum partes transibant. Qvæ in Rugiam irruptio celeriter adeò & inopinatò Cæsarianis, adversùs Stralesundenses ibidem excubantibus, accidit: Ut castellum qvoq; ad novum trajectum à Regiis, si absq; mora impetum eò vertissent, opprimi potuisse, creditum sit. Qvippè milites pleriq; solutè & negligenter in stativis, aliqvo intervallo à castello dissitis, degebat: Debili tantum statione, qvæ vigilias utcunq; obiret, in eodem relictâ. Sed suborta hoc tempore subita tempestas, cum, sæviente mari, plures eqvites in insulam trajici vetaret, Regiorum, paucitati eqvitum, qvos penes se habebant, diffidentium ulteriorē progressum stitit. Primo tamen hoc successu contenti ac læti, jamq;, qvod qvæsierant (firmum nimirùm in Rugia pedem) ex parte consecuti, præsidiū in Hiddensœa relictum, nulli amplius usui illic futurum, in castellum hoc retraxêre: Sedulam novis operibus muniendo operam intendentes. Inclusis etiam in munitionem propinqvâ æde sacrâ, & adjuncto huic cœmiterio: Qvæ, situ aliqvantò altiora, si hostis insideret, castello non medio-

mediocre minari discrimen, & superiori loco velut dominari videbantur.

Et id ad novum. Freqventes post hæc velitationes inter Regios & Cæsarianos intercedere; alternante belli fortunâ, nec Regiis semper æqvâ; Velut, inter alia, ipsis Calendis Aprilis, eqvitum Magister à Platen, fugitantem hostium globum, ejusq; Ducem Falckenbergium, ardentiùs, qvàm cautiùs insectatus, à recenti turmâ, qvæ commilitibus subsidio venerat, interceptus: Res tamen Cæsarianorum in dies magis, magisq; pessum ire. Ita ut, è stativis in castellum pulsi, commeatusve & aliarum rerum penuriâ conflictantes, nec ullo comparente subsidio, septimo Iduum Aprilis, vitam & res salvas pacti, eo excederent.

Götzius, inde ipsû rursùs ejicere, frustrà tentat. Haud longè post, Cæsarianarum partium Tribunus, Götzius, serenam tempestatem nactus, cum copiis non exiguis, ad Brandeshagam, in Rugiam trajecit; &, septimo Calendarũ Maji, cum aliqvot eqvitum turmis, Regiorum, nuper excitatas ad veterem trajectum, munitiones exploratum, ipse contendit: Qvem postridiè integer exercitus, tribus circiter peditum millibus, & sex eqvitum alis constans, secutus, intra veterem ac Gralensem trajectum castra metabatur. Qvinto autem Calendarũ propiùs accedens, sub obtutu Regiorum instructâ acie stetit: Qvasi summâ vi impetum in illos facturus. His tamen animos neqvicqvam demittentibus, sed paratos & alacres ad excipiendum hostem se ostendentibus; qvippe qvos, & milite, & aliis ad defensionem necessariis Leslæus abundè firmaverat, Götzius, nil ultra ausus, ostentatis tantùm viribus retrò gradum tulit; totâ insulâ, priùs tamen expilatâ, Regiis cedens. Excepto, qvod contra Brandeshagam ad fauces novi ostii Cæsariani exstruxerant, munimento: Id enim, ne omni aditu, & spe invadendæ iterùm insulæ penitus excluderentur, valido præsidio insessum.

Alia Cæsarianorum, de Regiis insulâ excludendis, consilia. Conatu autem, de Regiis vi Rugiâ pellendis, haud succedente, ad alia consilia revoluti Cæsariani Ducem Ordinesve Pomeraniæ induxerant; ut insulæ per Neutralitatem (novâ, sed rei exprimendæ unicè aptâ voce, & nunc, & deinceps, qvoties opus, utemur) ab omni hostilitate ac belli incommodis utrinq; eximendæ apud Regios satagerent, & huic fini Legatos suos Stralesundam destinarent. Utut verò regius Legatus, absq; speciali Regis mandato, eâ in re nil qvicqvam posset, nec sanè consultum putaret, Rugiam regiis armis subtrahi, qvam firmo jam vestigio premebant, & cujus brevi in solidum potiundæ certa erat fiducia: Non omnem tamen spem, qvam Cæsariani in hoc tractatu collocârant, præcidere iis, rejectâ omninò legatione, voluit; ne, desperatione in furorem versâ, qvicqvid ab ipsorum injuriâ adhuc superabat intactum, ferro flammâq; penitus vastarent. Accepta ergò æqvo animo in speciem legatio; cumq; in Urbem certis de caussis admitti non posset, missiculatæ invicem literæ: Qvibus, an sufficienti mandato instructi venirent, qvibusve condicionibus paciscendum putarent, Ducarios regius Legatus percontabatur. Hac ratione extractum tamdiu tempus: Donec commoda, Cæsarianos totâ insulâ ejiciendi, occasio se offerre visa.

Id qvod sub initium Junii mensis accidit: Qvo Leslæus, in absentia sua Urbis Stralesundensis tutelam Duvalio Tribuno commendans, assumtis duobus eqvitum peditumve millibus, rem aggressus est. Is enim, octavo Iduum Junii, tramisso cum his copiis freto, ad veterem trajectum castra locaverat: Unde postridiè gradum movens, sub vesperam in conspectũ munimenti, qvod unicum ad novum portus ostium Cæsarianis in insula supererat, venit. Nec mora: Distributis stationibus, ipsemet cum parte copiarum ab uno latere, ab altero Hallius & Chrichbomius, Tribuni, consedêre: Tormenta etiam, qvorum duo sexdecim singula, sex autem qvatuor & sex pondo ferrum librabant, qvà commodissimè visum, illicò disposita; & obsidionales accessus eâdem adhuc vesperâ utrobiq; promoveri cœpti. Qvia verò cardinem obsidii in eo magnam partem verti apparebat, si hosti auxilia è continenti intercluderentur; huic qvoq; rei optimè provisũ. Naves enim ac celoces, Stralesundâ missæ, — Leslæus munimẽtum in Rugia ad novum portũ oppugnat.

qvas selecto nautâ ac milite impleverat Leslæus, fretum transeuntibus infestum reddebant: Nec minus, obliqvato aqvam versùs flexu, ita ductæ accesfuum fossæ; ut Regii, velut medii intervenientes, viam ab aqvâ obsessis interciperent.

Cæsariani, qvi in continenti ad Brandeshagam freqventes aderant, per totam interim noctem nihil intentatum relinqvere, qvò, tramisso freto, socios subsidio firmarent; sed in cassum: Regiis, qvi mari aderant, & omnes eorum motus observabant, strenuè se interponentibus, & obviam euntibus. In qvos tamen è munimento, ad Brandeshagam exstructo, grandioribus machinis subinde detonatum; &, aliqvibus sauciis, nonnulli interemti. Nocte, qvæ sextum Iduū Junii secuta, Cæsariani idem denuò experiri; nec feliciori, qvo anteà successu: Nisi qvod exigva cymba, tres aut qvatuor homines vehens, remigii velocitate Regiis elapsa, simul aliqvid pulveris tormentarii obsessis inferret, simul eorum animos spe amplioris subsidii, mox secuturi, aliqvantulùm recrearet.

Nec promisso defuit fides: Seqventi enim, qvi qvintus Iduum Junii, die, circa decimam antemeridianam, valida Cæsarianorum manus, pontone vecta, à Brandeshagensi munimento solvens, undis se committebat; citato cursu in insulam trajectura. Qvia autem regiæ naves & celoces, freqventi tormentorum, in ipsos fulgurantium, procellâ compulsi, aliqvantisper recesserant, nec tempori satis, ut anteverterent, præsto futuræ videbantur; Leslæus illicò centum delectos milites ab una, & Hallius Tribunus totidem, ab altera parte, ablegârunt: Apertâ sese vi Cæsarianis oppposituros, eosve appulsu prohibituros. Id qvod tantâ animorum alacritate hi exsecuti: Ut ne unus qvidem illorum, qvi subsidio veniebant, terram pede tetigerit.

Et felici casu expugnat.

Leslæus interim conspecto, milites suos eò pugnandi ardore provectos, ut tormentorum, qvæ jam subierant, vim haud ampliùs extimescerent, occasione uti decrevit: Reliqvum, in subsidiis stantem, militem festinatò subseqvi, necessariaq; humo moliendæ instrumenta comportari mandans, & in ipsam hostium munitionem fodiendo insinuare certus. Animadverso autem, præsidiarios, animo jam lapsos, ad defensionem torpere; eadem consilii promtitudine aggressionem facere, & in foramina, per qvæ machinæ hostiles prominebant, insilire militem jussit. Dictum, factum; adeoq; feliciter: Ut munimentum clarâ luce, circa secundam pomeridianam, in Regiorum potestatem vi cesserit. Cæsariani, pars primo aggressionis fervore trucidati: Reliqvis, unà cum Centurione, qvi rerum summæ præfuerat, Subcenturione ac Signifero, vitæ gratia facta. Repertæ in hoc munimento qvinq; ahenea tormenta, qvaternas ferri libras vomentia, pulveris nitrati tria dolia cum dimidio, sena glandium plumbearum vascula, ac funiculorum sesqvipondo navale.

Cæsariani alterū oppositum deserunt.

Hanc jacturam passi Cæsariani, exstructam in opposito littore ad Brandeshagam munitionem, ut qvæ nec ad transitum in Rugiam qvicqvam ampliùs conferret, nec præcludendo portui unicè sufficeret, Regis adventantis metu, aliqvantò post ad terram depositam, itidem deseruêre: Machinis, qvæ inibi habuerant, Gryphiswaldiam deductis.

Leslæi ad Rugiæ incolas mādatum.

Repurgatâ hoc modo à Cæsarianorum reliqviis Rugiâ insulâ, Leslæus omnes ejus incolas, cujuscunq; ordinis aut condicionis forent, publico promulgato diplomate, adhortabatur: *Ut, avertendi imposterùm ab insula mali, omni animorum, literarumve, cum hoste & ab eodem dependentibus, commercio abstinerent; qvin potiùs militi suo, cui insulæ defensionem commissurus erat, adversùs qvoscunq; vi astuve eam tentatum venientes, vires operasve sociarent.*

Cui, maximè à Regis adventu, morē gerunt.

Et alacriter qvidem paruêre incolæ: Illis etiam, qvi magno numero, Cæsarianorum injuriâ pulsi, patrias sedes desertum iverant, postliminio ad easdem redeuntibus. Qvinimò tota mox insula ad communem defensionem, solenni syngraphâ fidem suam Regi, post ejus appulsum, obstrinxit.

2. Cæsa-

2. Cæſariani à Leſlæo, claſſicum canente; ita è veterno velut excitati, rebus & ipſi ſuis proſpicere, ac qvâ viâ ingruenti hoſti commodisſimè obviari poſſet, rationes inire cœperunt.

Contius Duci Pomeraniæ oppida, ad Viadri tranſitum ſita, extorqvet.

Exceperat autem, Cæſaris milite in dicionis viſcera admisſo, Dux Pomeraniæ duplicem ſupra Sedinum Viadri tranſitum, & ſita hîc oppida, Gryphenhagam ac Garcium, præſidiisq; ſuis ad hæc usq; tempora tenuerat: Qvæ loca, defenſioni ſuæ peropportuna, imò neceſſaria exiſtimans Torqvatus Contius, cæſareus Campiductor, & ſummus, id temporis, rei militaris per Pomeraniam nec non Megapolin Præfectus, ante omnia in poteſtatem redigere inſtitit.

Et primò qvidem lenibus mediis uti: Mox, ubi, Ducis nomine, tenorem pactorum, qvæ Cæſar ac Fridlandiæ Dux confirmârant, Ducemq;, de minimè violandis ſecurum eſſe, multimodis jusſerant, objici vidit, ad minacias progredi.

Gryphenhagam, nempè,

Neve effectu verba carerent, pridiè Iduum Maji, Henricum Ludovicum Hatzfeldium, Tribunum, cum tribus eqvitum & peditum millibus, nec non tormentis aliqvot, mortariisq;, ac cæteris belli inſtrumentis, Gryphenhagam versùs mittere: Si ſpontanea deditio abnueretur, vim intentare jusſum. Qvi poſtero die copias admovens, ducario centurioni, Joachimo Erneſto Croccovio, Ducis nomine cum ducentis militibus locum obtinenti, deditionem imperatum ibat. Croccovius jam anteà, tertio Iduum Maji, de Cæſarianorum intentione certior factus, Principis voluntatem, qvid hoc caſu agendum ſibi foret, per literas exqviſitum ierat. Verùm acriùs inſtante Hatzfeldio, nec à Principe reſponſum, nec à Cæſariano milite vim præſtolatus, ſed deditionem pactus, avectis ſecum ducariis tormentis, pulvereq; nitrato, Dammum, ac inde Sedinũ ſe recepit.

Et Garcium.

Gryphenhagâ Garcium illicò promota arma: Duce Pomeraniæ neqvicqvâ retardare conato. Is enim Contio per Legatos obtulerat: Præſidiarios horum locorum in verba Cæſaris, contra qvosvis externos hoſtes, juraturos; militiq; Cæſariano, qvoties vellet, & qvocunq; tempore, noctu diu, tranſitum præbitum, imò, ſi externus hoſtis appropinqvaret, Gryphenhagam, majoris ſecuritatis ergo, traditum iri. Sed eo minimè attento, Cæſariani in ſententia ſua perſtitêre immoti: Rationem ac ſtatum belli flagitare dictitantes, ut loca hæc ad Viadrum, tranſitus causâ opportuna, in Cæſaris ſuumve abſolutum arbitrium ac poteſtatem tranſirent. Ita Dux Pomeraniæ Garcium qvoq;, milite & ſub Tribuno Gruntzio, loci Præfecto, inde evocatis, Cæſarianis certo pacto tradere coactus: Qvi oppidum, ſitus percommodi, valido præſidio, novisq; operibus, qvò longiùs, eò magis, magisq; firmarunt.

Sedinum ipſum affectat

His locis potiti Cæſariani, nec iis tamen contenti, ut Viadro compedes ubivis injicerent, & Pomeraniam eò arctiore nexu ſibi devincirent, Sedinum ipſum, principalis aulæ ſedem, & unicum adhuc Principis refugium, ambire cœperunt. Qvo in negotio Tribunus Wallenſtenius illuc misſus, nullum non lapidem movebat; literis à Duce Fridlandio, agnato ſuo, exhibitis, & condicione, qvò Principis asſenſum mereret, externâ ſpecie plauſibili propoſitâ: Militem, nimirùm, qvi intromitti poſtulabatur, in verba Ducis non minùs, ac ipſius Cæſaris, ſacramento adactum iri.

Fruſtrà qvidem.

Suſpectum nihilominùs id Principi viſum, vel eo maximè nomine: Qvod Cæſariani, traditis nuperrimè Gryphenhagæ ac Garcii oppidis, expreſſe renunciasſent illì poſtulato; ipſiq; Sedinenſes literis, qvibus ab hoc onere eximebantur, magno emtis, muniti reperirentur. Et ſanè veſtigia qvoq; terrere, triſteq; vicinarum Urbium, admisſis, ſub amicitiæ ac cæſarei nominis velo, Cæſarianis, ruinam cladem q; ſuam ſerò deplorantium, exemplum. Re igitur in conſilium Ordinum provincialium, qvi hoc tempore, de Republica deliberaturi, convenerant, deductâ, Princeps unanimi eorundem conſenſu, tantum abeſt, ut aures Cæſarianis præbuerit, ut potiùs ad ſui, ſuæq; Urbis defenſionem magis, validiùsq; ſe accinxerit.

Et

Et qvanqvam Contius eâdem de re sæpenumerò posteà instaret, imò tandem, non in ipsam recipi Urbem, sed suburbium, qvod Urbi trans Viadrum objacet (à mercibus, ut opinor, deponendis Lastadiam vocant) securitatis causâ, tandummodò sibi tradi urgeret; Dux tamen, certarum excusationum obtentu, postulata ejus comibus verbis ac civiliter semper elusit.

Sensim tamen in arctum id redigit.

Seu autem his delinitus, seu aliâ causâ motus, vim qvidem hostilem Sedino abstinuit Contius: Indubium tamen, si longior mora intercessisset, qvod alias premebat Urbes, hanc qvoqve manebat jugum; Sedinumq;, ob rerum necessariarum penuriam, victas ultrò porrecturum erat manus. Jam enim, sub adventum Regis, ob desolatum vicinum agrum, & subvectionem undiqvaq; interclusam, ad id angustiarum redierat illic res annonaria; ut mercatoribus, qvibus frumenti inemti superabat copia, minimè permitteretur, pro lubitu vendere, cui, & qvantum vellent: Sed, qvò pauper cum divite, & cum Primoribus infima plebes æqvâ sorte viverent, delecti jurati ac integræ fidei Senatores; qvi attento, qvàm numerosam qvisq; aleret familiam, certum frumenti modum singulis civibus in septimanas singulas præsenti pecuniâ ab his mercatoribus venundandum arbitrarentur.

Exercitus regi⁹ classem inscêdit.

3. Interim, dum bellum in Pomerania sensim adolescit, Rex, ne occasioni & tempori deesset, provisis, qvæ hosti oppugnando necessaria videbantur, exercitû classi imposuerat.

Legionũ ejus numerus.

Copiæ autem, qvæ Regem hac vice comitabâtur, seqventes recensæ. Eqvitum qvidem duæ legiones: Altera VisiGothorum sub Erici Sopii, Smalandorum altera, sub Petri Brahæi, Comitis de Wisingsburg regimine; singulæ octonis alis constantes. Pedites numerabantur. Binæ primùm cohortes Lignofskii & Heusleri. Inde qvatuor Svecorum integræ legiones, singulæ octo cohortium: Qvarum uni Nicolaus Brahæus, Comes de Wisingsburg, alteri Georgius Johannis, tertiæ Laurentius Caggius, ultimæ Carolus Hartius præerant. Rursus tres qvaterniones, seu minora qvatuor cohortium corpora, Jacobo Brahæo, Comite de Wisingsburg, Axeliis, Lilio & Duwalio, Ducibus. Porrò Germanorum militum Theodoricus Falckenbergius, & Nicolaus Theodorici, singuli octo cohortium legioni moderabantur. His adjuncta duo Hallii Tribuni signa: Qvæ à legione, dum Stralesundam tendit, tempestate divulsa, in Svecia appulerant. Seqvebantur totidem noviter cóscriptæ legiones: Altera Cniphusii, generalis vigiliarum Præfecti, duodecim cohortium, sed signis adhucdum carens; Mitschefalii altera octo cohortium, qvæ in ipsis navibus, dum ad iter in procinctu stat, vexilla primitùs hastili applicuit. Accessêre his tandem octo Scotorum, sub Macc jo Tribuno, cohortes. Ut ita universus eqvitatus sedecim constaret alis, peditum ad nonaginta duas cohortes summa rediret.

Ingens apparatus bellicus.

Vehebatur pedes maximam partem grandioribus bellicis, eqves onerariis navibus. Ad manus qvoq; in classe præsto erat, magna ligonum, rutrorum, bipaliorum, marrarum, unirotorum qvantitas; fodiendæ & convehendæ terræ: Tum cipporum, seu sudium, ferratis pinnis armatorum; qvibus in terram destitutis adversùs hostilis eqvitatus impetum Exercitus momento muniri posset. Tormentorum qvoq; bellicorum, campestrium præsertim & legionariorum, cum omni curuli instrumento, prout in bello terrestri illis utimur, eximius numerus: Nec non pulveris nitrati, plumbi, funiculorum, globorum tormentariorum omnis generis, ac artificiosorum ignium copia ingens. Deniq; qvicqvid infestando hosti humana excogitavit industria: Sub imperio Leonhardi Torstonis; Viri non tam adultæ ætatis, qvàm virtutis, & in re tormentariâ experientiæ, qvi nunc Campiductoris nomine ac gloriâ in Germania inclytus cluet. Non minùs classem seqvebantur struthiones (ut hoc genus leviorum navium appellatur) celoces, lembi aliqvammulti, ad militiam affabrè facti, machinisq; instructi: Qvorum insignem in angustis ac vadosis fluminibus usum fore, Rex jam antè providerat.

Classicus ordo.

Classis, in qvatuor velut acies dispertita

pertita navigabat. Primam regebat Rex ipsemet,& secundum Regem generalis peditum Præfectus, Johannes Bannerius. Qvâ Lignofskii & Heusleri singulariæ cohortes, tum Nicolaus & Jacobus, Brahæi, Comites de Wisingsburg, fratres, porrò Cniphusius & Mitsthefalius, cum suo qvisq; milite, vehebantur; nec non tertia eqvitatus, & tertia tormentorum ac apparatus bellici pars, præsertim machinæ omnes legionariæ, cum rei tormentariæ Præfecto, qvem diximus, Leonhardo Torstonis. Alteram supremus Sveciæ Thalassiarcha, Carolus Caroli Guldenhelmius, Baro, ducebat: Cui Georgii Johannis, Laurentii Caggii,& Maccaji Scoti legiones, similiter tertia qvoq; pars eqvitum, tormentorum ac bellicorum instrumentorum inerat. Huic, ad dextram Regis tendere, imperatum. Ad sinistram cum parte classis vela explicabat, vigiliarium nauticarum Præfectus, Bubbius: Falckenbergii ac Nicolai Theodorici legiones, duasq; Hallii cohortes, nec non eqvites & tormenta residua portans. Agmen claudebat Ericus Rüningius, alter à Guldenhelmio rei maritimæ Gubernator, cum Caroli Hartii legione, & Axeliorum, Lilii Duvaliive, qvaternionibus. Qvod si classis tempestate disturbaretur, Rex primum, qvò se recolligeret, locum, ad septentrionale Oelandiæ promontorium, vel Carolinas sub Gotlandia insulas designaverat; alterum, sicubi fortè opus foret, sub Bornholmia: Nam anchorarum mare hic utrobivis patiens. Cursum autem universim Gryphisvaldensem, Rudamq; insulas versus rectâ dirigere, & grandiora navigia ad qvinq; vel septem orgyiarum altitudinem anchoras jacere, minuscula verò, qvantum pote, portum subire, ac terræ pximare jussa.

Supplicationes in Svecia indictæ. Qvod autem in arduo hoc & magni momenti cœpto absq; singulari divini Numinis favore, Rex in cassum se laboraturum nosset, eò, à Deo principium actionum ritè facturus, in omnibus Regnis ac Provinciis suis, præter ordinarios rei divinæ precibusve consecratos dies, tres maximè, primum scilicet qvemq; trium mensium, Julii, Augusti, & Septembris, Veneri olim, post passioni dominicæ sacrum, jejuniis, supplicationibus, atq; aliis cœlestis iræ placaminibus solenni edicto destinavit: Qvibus nulli incolarum, nisi morbo fortè sontico à Legis observantia eximerentur, usq; ad vesperam, aut cibum capere, aut profana negotia tractare, sed soli rei divinæ operam dare, & divini Numinis implorare clementiam fas esset. Qvod institutum, utpote pium & laudabile, seqventibus etiam annis, ad nostra usq; tempora, per omnia penè servatum.

Rex Ordinibus Regni valedicit. Priusqvàm autem Holmiâ discederet Rex, Ordines Regni, id temporis illic congregatos, ad se accivit; luculento sermone habito, post memoratas belli suscepti caussas, tum *universos Pietatis & fidei in Deum, amoris ergà Patriam, concordiæ, mutuæq; animorum conjunctionis inter semetipsos*, tum speciatim, *Ecclesiasticos Christianæ doctrinæ, Regni Moderatores impositi ipsis muneris, privatos familiæ qvosqve suæ, & rei familiaris* admonens. Hinc flexâ ad Ordinum singulos oratione, undè eorum qvilibet primævam traheret originem, in qvonam incrementa eorum & perfectio consisterent, qvæ cujusq; privilegia, prærogativa, honores, dignitas, qvod deniq; officium, elegantissimè disserebat: Subnexâ gravissimâ parænesi ad unumqvemq; singulatim; *ut Spartam, qvam nacti, non fidelissimè solùm exornarent, sed & gloriam antiqvæ virtutis ac fortitudinis Gothicæ, hactenùs soporatam, nunc verò paulatim resurgentem, suæq; lucis radios per Europam magis, magisq; diffundentem, qvò longiùs, eò latiùs disseminare ac propagare, manibus pedibus, noctu diu, conniterentur.* Epilogi loco omnes & singulos valere jussos paternæ Dei Optimi Maximi tutelæ & protectioni piè commendatum iit: Additâ præce votivâ ex nonagesimo Psalmo, in qvorumvis negotiorum exordio ipsi aliàs etiam familiarissimâ. *Propitius esto, Jehova, servis tuis! Impleamur manè misericordiâ tuâ! Appareat erga servos tuos opus tuum, & gloria tua filiis eorum! Sit jucunditas Jehovæ, Dei nostri, super nos, & opus manuum nostrarum confirmet!* His peractis solenni convivio Ordines à Rege excepti,

cepti, mensisq; sublatis vario affatu promiscuè comiter habiti, & exinde, Comitiis dissolutis, in sua qvisq; dimissi.

Legatorũ Ducis Pomeraniæ adventus & propositio.

4. Rege in anchoris ad Elffsnabbium cum classe jam in procinctu stante, Legati à Duce Pomeraniæ, nimirùm, Philippus Horn, citerioris Provinciæ Cancellarius, eiq; ex nobilitate adjunctus Henricus Heidebreke, ex civico ordine Paulus Frideborn, Sedinensium Consul, eo ipso temporis articulo advenerunt, propositum irrupturi per Pomeraniam in hostem interpellare conati, ac Principis sui nomine impensè rogantes. *Parceret hac expeditione transituve ditioni ejus ac subditis, qvi amicitiam cum Rege hactenùs servasset inviolatam: Ne confluente illuc simul Exercitu imperatorio, sedes belli in Pomerania, cum extrema Ducis & Provinciæ ruina, constitueretur.*

Regis responsum.

Huic Legatorum propositioni Rex è vestigio oretenùs, & mox scripto respondit. *Cum ea fuerit temporum condicio, & hostilium in Germania Exercituum progressus, ut suæ, communisq; securitatis causa, necessitas his obviandi ipsi imponeretur, nusqvam meliori jure appellere posse, qvam in Pomerania: Imò justissimas Pomeraniam minùs amicè tractandi habere causas. Id Ducem, Ordinesve, consiliis & actionibus, qvæ his retrò annis contra ipsum agitarint, inq; suum, ac maris baltici dii exerint præjudicium, satis meritos: Prout rerum anteactarum documenta testentur. Nempè ante biennium suis delectibus Streiffii & Teuffelii ductu, transitum ab initio denegasse Pomeranos: Mox tamdiu detinuisse; donec, re cum Polonis communicata, hi ad Cassubiæ confinia occurrerint. Ubi, rescissis à tergo pontibus, & transitu omni à Pomeranis insesso, in tantas sint redacti angustias; ut, extrema perpessi, tandem dilaberentur. Deinde, appropinqvante Pomeraniæ finibus hostili Exercitu, & insolentibus titulis ipsi etiam mari baltico, cujus tutela ab antiqvo Regum Sveciæ peculiaris fuerit, insultante, non consilium suum expetiisse Pomeranos, non implorasse auxilium. Qvin venientem potiùs sponte intra Provinciæ viscera recepisse; loca transitu fluminum opportuna, & si qva præterea alicujus momenti, tradidisse; hospitio, annona, pecunia, hibernis, stativis fovisse, & fovere ad hunc usqve diem: In summum dicti maris, Regniq; Sveciæ præjudicium. Neqve hoc contentos, in obsidio Stralesundensi, cum Civitas, non modo, ut oportebat, non adjuvaretur ab iis, sed & pro derelicta haberetur, imò, ut in hostiles manus eò citiùs deveniret, urgeretur à nonnullis, & eapropter Rex magnis illi subveniret sumtibus, periculis, incommodis, pro præstito hoc, qvod gratias potius meruerat, beneficio Pomeranos clam palamve molitos; ut præsidium regium Urbe educeretur. Tandem, hostibus suis transitum non solum ultrò concessisse; sed etiam armis, commeatu, pecunia, eqvis, vehiculis, cæterisq; necessariis, pro virili opitulatos: Nec id semel & exiguo numero, sed iteratis vicibus, & præterito potissimum anno; qvo integer Exercitus contra ipsum in Borussiam missus sit. Eo intolerabiliora autem hæc accidere; qvod non modò semper antehac firmam, fidamq; amicitiam, & vicinitatis officia cum Duce Pomeraniæ coluerit, verùm etiam, Germanico bello durante, omni per Pomeraniam expeditione, licèt aliqvoties à Germanis exterisve ad eam invitatus, abstinuerit. Ne amicitiâ, sangvine, ac Religione conjuncti Principis dicio qvicqvam inde sentiret incommodi. Qvinimò, Stralesundæ succurrendo, magnum Pomeranis præstitisse beneficium: Interventu enim suo effectum; ut Rex Daniæ, qvi Urbem, situ loci Regno suo apprimè commodam, tanqvam Imperatoris tum hostis, sibi asserere potuerat, sua illinc præsidia deduxerit. His de causis omittere non posse; qvin propositas semel vias ingrederetur. Si tamen ulla etiamnùm melioris consilii spes superesset, commiseratione summa erga afflictissimos Religionis & sangvinis sui consortes duci, nec qvicqvam magis habere in votis; qvam ut, Pomeraniâ aliis mediis in pristinam Libertatem restitutâ sangvinis Christiani effusioni antevertatur: Adeoq; Duci & Ordinibus Pomeraniæ adhuc deliberandum concedere. Placeatne, conatus suos, qvi eos hoc casu & velit, &, per DEI gratiam, juvare possit, felici voto proseqvi, consiliisqve ac auxiliis sublevare? An verò ulteriùs illorum adhærere partibus, qvi omni eos mundanâ,*

mundana, æternaque felicitate spoliatum, perditumq; eant? Hinc enim ipsum quoque capturum consilium; quod è securitate sua & re communi fore, arbitraturus sit.

Legatorũ replica. Ad istud Regis responsum prolixo satis scripto Legati replicabant: Admissorum, qvorum Pomerani arguebantur, culpam ab his amoliri connixi. Ad primum, scilicet, reponentes: *Regiarum copiarum Duces cautionem, qualis Romani Imperii Legibus reqviratur, ratione transitus haud præstitisse: Dum verò nihilominus, hoc non attento, & contra quoque pacta, cum Polonis inita, conceditur, conventis ea de re non stetisse; sed diutulè utut, maturare gradum admonerentur, in Pomeraniæ finibus moratos.* In secundo articulo, *aliorum Principum ac Ordinum Imperii, qvi & ipsi Cæsareum militem in diciones suas admisissent, cumprimis Electoris Brandenburgici, exempla* obtentui erant, qvibus culpam velarent: Tum *armorum Cæsarianorum potentia; qvorum, in ipso summæ victoriæ cursu ferocientium, impetum nec propriis Pomerani viribus sustinere, nec ad retundendum Regis Sveciæ, aut aliorum Vicinorum, opem sperare potuerint. Regem quippe, ut ipsemet confessus sit, renuisse bello immisceri Germanico: Qvinimò gravi bello alibi fuisse implicatum & distentum.* Causas qvoq; Legati hîc perstrinxère: *Cur pleriqve Ordinum Pomeraniæ, contra Principis voluntatem, sufficientia ad defensionem arma comparare noluerint. Inter alias: Qvod Cæsareis promissis ac sincerationibus* (ut novè vocamus) *fuerint confisi; tum quoque, adversùs Cæsarem, utpote summum Magistratum, extra casum Religionis, armata manu insurgere, duxerint nefas.* Ad tertium regestum. *Expeditionem Borussiacam neqve promotam à Duce Ordinibusve Pomeraniæ; neqve impediri tamen potuisse: Qvicqvid autem subsidiorum Pomerania ad eam contulerit, contra Principis ac Ordinum voluntatem ab incolis vi extortum; qvorum in noxiam ac pernitiem maximè cesserit. Nihil etiam hac militum deductione Pomeraniam sensisse levaminis: Qvippe in abeuntium locum alios successisse famelicos, qvi acriori morsu plus damni influerint.* His ita præmissis, ut Principi Patriæq; suæ Neutralitatem Rex dilargiretur, petebant Legati: Variis ad impetrandam rationibus usi. *Eâ etenim concessâ spem esse, hostilem quoq; Exercitum Pomerania excessurum: Denegatâ verò, tum suspiciones intentionis sinistræ apud Vicinos generatum, tum popularium affectum benevolum erga Regem imminutum iri. Beneficium hoc apud alias qvoqve gentes esse in usu: Pomeraniam verò quantò afflictior, tantò eâ miseratione digniorem. Ducem & incolas Pomeraniæ, sacramenti, qvo Cæsari addicti, religione prohiberi in partes adversùs eundem decedere. Amicorum & Consangvineorum restitutionem diversâ viâ, & per eorundem dicionem æqviùs qværi. Qvin & bellum per alia, qvàm Pomeraniam, loca Cæsari inferri posse; idq; commodius: Ob varia, qvibus regio scateat, fluminum claustra; unde bellum his in oris magis perplexabile impeditiusq; futurum sit. Deniqve si arma Regis secùs cederent, Pomeranos sub prætextu, qvasi in sinum ea suum illexissent, indubium corporis animæve discrimen à Cæsare subituros: Sin Regis intentioni responderet eventus, Cæsarianis haud minùs prædæ fore, & rapinis incendiisve ad extremam pauperiem redactum iri.*

Replicam istam Legatorum Rex novâ declaratione elisit, ad singula respondens. Regis iteratum responsum. *Initio manifesti esse juris: Nullas Constitutiones aut pacta (& ita nec Romani imperii de transitu permittendo Leges, nec conventiones cum Polonis initas) ita interpretanda venire; ut contra Jus Gentium, & in immeritum tertii præjudicium extendantur. Innoxium trânsitum apud omnes Gentes semper fuisse liberum: Ejusve denegationem, divino humanoq; jure, justissimam belli causam haberi. Cautionis insuper sat superqve fuisse, qvod Rex transitum amicè rogarit, justitiæ rigorem & indemnitatem pollicitus. Ductores verò regiarum copiarum non sua spont moratos, sed Provincialium facto, donec hostilis Exercitus appropinqvaret, detentos.* Deinde. *Qvod alii Imperii Ordines Cæsarianum militem in provincias suas admiserint, de eo impræsentiarum, rectè, necne, factum, haud disputare:*

 Viderent

Viderent ipsimet, qvid pro se qvisqve, seu noxii, seu conducibilis cepissent consilii. Qvod autem Pomerani ad defensionem non magis se accinxerint, nec ulteriorem vim aut ipsi opponere, aut aliorum, qvorum intererat, consilium, opemve implorare voluerint, id verò præcipuum esse; cujus nomine ob viciniam, & propriæ securitatis atq; commodi causa illos reprehendat. Regem detrectasse qvidem armis immisceri Germaniæ; sed qvamdiu, ut procul dissita, nec damno ipsi fuerint, nec emolumento: Postqvam autem, propiora facta, in Pomeraniæ meditullio sedê fixerint; qva similitudine veri, rogatus, opem Pomeranis fuisset denegaturus, qvam non rogatus & spontaneo motu Stralesundensibus obtulerit? Qvantum sinceri Sincerationibus insit, cum malo suo experiri, qvi, his confisi, seras credulitatis suæ pœnas luant: Immunes ab iisdem futuri; si, invocato divini Numinis auxilio, se Religionemq; suam, & avitam Germaniæ Libertatem fortiter potius tutari, in animum induxissent. Sive igitur negligentiâ & periculi contemtu, sive credulitate fraude, dolove hæc acciderint, neutiqvam Pomeranos à gravi culpa excusare: Qvinimò tantò majus, vindictam ab iis sumendi, jus Regi tribui; qvantò servilius suo, ut præ se ferant, summo Magistratui, Cæsari, in Regis præjudicium, obligatos se fateantur. Tertiò. *Utut Arnhemiani Exercitus transitum, & Borussiacam expeditionem impedire non potuerint; ast amicorum fuisse, Regem ea de re saltem facere certiorem. Qvi autem factum? Qvod transitu isthoc, qvi ipsis noxius maximè ac damnosus exstiterit, hosti sponte concesso, Regi è diverso innoxium, & qvidem rogati, denegarint. Tandem nullas Regem satis prægnantes reperire causas, cur Pomeranis Neutralitatem gratificaretur. Nam hostes provinciâ ultro decessuros, haud verisimile videri: Utut autem, dicis causâ, decederet; qvis polliceri sibi posset, ex animo rem geri, nec depositâ, qvem scenæ gratia forsan sumturus esset, persona, confestim rediturum? Qvod si qvispiam, ob versa in Pomeraniam arma, vel æmulatione accenderetur, vel sinistras conciperet opiniones, id, si mutari non qveat, ferendum venire: Ut verò aut ob plebis inconstantiam, aut alios incertos belli casus, necessariam sui, suorumve tutelam Rex deponeret, nullius Prudentiæ militaris rationem svadere, vel admittere. Neutralitatis sanè beneficium apud alias Gentes nonnunqvam in usu: Cæterùm, qvo, vel concedentium, vel petentium commodo, qvotidianam monstrare experientiam. Utut tamen de eo foret, Pomeranos nullatenùs commiseratione dignos; qvamdiu hostibus tantoperè obnoxios se profiteantur. Nec existimandum, hanc expeditionem suscipi ad restituendum consangvineos unicè; sed vel maximè propriæ causa securitatis. Pomeraniam illam ipsam esse provinciam, qvæ hostes, gremio & hospitio exceptos, in Regis, marisve baltici præjudicium, foverit hactenùs, & adhuc foveat: In qva, tanqvam officina, non solùm omnia hostium consilia cusa, sed ii etiam commeatu, pecunia, armis, cæteris omnibus ad Regis, Regniq; Sveciæ oppugnationem spectantibus instrumentis armati: Ad qvam proinde occupandum, hostiq; hæc media eripiendum, ipsa bellorum ratio, & subditorum, Regniq; Sveciæ salus Regem compellat. Qvod si per hanc expeditionem aliqva difficultas, ex una alterave causa suboriatur, non tam recenter bellorum casus expertum Regem, qvin facilè judicare possit; incertam esse bellorum aleam: Sperare tamen, eundem DEum, cujus auxilio hactenùs fretus multas magnasve difficultates exantlaverit, æqvissimæ causæ & intentioni neqvaqvam defore, sed omnes ejusmodi casus in salutaria Reipublicæ & Ecclesiæ suæ consilia versurum. Si qvæ autem incommoda & damna Princeps Ordinesve Pomeraniæ exinde sensuri sint, sibimet, ut à sua sibi culpa profecta, meritò imputaturos. Qvanqvam ergò hæc ita se habeant, nec ullam Pomerani misericordiam meriti videantur, Regem nihilominus, ut christianum Principem, & Clementiæ deditum, non posse non eorum, ut hactenus sat, superve afflictorum, ac oppressorum commiseratione summa duci. Qvod si itaqve adhuc æqvioribus consiliis aures præbere, & ad propriam liberationem, saltem aliqvò usqve, operam suam addere velint, id pro certo comperturos: Non ad illos ulterius gravandum venire, sed omni potiùs modo sublevandum. Ut*

verò

verò certi aliqvid jam statuat, antequam in rem præsentem veniatur, fieri commode haud posse: Qvodsi vel Dux, vel aliqvis provincialium Ordinum, seu Neutralitatem, seu amicitiam, seu qvamcunqve aliam conjunctionem illinc in loco sit ambiturus, illis omni meliori modo & conditione gratificari paratum.

Rex classem Pomeraniæ littori appellit.

5. Hac declaratione Legati dimissi, è statione Elffsnabbiensi, Stockholmiam, Regni metropolim, versùs pergebant. Rex verò, aurâ & tempestate propitiis, altum cum classe ingressus est, responsum ipsemet Duci laturus; & die festo Johannis præcursoris, Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi, qvi erat octavus Calendarum Julii, ad Rudæ insulam delatus, ingenti comitante tonitru, subiit portum.

Qvod cũ insulis, illi prætensis, describitur.

Pomeranico littori tres præcipuè insulæ, Ducatui Pomeraniæ unitæ, prætexuntur: Rugia, Usedomia, Julinum. Rugia, à reliqvis duabus secreta, & tribus lateribus mari aperto cincta, qvarto Stralesundam, & continentem Pomeraniæ orâ respicit: A qva dividitur canali satis amplo. Usedomiam ac Julinum format lacus, ubere piscatu celebris; (à dulci aqvarum sapore, das Frische Haff vocant) Qvi è trium fluminum, Viadri, Ukeræ, Panis, concursu ortus, per tria pariter ostia, Panim, Svevum, & Divenoam, in mare se evergit: Et Usedomia qvidem à Pani ac Svevo, Julinum à Svevo & Divenoa intercluditur. Inter hæc ostia tutissimus Panis portus est; statio, nimirùm, qvam diximus, ad Rudam: Proximus huic Svevus, sed commoditate tamen longè inferior priori: Divenoa vadosa, & navium, vel mediocrium impatiens. Julinum qvoqve ponte, qvo Divenoa instrata, continenti jungitur: Usedomia non, nisi navibus, aditur.

Regis prima in Rugiam intentio.

Has insulas sub belli exordium occupare, & pedem illîc figere animum Rex induxerat; omniumq; ejus prima in Rugiam collimabat intentio. Rugia etenim Stralesundæ proxima. Qvæ Civitas Regis partibus addicta, & velut commeatus qvoddam penuarium erat. Jamq; Leslæus, Urbis Præfectus, Cæsarianorum ad veterem ac novum trajectum Castellis non ita pridem potitus, viam huc straverat, nec sub Castellorum patrocinio isthîc locorum exscensionem facere, arduũ videbatur: Qvâ semel factâ, ulterior Regis progressus, non nisi validioris, aut certè paris Exercitus robore sisti posset. Sustentandi autem ejusmodi Exercitus, neq; ex ipsa insula, neq; convectis aliunde alimentis, spes Cæsarianis aut media supererant. Non enim Insula, maximam partem desolata, ei alendo sufficere; nec commeatui subvehendo, nisi unicus, ad Brandeshagam, trajectus patere: Qvi ob incertas ventorum & maris tempestates dubius, infidus; Regiorum qvoq;, navibus & mari præpollentium, incursui obnoxius, adeoq; intutus. Providebat ergò Rex; Cæsarianos, numerosis copiis Rugiam insidentes, priùs victu destitutum iri, ac suos, qvibus non modò Stralesundâ, qvod à tergo, sed & aperto mari undecunqve abundè subvehi vitæ necessaria poterant. Unde in certissimam Rugiæ brevi potiundæ spem erectus, anteqvàm à Leslæo penitùs occupatam rescisset, ab hac parte primum in Germaniam impetum facere, insulam universam, exturbatis hostibus, in potestatem redigere, &, comportato undiq; commeatu, rebusq; ad alendum Exercitum necessariis, primam hîc velut belli arcem constituere decreverat: Inde, datâ postmodum occasione, ubi visum foret, in reliqvas Insulas, aut continentem erupturus.

Qvam, audito Leslæi successu, mutat, & ad Usedomiam flectit.

Qvia verò Leslæi industria huic Regis intentioni anteverterat, fortunâ cœptis suis ab ipsis belli cunabulis arridente, aleam ulteriùs experiri, Rex apud se statuit: Proximaq; à Rugia Usedomia occurrebat, situs opportunitate ad transmittendum in Germaniam bellum Julino potior. Nec enim hæc longè à Stralesunda, ad Rudam, celebrem navium stationem, sita: Ubi classis, & tutò appelli, & anchoris jactis, procellarum secura, militem qvàm commodissimè in terram exponere posset. Hanc ergò stationem, ut diximus, cum universa classe Rex ingressus, navibus, qvantùm potè, littori admotis, sine mora exscensum fieri imperavit.

Ubi à curiosulis observatum: Hoc anni tempore, ante seculum proximè elapsum, protestantes Electores, Principes, ac Ordines Romani Imperii, doctrinæ suæ capita, Carolo, Qvinto ejus nominis, Imperatori, in Comitiis Augustanis exhibuisse. Cujus rei memoriam posteri, eâdem ipsa die, qvâ regius Exercitus maximam partem in terram expositus, per omnem Germaniam recolere deprehensi.

Regis in primo appulsu Pietas.

Rex autem, simul ut terram tetigit, in genua provolutus, ab oratione expeditionem orsus fertur: Applaudentibus devotioni, & penè illacrymantibus, qvi circumsteterant, Exercitus Ducibus. Qvos ad similem ille pietatem ex animo hortabatur, additis memoratu dignis verbis: *Qvò plus precum, eò plus successuum fore; nec armis acrius ad victoriam pugnari, ac precibus.*

Tum providentia & sedulitas in se muniẽdo.

Qvia verò non injuriâ metus erat, ne Cæsariani, in hostis appulsum intenti, Regios, sub primam exscensionem, raros & incompositos aggrederentur, ideo in milite ad terram exponendo magnâ cautione Rex usus est. Omnium enim primùm, proximo ad mare littori, qvod grandioribus tormentis è classe, suis tutum, infestum hosti reddere poterat, insistens, Reductum occupabat, à Danicæ impressionis, Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo, octavo factæ, tempore semirutum, præsidiove destitutum: Milite exposito qvoq; pro se, id qvod poterat qvisq; ac valebat, vallum jacere jusso. Mox post stativa hæc in littore subitario opere munita, pagus haud procul dissitus (à Panis ostio seu ore Panimundam indigitant) promotis eò operarum sedulitate munitionibus, intra castra receptus, & agger circumcircà excitatus: Cui certo intervallo Reductus aliqvot astructi, machinæq; legionariæ, raptim è classe deductæ, qvà commodissimè visum, hinc inde impositæ. Pari qvoq; passu Regii munimentum, trans Panim in continenti terra uvido ac palustri loco situm, sed ab hoste desertum, reparaverant, & cippis, extrinsecùs præacuto multiplici ferro horrentibus, undiq; cinxerant, breviq; utrobivis adeò se munierant: Ut impetum hostis, qvantuscũq; & qvàm validus tandem foret, haud reformidarent.

Leslæus Regi jungitur.

Alexander autem Leslæus, simul ac regia classis ad Rudam appulisse comperta est, cum propria Legione, ac residuis sex Hallii, tum qvatuor Jacobi Duvalii, Tribunorum, cohortibus, mandatu Regis, naves ad id præparatas inscendens, Panimundam remigio veloq; pergebat. Ubi regio Exercitui se junxit: Eqvite Stralesundensi, qvem & ipsum Rex evocârat, terrâ aliqvantisper, ad usq; ripam Usedomiæ oppositam, procedente. Unde hic qvoq; pontonibus & navigiis in insulam transvectus.

Regis inter primas difficultates ad militem hortamenta.

Sub istud belli exordium cibatus commeatusq; aliqvantulum in arcto esse: Alimentis, qvæ Rex in classem congesserat, longâ navigationis morâ penissimè absumtis. Verùm hunc defectum Rex animi alacritate abundè supplere; tam factis exemploq; suo in omnibus laboribus strenuè præeundo, qvàm verbis ad brevem patientiam milites adhortando: In memoriam illis revocans. *Bellum hoc non modò tendere ad suum, Regnorumve suorum commodum, sed secum qvoqve trahere Vicinorum, qvi, eadem sacra professi, sub gravi hostium jugo gemerent, liberationem: Cui si fortiter incumberent, tam de oppressis Religionis consortibus, qvam Rege & Regno Sveciæ optimè merituros; apud posteros qvoqve immortalem Nominis gloriam adepturos. Ne vererentur præsentem aggredi hostem, ut novum & insolitum: Eundem enim esse, aut ejusdem certæ monetæ, cujus impetum annò in Borussia jam sustinuerint; qvi animos ipsorum & virile robur tunc, cum malo suo, fuerit expertus. Se qvidem forti & indefessa eorum opera, à Polonis non obstante, qvod hic hostis subsidio venerit, sexennes inducias, honestis condicionibus, consecutum: Nec diffidere, modò pares animos servarent, nervosq; suos in præsens æqvè intenderent bellum, qvin tuta qvoqve ac fida Pax, qva & suæ, Regnorumve suorum securitati consuleretur, & Vicini, Religionis necessitudine juncti, restituerentur in integrum, ab eodem hoste extorqveri possit. Utut verò difficultates qvædam ab initio se objiciant, non propterea illicò despondendum animum. Meminissent,*

non

non tirones esse, nec heri & nudius tertius in militiam ascitos; qvi, rebus ex voto haud usqveqvaq; fluentibus, vacillent statim ac labascant: Sed veteranos; utraqve sorte exercitos, &, alternante rerum vicissitudine, bonum malumve sæpiùs expertos, adeòqve inter adversa impavidos, ac meliora sperantes. Durarent tantùm & firmarent se adversùs prima hæc fortunæ tentamina Patientiæ scuto, reliquâ curâ omni in Regem rejecta; captato opportuno tempore ac commoda occasione contra hostem ducturum, totius Germaniæ spoliis divitem: Cujus exuviæ, si qvid nunc paterentur incommodorum, abundè essent compensaturæ.

His & similibus verbis erecti milites ad omnia paratos & obseqventes se præstitere: Cunctis difficultatibus æqvo animo superatis, nil magis, qvàm primo qvoq; tempore rectâ ad hostem ire, unanimiter in votis habentes.

Et ad Ducem Pomeraniæ literæ, adventus sui nunciæ.

Vixdum autem Germaniæ confinia Rex ingressus erat, qvandò Ducem Pomeraniæ literis compellare visum, ejusdem ferè cum responso, qvod Legatis ejus dederat, argumenti: Explicatis ordine causis, qvæ, cùm arma induere, tùm in Pomeraniam impetum dare compulerant. Nimirùm *Stralesundensium patrocinio semel suscepto, vel Civitatem hanc (ut alios respectus silentio præteriret) unicè sat præbuisse causæ, cur hic appelleret: Angustias, qvibus illa premebatur, hoste longiùs submoto, laxaturus. Idve eo magis: Qvod in Pomerania tot ac talia, consilio, facto, in sui ac maris baltici præjudicium, perpetrata sint, ut ambiguum reddiderint; num amicitiæ qvid porrò, aut securitatis indidem sibi polliceri posset. Hostem enim ultrò in regionis viscera, potioribus, transituve fluminum opportunis, locis traditis, receptum, hospitiis, commeatu, pecunia, omnibusq; necessariis, ad hunc usqve diem sustentari, foveri, roborari; qvin & hostilia hinc primùm in Regem strinxisse arma: Cùm Pomeranos potiùs decuerit, aut finibus suis molestos hospites propriis arcuisse viribus; aut Regis implorasse opem, subsidiave; aut certè, ad minimum, velut amicitiæ & fidæ vicinitatis necessitudine junctum, imminentis præmonuisse periculi. Ulteriùs, Pomeraniam cum Poloniæ Regno (cum qvo Rex Sveciæ non, nisi sex annorum inducias, pepigerit) tam ratione situs, qvàm consiliorum & intentionis similitudine, adeò arctè reperiri devinctâ, id qvod malo suo edoctus scribat, ut haud injuriâ ipsi prospiciendum fuerit; ne, nimiâ, qvam in Pomeranos antehac neqvicqvam collocarat, fiducia denuò seductus, ad eundem, in qvem jam antea impegerat, scopulum, secunda vice obhæreret. Namq; Pomeranos non modò ante biennium, militi suo, nec precibus nec oblationibus ullis attentis, in Polonorum gratiam, innoxium transitum ab initio rotundo ore denegasse, qvem tamen, præterito anno, integro Exercitui, contra ipsum in Borussiam tendenti, haud gravatim concesserint; armis insuper, commeatu, pecunia, vectura, eqvis, cæteris belli instrumentis pro virili instructo: Verùm etiam, cum transire tandem permitteretur, tamdiu detinuisse; dum Poloni, contractis in hunc finem copiis, à fronte occurrerent. Provincialibus interim Pomeraniæ, post interruptos pontes, terga obsidentibus: Adeò ut commeatu & viis omnibus prorsùm rursùm eundi intercluso dilabendi à signis imponeretur necessitas. Cum æqvæ amicitiæ jure Pomeranis incubuerit, si non commonefacere Regem instantis periculi, certè pari loco habere cum Polonis; & transitum, aut utriq; parti concedere, aut denegare utriqve. Nec tamen Regis arma in ullius Principis, nedum Ducis Pomeraniæ, ejusve subditorum, à multis retrò annis peculiari amicitiæ fœdere ipsi devinctorum, præjudicium & perniciem tendere; sed collimare potiùs ad propriam, &, qvæ huic connexa sit, publicam securitatem, velut unicum scopum. Regem itaqve duxisse operæ pretium, Ducem de eo reddere certiorem; num forsan malo huic aliqvod reperiri posset remedium? Et modò Dux de amicitiæ juribus sartis, tectis imposterùm conservandis debita ratione caveret, vicissim in eo, qvod honori aut commodo ejus cederet, haud signem se præbiturum.*

Rex occupat munimentum è Regione Wolgasto.

Qvia verò præter Croatas nonnullos, eminùs arma ostentantes, nec propiùs accedere ausos, hostis haud conspiciebatur, imò, vix ullum, aut certè paucos in omni insula superesse, Rex per exploratores compererat, idcircò munimentum, qvod, in insula situm,

situm, Wolgasto objacet, impetu adoriri statuit. Sed præsidiarii, loco diffisi, vix primis Regiorum ordinibus in obtutum venientibus, inde diffugiebant, tantâ trepidatione: Ut Croatarum non pauci, dum pontonem, qvi Pani transmittendo ad manus erat, raptim ac tumultuariè ingrediuntur, eo ob onus, irruentium præcipitantiâ, in unum latus inclinatum subverso, undis hausti perierint.

Tum illa ad Svevû. Hoc successu lætus Rex ad Svevum cum copiis perrexit: Unde præcocior adhuc Cæsarianorum fuga erat. Qvippe, necdum viso hoste, relictis, qvæ ad utramq; ripam exstruxerant, munimentis, maturè pedibus sibi consulentes, Regi Julini qvoq; insulam tentandi, dederunt ansam.

Tramissoq; Svevo Julinû. Namq; is nullam in adversa ripa remoram sibi objici conspicatus, militem in ultratam Julini ripam cymbis trajicere, gnaviter institit. Cujus Cæsariani, qvi in Urbe cognomine vires suas, ad tredecim eqvitum, peditumve cohortes, contraxerant, vixdum certiores facti, Urbe hac castellisq; ad Divenoæ ostium desertis, & ponte, qvi Julinum contingenti jungit, ignibus, qvantum festinatio permitteret, corrupto, præcipiti cursu triduû, anteqvàm Regiorum qvispiam illô proximaret, in diversa dilabebantur.

Nec non Caminû. Qvâ Urbe continuò occupatâ, Rex tres, Pomeraniæ littori prætensas, insulas suæ dicionis omninò fecit: Ponte restituto, ad ulteriora Pomeraniæ aditum mox sibi struens. Unde Caminum qvoqve, à Cæsarianis priùs expilatum, & pro derelicto habitum, in ejus potestatem concessit.

Et sanè pro singulari divini Numinis favore, felicissimoq; belli initi auspicio agnovit Rex primos hos, in potiundis sine ulla hominum & sangvinis jacturâ, insulis, utut desolatis admodùm & omni ad vitam tolerandam necessario sustentaculo exhaustis, successus. Exinde enim, si hostis virium confidentiâ tumidus ingrueret, ferocientis impetum tutò eludere, sin laborum protelo fractus recederet, lassati tergo liberè insistere licebat: Et, qvacunq; tandem Pomeraniæ parte pedem poneret, vires refecturus, Regii continuis incursionibus, qvietē ipsius interpellare poterant. Ut ita Rex hoc ipso, sive gerendi in Germaniâ belli, sive ducendi firmissimum posuerit fundamentum.

Severa inter Regios militaris disciplina. Coercebat autem severæ disciplinæ freno, primis hisce belli cunabulis, Exercitum; modicum tunc temporis, & hinc regi facilem, modestiæq; insvetum: Nec incolas, aut exactionibus ullis gravari, aut aliis affici molestiis patiebatur; militem, si qvid eduliorum ultrò suppeditaretur, eo contentum esse, sin prætereà qvid cuperet, præsenti ære comparare jubens. Testis hujus moderationis Edictum, postqvam vix qvatriduum in Pomeraniæ solo Rex egerat, solenni tympanorum concentu intra castra promulgatum: Quo *incolarum ædes diruere, aut tecto denudare aut aliàs sub qvocunqve prætextu & colore, iis eorumve bonis detrimentum inferre*, severè prohibebatur.

Et ejus fructus. Neq; fructu caruit hæc Exercitus continentia, verùm egregiam ei famam circumdedit, Regiq; adeò conciliavit popularium animos: Ut, qvocunq; veniret, adventum ejus gratulatione ac votis prosecuti, hostium verò enormes exactiones, presuras, rapinas, qvibus per integrum ferè triennium provinciam deprædatum ierant, ex animo detestati, in illius commodum, horum verò perniciem conjuratim pro virili cooperarentur.

Contius eminùs castra posuit, & Landsbergam præsidio insidet. 7. Adversus has Regis in Pomeraniam impressiones, Torqvatus Contius, Cæsaris Campiductor, duobus locis, ad Stolpam, nimirùm, qvà Panis præterlabitur, & Garcium, qvod Viadrus supra Sedinum lambit, castra metabatur: Landsbergam qvoqve novæ Marchiæ, ubi Wartæ fluvius ponte transitur, speciali Cæsaris mandatu, ne privatum ejus patrimonium hac viâ caperet detrimentum, præsidio insidens.

Cur autem, littore maris pro derelicto habito, ad extremam Pomeraniæ oram pedem ponere, qvàm sub primum appulsum Regi totis viribus in occursum ire maluerit, conjectare, haud sanè in proclivi est: Nisi forsan insulis, ubi & commeatus ægrè subvehi

vehi poterat, & receptus, necessitate exigente, plenus difficultatum videbatur, se ac Exercitum, imperio suo concreditum, committere haud consultum duxit.

8. Postqvam Rex insulas, ut diximus, in potestatem redegerat, ipsa Ducis Pomeraniæ aula ac sedes, vetus Sedinum, sponsa effecta: Qvam & Rex, &, Cæsaris nomine, Contius, tanqvàm corrivales, pari utrinq; votorum ambitu procabant. Nec injuriâ: Nam qvi in hac potiunda occuparet alterum, totius Pomeraniæ facilè compos fore & alterum exclusurus videbatur.

Veteris Sedini, loci q; positus, qvà Viadrus hic transitur, descriptio. Situm est enim vetus Sedinum, qvod alterius novi Sedini ulterioris Pomeraniæ oppidi respectu, differentiæ causâ, ita appellatur, ad solem occiduum, in Viadri ripa: Ubi diversis meatibus, nempè præter Principem, qvo Urbs alluitur, Parnitzâ; tum minori & majori Regelitzâ, undas suas latè dispergit. Horum autem tres posteriores, haud longulè infra Sedinum iterum confusi, unà cum Plôna & Inâ amnibus, lacum non exiguum (Dammensem ab oppido Dammo vocant) efficiunt. Oppidum istud in altera, & ulterioris Pomeraniæ ora, qva tellus à fluminis illuvie altior emergit, Sedino objacet; nec diversis modo Viadri meatibus, sed & profundissimis ac penè imperviis paludibus ab eo separatur. Aggerem tamen per voragines has magno labore stravit antiqvitas: Qvi ob varias & laciniosas ambages (nec enim rectà in sternendo progredi licuit, sed eminentiores colliculos, paludibus intermixtos, & stabiliorem in ipsa uligine fundum sectari necessum fuit) ad integrum milliare extenditur; à vivis, qvæ diximus, Viadri fluentis interruptus, & hinc aliqvot pontibus connexus. In aggeris medio, qvâ major Regelitza, & profunditate, & latitudine insignis, interfluit, crassa turris è cocto lapide ad transitus defensionem antiqvitùs structa apparet: Ubi Sedinensium Civitati certum vectigal penditur; aggeris, pontiumve reparandorum. Transitus hic Viadri, qvi naturâ, situq; munitissimus, &, qvod citeriorem ab ulteriori Pomeraniâ dividat, ad hanc illamve intrandum maximi momenti, occludebatur duabus velut ab utraq; parte seris; hinc Urbe, veteri Sedino, illinc Dammi oppido: qvæ possidere oportebat, si qvis illo commodè uti vellet. Uterq; verò locus impræsentiarum ab ipso Duce Pomeraniæ custodiebatur. Nec minùs, vel ea de causa Sedino potiri, belligerantium intererat: Qvod, cui hæc Urbs, & unà cum Urbe Princeps se addiceret, in ejus potestate reliqvos populares, Domini vestigia secutos, similiter appareret futuros.

Utriusq; Regis pariter ac Contii huc collimans intentio. Et Rex qvidem vento secundo, intra aliqvot horarum spatium, mari atq; adverso Viadri flumine eò progredi cum classe poterat: Cui fini ingenti mediocrium navium, qvantas flumen fert, numero ad Svevi os contracto, aqvâ periculum facere decreverat; præmissis illuc, animorum præparandorum & viæ adventanti sternendæ, Davide primùm ab Osten, nobili Pomerano, aulico interioris admissionis ministro, mox paulò ante, qvàm eò moveret, suo à Secretis, Henrico Svalenbergero.

Ex adverso Contio Consilium fuerat: Antiqvâ Sedinum ac Dammum inter turri, ubi portorium exigitur, incessâ, hoc ab illo sejungere; eâ ratione ad Sedinum occupandum, Urbe in majores sensim angustias redactâ, sibi struere viâ; aut certè, Dammo intereà leviori negotio oppresso, Sedinensibus, & qvoscunq; receptarent, aditum intercludere ad ulteriorem Pomeraniam.

Id qvò effectum daret, neve illis, qvi in turri, oppidò pauci, excubabant, Sedino qvisqvam veniret subsidio, binos pontes, qvibus Parnitza & minor Regelitza, Urbem ac turrim interlabentes, sternuntur, picatis doliis admotis igneq; subjecto, corrumpere statuit. Verùm, re cognitâ, nec turri modo, sed & dictis pontibus validâ statione ex Urbe firmatis, ad irritum cecidere hæc molimina. Spe igitur isthac lapsus Contius, ex utraq; Pomerania & vicinis dicionibus validum contrahebat Exercitum; eâ mente: Ut Sedino, unde, ad Gartzium castra metatus, vix qvatuor milliaria aberat, sum-

summâ vi desubitò ingruens, antequam quisquam provideret, aut laboranti succurreret, potiretur.

Rex prævertitur Contiú.

Nec Regem fefellerat Contii consilium, sed ad maturandam, quam animo conceperat, intentionem calcar addiderat. Quapropter Exercitu & omni bellico instrumento navibus imposito, vela Sedinum versùs faciens, etiam famæ velocitatem adventu suo prævertit: Nec prius, Regem affore, illic cognitum; quam displosis, more Svecorum, duobus grandioribus tormentis, Urbem jam vicinam salutaret.

A fide dignis hîc relatum: Reflante primùm vento, adversi fluminis angustias enavigare, impossibile visum: Regemq; in nō exiguam ob id conjectum sollicitudinem; quod res in summa celeritate posita, procrastinationem nullam pateretur. Simul ac verò navim Rex conscenderit, auram illicò mutâsse, & adeò implêsse vela: Ut classis sex milliaria, intra duarum horarum spatium citatissimo cursu ferentibus ventis emensa, ad Oderburgum, haud procul Sedino, appulerit; exindeq; præsentissimum divini Numinis favorem manibus velut palpare licuerit.

Neq; diu hic cessatum: Sed milites ac tormenta minuscula, momento penè exposita, terram tenuêre. Sigefridus verò à Damitz, Ducis Bogislai Tribunus, qui militiæ ducariæ ad tutelam Urbis præerat, eâ de re certior factus, tympanotribam ad Regem statim misit, percontatum: Quidnam subitus & inopinatus hic adventus sibi vellet? Quidve Princeps aut Urbs de Rege sibi haberent polliceri? Simul admonuit, ne Urbi propiùs succederet miles: Alioqui, muneris, quod sustineret, memorem, arma in illum, ac tormentorum longiorumve tuborum fulmina expediturum. Cui renunciari Rex jussit: Veniret ipse, & causam adventus sui cognosceret.

Regis tractatus cū Delegatis Ducis Pomeraniæ,

Damitzius, hoc intellecto, Domini sui jussu haud moratus, unà cum aliis nonnullis Principis Delegatis, apud Regem in patenti campo se stitit. Quibus Rex, quid venisset, brevibus exposuit: *Quia, Sedino potiri, ratio belli ac necessitas flagitaret, amicè in Urbem admitti* postulans. *Alioqui, stante jam in procinctu sub machinarum jactum milite, & ad impetum faciendum parato, armorum sibi imponi necessitatem: Ac vi tentaturum, quod cum bona gratia negaretur.*

Ad ista respondere Damitzius & Delegati Ducis. *Dominum suum Cæsari, ut summo Magistratui, intemeratam hactenùs servasse obsequii fidem; & servaturum deinceps: Adeòve fidelis & obsequentis Principis nomen ac famam etiam post fata relicturum posteris. Petere itaque à Rege, ut postulatis hisce absisteret: Quin potiùs deduceret omninò dicionibus suis Exercitum; nec afflictam, vixq; ab exantlatis miseriis adhuc dum animam trahentem, Pomeraniam, novis bellorum incommodis obrutam, omninò pessundaret.*

Excusationi huic Rex in continenti occurrere. *Non ea mente venisse, ut obedientiæ summo Magistratui debitæ, aut imperii Romani juribus detraheret quicquam: Sed ut propriæ consuleret securitati; tum porrò DEI gloriam promotum, & oppressos Religionis suæ consortes, maximè Vicinos, quos inter Pomerani haud postremi, sub atroci Tyrannorum jugo gementes, inde liberatum iret. Utut autem hæc se haberent, cum capite libentiùs, ac membris, ab ejus nutu pendentibus, negotium ipsi fore, & ideò confidere: Principem ipsum haud gravatim extra Urbem ad colloquium venturum. Id quod Delegati Domino suo renunciarent.* Qui, accepto hoc responso, mox, unde venerant, discessêre.

Dum autem nuncium ad Ducem referunt, Rex in tumore civium, qui, novitatis & Regis videndi avidi, undiq; confluebant, cum uno, alterove è prmioribus familiariter locutus, affabilitate solitâ penitùs in partes suas eorum traducebat animos: Jam anteà illuc propensos, & Cæsarianorum arrogantiæ, insolentiæq; pertæsos.

cum Duce ipso.

Interim Bogislaus, Pomeraniæ Dux, Regis desiderio obsecutus, cum interioris admissionis Consiliariis Urbe egressus, in campum prodierat: Quo Rex humaniter accepto & salutato, summam rei eleganti & nervosâ oratione executus est, sequen-

feqventem in modum. *Se quidem, tum conservandorum suorum in mari baltico Regalium, quorum in fraudem Cæsariani maritimam Germaniæ oram insederint, &, velut officinam nidumq; prædonum, turbandis commerciis destinarint, tum ob indignitates & injurias, quibus immeritum, ut anteà multimodis, ita æstate maximè præterita insignitè lacesſierint, potisſimùm ſtrinxiſſe arma: Nec minùs tamen ejusdem etiam Religionis consortium miſerias ac calamitatem fuiſſe cordi; quibus, quantum pote, opitulari, & ex intolerabili jugo, quo hactenùs aliqvot per annos presſi fuerint, jam penè deficientes eripere, christianæ charitatis & conſcientiæ vinculo obligetur. Imprimis Pomeraniæ, ejusve Duci, etiam nulla ad id prece invitatum, ſed ſponte ſua & gratuitò venire ſubſidio, oppresſosq; è durisſima, quam Cæſarianorum tyrannidi jam integrum triennium ſerviant, ſervitute, in priſtinam vindicare libertatem, ſui muneris arbitratum. Qvippe regnum Sveciæ cum hac provincia, à tempore, cujus memoria vix exſtet, per mutuũ commerciorum uſum, ſingulari junctum fuiſſe necesſitudine: Quæ ſarta, tecta hucusque manſerit, & arctioribus pactorum, inter Antecesſores ſuos, Reges Sveciæ, ac Pomeraniæ Duces, nec non utrorumq; Regna & provincias, Anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo, Sedini initorum, nodis firmiùs ſit conſtricta. Et ſanè rei indignitatẽ quoque non mediocriter ex eo auctã: Quod ad convelandam facinorum perpetratorũ atrocitatem, Regis nomen Cæſariani obtenderint. Poſtquam igitur hoſtes, Rugiâ jam ante à ſuis ejecti, reliquas quoque inſulas, Urbes, portus, munimenta, quæ velut claustra Regem ab aggresſione Sedini arcuiſſe potuerant, ſub adventum ſuum ſine pugna deſertum iverint, ad occupandum Urbem hanc eò magis properaſſe, quò certiùs ipſi conſtiterit: Cæſareum Campiductorem, Contium, idem animo agitare, &, contracto Exercitu, ad inopinatum Urbis asſultum ſe accingere. Recoleret modò Princeps & repeteret ſecum triennalium afflictionum memoriam; quam avare, quam crudeliter, quam ultra Chriſtiani hominis modum Cæſariani in ipſius dicionibus ſe gesſerint: Et exorituram illi indubiè, ab his injuriis ſe ſubditosq; eximendi, atque deinceps adverſus eas muniendi cupidinem potius, quàm ut ſe, ac reſiduam, quæ unica ſuperaret intacta, Urbem, aulæve ſedem, in profundum nefandæ immanitatis barathrum, ſine ulla impoſterùm emergendi ſpe, ulteriùs immerſurus ſit. Regis in poteſtate jam exiſtere Straleſundam, citerioris Pomeraniæ Metropolim: Principatum quoque Rugiæ & binas Uſedomiæ ac Julini inſulas, non poſtrema Pomeraniæ membra, in ejus conceſſiſſe dicionem. Nec tamen, utut hoſtem inde expulerit, ſibi illa aſſertum ire, ſed Duci, ut vero Domino, bonâ reſtituturum fide: De cætero quoque, nec Duci, nec ejus provinciæ, maximè Sedino, aulæ principalis ſedi, gravem ulla in re, aut moleſtum fore, ſed ita erga univerſos, ſingulos ſe gerere paratum; ut favore potiùs, quàm odio dignum ſint judicaturi. Confidere itaque: Ducem haud gravatim ipſum cum ſuis, ut amicum & amicos, recepturum in Urbem. Sin minùs: Quia hoſtem tot commoditatibus, quæ ex loci hujus occupatione eum maneant, potiri, æquo animo nec velit ferre, nec posſit, aliâ via rem tentare, & cum Exercitu, qui jam ſub ſignis paratus ad id ſtet, aggresſionis aleam ſubire paratum.*

Ad hæc Dux, poſt brevem cum Cõſiliariis in ſeceſſu deliberationem, reſpondens, variis injectis ſcrupulis Regis deſiderium morabatur: *Sacramentum* imprimis, *quo Cæſari & Imperio obſtringeretur*, obtendendo; & *Cæſaris, primorumq; cæſareæ militiæ moderatorum promiſſa* in medium adducendo. *His enim ſæpiculè, &, ultima adhuc vice, tradito Garcio, religioſè ipſi cautum; Aulæ hanc ſuæ ſedem ab omni hoſpitiorum militarium onere liberam fore: Cui promisſioni hactenùs ſteterint, & impoſterum quoque ſtaturos, ſpes ſit. Orare itaque Regem: Ut ſi univerſâ provincia cum Exercitu decedere belli ratio haud admitteret, ſaltem ipſum & unicã Urbem hanc ſuam, aulæ receptaculum, conceſſo eodem immunitatis privilegio, belli incommodis exemtam, innoxia tranquillitate frui pateretur.*

Contrà in continenti Rex repoſuit; ab initio ſolenniter denuò proteſtatus: *Non aut reverentiam ſummi magiſtratus, cujus nomine, velut mantello, enormia quæque facinora ha-*

hactenus palliata fuerint, aut Romani Imperii jura imminutũ, appulisse inGermaniam; sed se ac Regna sua debita securitate munitum, unave & eadem opera provincias Germaniæ maritimas, male feriatorum hominum injuriis oppressas, pristinæ restitutum Libertati. Cæsarianorum promissa qvod attinet, certè Ducem, si in conscientiam suam regrederetur, diffiteri neutiqvam posse: Dictis & scriptis satis dapsiles, qvamplurima hucusq; pollicitos, sed vix una in re servasse fidem. Qvinimò Regi pro certo compertum: Contium adversus Sedini Urbem, utut diversum receperit, hostilia jam machinari. Tandem, ne causæ qvidem satis habere Ducem: Cur præfracto animo Regis postulatui repugnaret, aut defensionem & arma contra externam vim sibi imaginaretur. Notam Regi Urbis munitionem, qvàm debilis; nota loca nonnulla (qvæ Duci nominatim designabat) *aggressioni peropportuna: Adeò ut, vel Ducis ipsius, & omnium Civium ingratiis, Urbem non magno negotio confestim in potestatem redigere consideret.*

Rex Sedini recipitur. Rege ita vehementissimè instante, nec postulatione suâ vel latum ungvem decedente, Dux tandem, Deum Opt. Max. clarâ voce, ut omnis circumstantium corona exaudiret, testem hujus actus invocans, ejus desiderio assensus est. Rex igitur, nullâ morâ interpositâ, eodem adhuc, qvi sextus Iduum Julii erat, die, non per portam, & consvetos aditus Urbem introire voluit, sed duabus, semifactis adhucdum, nec altè satis depressis, fossis superatis, per angustum ponticulum vallum rectà cum suis inscendit: Disposito hinc inde opportunis locis milite, Urbem circum circà stationibus, qvot satis erant, è vestigio firmans. Nec qvievit, priusqvàm Dammi oppidi possessionem qvoq; indipisceretur; misso illuc Joachimo Brahæo, Comite de Wisingsburg: Qvi ibidem loci non longè post, in primo ætatis flore immaturâ morte abreptus, inter vivos esse desiit.

Peditum autem qvicqvid Dux Bogislaus, sub Tribuno, Sigefrido à Damitz, ad sui, Urbisve præsidium, hactenùs aluerat, permissu Domini, Regis militiæ sacramento se addicebat: A signorum colore alba deinceps Legio denominata.

Et hæc illa veteris Sedini occupatio; in qva Rex Contium, Cæsaris Campiductorem, vix bidui spatio antevertisse putatur: Qvæ tamen exigua mora magno constitit eidem Contio, & Cæsaris rebus in Pomerania exitio cumprimis fuit.

Fœderis inter Regem & Ducem articuli. Sub Regis intra Urbem receptionem certum fœdus utrinq; placitum, & mox Regis pariter ac Ducis manu sigillove corroboratum est: Cujus seqventia numerantur capita. (1) *Fœdus inter Regem, Ducemq; ac utriusve Regna & provincias perpetuum, amicitia reciproca, sincera, ac constans esto; neq; alter in alterum hostile qvippiam tentato, tentarive ab aliis permittito: Sed uterque mutuis armis & auxiliis, utriusqve jura, dignitatem, communemve Libertatem, contra injustam hostium vim, defendunto. Libera qvoqve inter subditos hinc inde commercia, omnibus modis promoventor. Tum, singulis decenniis Fœdus renovator.* (2) *Stringito hoc Fœdus ad defensionem tantùm, nullius autem offensionem: Nisi qvatenùs cum defensione & conservatione horum pactorum necessariò connexa.* (3) *Non tendito contra debitam a Duce Cæsari & Imperio Romano subjectionem; non iis, ad qvæ superioris Saxoniæ Circulo Dux Legibus Imperii obstringitur, qvicqvam detrahito: Ita tamen, ne ab illis in hujus conventionis præjudicium attentetur qvid, aut attentari permittatur. Principis qvoqve eminentiæ, Regalibus, jurisdictioni, juribus, tum provinciarum privilegiis, aut juri cujuscunqve singulari nil per id derogator. Nec* qvippe *Fœderatio hæc* (4) *alio fine facta intelligitor: Qvam Pacis religiosæ ac profanæ conservandæ; Pomeraniæ ab omnibus pressuris, qvibus hucusqve, contra ipsissima Cæsaris promissa, mandata ac declarationes, gravata fuerat, liberandæ; & periculosarum novationum removendarum. Restituito itaqve* (5) *Rex Duci omnia jam occupata, & occupanda imposterùm, in Pomerania loca cum Regalibus ac juribus, omnibus & singulis; nulla expensarum habita ratione: Stralesundam qvoqve*

qvoq; obedientiæ, Duci debitæ, admoneto. Dux verò nil qvicqvam è dicione sua alienato, & ejusmodi homines administrationibus præficito, qvi regiis Commissariis in his, qvæ ad provinciæ defensionem pertinent, præsto sint: Stralesundensium qvoqve privilegia, ac Fœdus cum Rege initùm confirmato; gravaminibusve, sine mora medetor. (6) *Episcopatus Caminensis liberæ electioni, dignitatiq́, juribus ac privilegiis suis sibi relinqvitor.* (7) *Neuter, altero inscio, ab hac conventione discedito. Dux cum nemine præterea paciscitor: Rex verò, si qvid novi in Pomeraniæ utilitatem agitet, de eo Ducem reddito certiorem; nec eundem, aut ejus provincias à conventione excludito.* (8) *Aliis Principibus fœderi accedere, dum ne alterutrius è Fœderatis condicio durior hoc ipso reddatur, liberum esto.* (9) *Huic conventioni nulla alia pactio in Pomerania obesto: Nec Duci, absqve Regis consensu, aliis fœdere jungi, integrum maneto.* (10) *Si alteruter eorum bello ob hoc Fœdus impetatur, utrinqve pro viribus sibi mutuo succurrunto: Qvin etiam, alios in Fœderis communionem adsciscere, & media defensionis hac ratione augere, omni nisu studento.* (11) *Privilegium indiginatus, ut vocant, seu agnatæ Civitatis, Svecis & Pomeranis invicem communicator.* (12) *Moneta tam Regia, qvam ducaria in Svecia ac Pomerania promiscuè, secundum tamen cujusve loci valorem, usurpator.* (13) *Si qva inter Regem atqve Ducem, eorumve Regna ac provincias oriatur controversia, civiliter illa & amicè, secundùm modum, in transactione Sedinensi Anno millesimo, qvingentesimo, septuagesimo placitum, aut per arbitros sopitor.* Tandem (14) expresſis verbis Rex providit, ac sibi reservavit. *Si Ducem Pomeraniæ sine hæredibus masculis decedere contingeret, antequam Elector Brandenburgicus hanc conventionem approbaret calculo suo, aut ad liberandas provincias re ipsa opem ferret, aut si eidem ab aliis de successione lis moveretur; ipsi ac ipsius in Regno successoribus, Pomeraniam in seqvestratoria ac clientelari protectione detinendi jus tamdiu fore: Qvoad omnis de successione controversia dirimeretur, & Successor sumtus belli (absqve ullo tamen Pomeraniæ onere) rependeret Regi, simulve Fœdus hoc ratihaberet.*

Isthæc Fœderatio, eo tempore inter Regem Ducemve inita, seqventi Anno, in freqventissimo Ordinum Pomeraniæ conventu, eorundem Ordinum consensu, & præsentium subscriptione, sigillove, omnium, etiam illorum, qvi aberant, nomine, vi suscepti mandati, firmata est.

Ab Ordinibus Pomeraniæ post ratihabiti.

Inter ipsam Fœderis consummationem Ducis ministri præcipuè & speciatim urserant: *Ut, Stralesundâ sub obedientiam Principis reductâ, qvicqvid hucusqve inter hunc, Civitatemve ortum fuisset dissidiorum, cognitione secundùm Leges & privilegia provinciæ instituta, componeretur.* De qvo tamen Rex, nescio qvid subesse suspicatus, usq; ad ulteriorem inqvisitionem assensum suum suspendit.

Ducariorum, de Stralesunda sub obedientiâ Principis reducêdâ, postulatû

Nec Stralesundenses, re compertâ, sibi defuêre: Datis ad Regem literis, omnem rerum, qvæ in Pomerania acciderant, seriem, à prima usq; Cæsarianorum in provinciæ viscera receptione, prolixè eidem exponentes. *Ut*, nimirum, *Dux Pomeraniæ, perversorum qvorundam svasu ac consilio, absqve universali Ordinum provincialium placito, in receptionem Cæsariani militis consenserit: ut receptio hæc, & subsecuta hospitiorum distributio, eorundem Consultorum vafritie, in Urbium, præcipuè Stralesundensis, ruinam ac perniciem directa fuerit; Qva de causa, ut Stralesunda hospites hos intra moenia admitteret, obstinatè & ingenti animi contentione operam dederint. Qvoniam verò Arnhemius Stralesundensibus, onus hoc à cervicibus suis deprecantibus, aures non iniqvas præbere videbatur, ducariorum interventu eo rem deductam: Ut is, mutatâ sententiâ, hospitiorum distribuendorum modum Duci in manus consignans, tractatu, cum Stralesundensibus coepto, absisteret. Qvo facto, instantissimè iterum de admittendo milite ipsos interpellatos; tandem nihilominùs, dum in proposito immoti perstarent, cum Duce conventum: Reciperet, Civitatem ab hospitiis militaribus fore immunem; Civitas vicissim nihilo seciùs, ac reliqvi provinciæ Ordines, sumtuum onus subire, ac pro rata ferre tenerentur. Paulò post Delegatos suos, habito Ordinum*

Stralesundensium contra id protestatio, & de Ducariorum injuriis qværelæ.

num conventu, qvid è re Civitatis esset, secundùm mandatorum tenorem exponentes, acriter increpitos, atrocibus verborum injuriis affectos, ingratiis detentos, & militari custodia intra hospitii septa coercitos: Imò palam & promiscuè, conspicilla Stralesundensium naribus brevi impositum iri, minacibus verbis jactatum. Nec caruisse effectu minas: Dänholmiâ, seu Danorum insula, qvæ portui Urbis incumbit, à Cæsarianis insessâ, & festinatis operibus muniri cœpta. Et hìc denuò (qvanqvam res ipsa testaretur, in Civitatis exitium id vergere, nec ullus sanæ mentis de eo ambigeret) Consiliarios Ducis nullum non movisse lapidem, qvò à Stralesundensibus ad id conniveretur: Cumq; nec vellent id tolerare, nec possent, qvamplurimis principalibus mandatis ac rescriptis, objurgando, imputando, protestando, monitisqve minas jungendo ipsis fuisse molestos. Transactioni mox cum Cæsarianis tentatæ durissimas annexisse condiciones; magnâ instantia obstinasse; & contra Civitatis salutem sedulò ac curiosè laborasse: Summatim, eò collimasse; ut Civitas, omnibus defensionis adminiculis nudata, aut in hostium deveniret manus, aut certè ipsorum absoluto manciparetur arbitrio. Tandem, dum Urbs crudeli premitur obsidio, nullam à Ducariis sensisse opem: Qvin potiùs hostem omnibus rebus, ad oppugnationem necessariis, in ejusdem perniciem instructum, armatumve. Hoc, videlicet, modo ipsos conjunctis dolis ac viribus impetitos; omne pristinæ necessitudinis vinculum diruptum; reciprocum protectionis ac amoris debitum, jura qvoq; & privilegia provincialia à Ducariorum parte insuper habita. Eapropter certam de Rege spem fovere; haud æqvum judicaturum, ut, seposito omni contumeliarum, injuriarum, damnorum, qvæ exantlaverant, respectu ac memoria, ita absolutè, prout à Ducariis flagitatum erat, jugo succederent: Nec alterius id iis videri effectus, qvam, qvod hocipso illorum, qvi innocentes sub nomine & tegmine amicitiæ clam fuerant persecuti, prædæ & ludibrio exponerentur. Cum enim vastities, Pomeraniæ à Cæsaris milite illata, Civitati à Ducariis imputari velit, facilem inde conjecturam fieri: Si hi, velut austregarum Judices, in causa sedeant, qvalisnam sententia, secundum privilegiorum, qvæ allegent, tenorem, exspectanda foret. Habere autem causas prægnantes, cur cum Ducariis in tractatum descendere graventur, anteqvam inter Regem & Cæsarem de Pace planissimè transigatur: Obsecrare itaqve Regem, ut hoc eorundem postulatū eousq; differre velit.

Hæ Stralesundensium literæ, ad Regem delatæ, suspensum ejus jam anteà magis adhuc perculerunt animum. Itaq; Ducariis, aliqvo post intervallo, postulatum suum iterantibus, sub prætextu; *qvasi mitorum pactorum vi Stralesunda Duci in manus jam esset tradita*: Insolens Regi visum; *de Civitate ad cæcam, nullisq; regulis limitatam, obedientiam, omni alio respectu seposito, vi & armis compellenda, flagitari.* Interventum tamen suum & operam Duci obtulit: *Si amicabili via dissidia, inter ipsum & Civitatem enata, sopiri haud ægrè ferret.* Eadem Regis semper mens, idem responsum; Qvotiescunq; à Ducariorum parte rei hujus & dissidiorum, cum Stralesundensibus intercedentium, mentio postmodum injiceretur. *Regis ad ista declaratio.*

Qvarto Iduum Julii, biduo post, qvàm Sedino potitus erat, Senatum & primores Civium convocatos Rex admonuit: Urbem illorum, ejusve munitiones, non ubivis satis validas, ut hostium impetum sustinere possent, & securitati incolarum sufficienter iis esset prospectū: Adjectis itaq; ad priora novis aliqvot munimentis, ulteriùs firmari, è re ipsi videri publicâ. Qvod si cives manū operi admoverent, lento & verè testudineo gradu procedere labores: Militem autem suum, utpote huic rei insvetum, longè ad id expeditiorem fore. Et horum qvidem industriâ, cum res moram non ferat, usurum: Certâ tamen spe duci; cives singulos, ne militum opera planè esset gratuita, qvòve alacriores labori se accingerent, ultroneam stipem in hanc rem haud gravatim collaturos. Nec frustrà Rex fuit: Cives enim, pro opum suarum qvisq; modulo, prompti & liberales exstiterunt; si qvibus tamen, ob inopiam, ea facultas non erat, ipsimet labori succedentes, opus promotum ivêre. *Rex Sedinum novis operibus munit.*

Ita

Ita à Pasſavienſi portâ, circa molas ventoſas, qvà tellus extra Urbem paulò altiùs in clivulum attollitur, usq; ad Viadri ripam ſupra Sedinum, ubi ſuburbium, ſuperior vicus dictum, jacet, eximiæ molis vallum, unà cum pugnaculis eidem annexis, juſtâ diſtantiâ ſe invicem reſpicientibus & tutantibus, tum exterioribus nonnullis ad foſſæ labrum munitionibus, qvæ primos hoſtium impetus exciperent, brevi tempore excitatum. Molam autem, qvæ à colliculo in vallem, à ſuibus nomen antiqvùm adeptam, deſpicit, qvod aliqvantò longiùs abesſet, qvam ut in Urbis munitionem posſet recipi, peculiari caſtello, qvalia à forma ſtellata dicimus, includi, commodiùs viſum. Nec minùs Rex, ſecuritati Exercitus, qvi ad alterum Urbis latus, ubi Viadrus, Urbem jam præterlapſus, defluit, extra mœnia ferè tendebat, proſpecturus, magnum illinc tractum, & in eo, cum Oderburgi arce, alterum ſuburbium, inferiorem ſcilicet vicum, aggere, minoris qvidem molis, ſed ad arcendum tamen hoſtem ſatis apto, interſertis hinc inde Reductibus, cinxit. Qvæ opera, cùm Regis, noctu diu laboribus incubantis, ſedulitate, tum militum indefeſsâ promtitudine exiguo aliqvot dierum intervallo, adeò in altum crevêre: Ut nemini non admirationem conciverint.

In mediis qvoq; paludibus, Sedino Dammove interjectis, ad majorem Regelitzam, qvadrangulum, totidem propugnaculis extuberantibus, munimentum conſtrui, Rex curabat: Ubi cum terra congeſta, inſtabili fundo, ſubinde ſubſideret, à palatione & faſcium ſubſtratu qvalecunq; huic rei qvæſitum remedium.

Rex cum Duce, Civitateq; de Urbis defenſione paciſcitur.

Præterea, qvò, Rege cum Exercitu hinc digreſso, ſecuritati Urbis nihilominùs conſultum eſset, inter eundem ac Ducem, Civitatemve, *de tribus peditum legionibus, qvater mille capita ſub ſignis continentibus, ab his intra mœnia recipiendis*, conventum: *Qvibus Rex ipſemet ſtipendia ſolvere, cives verò hoſpitia tantùm, & qvæ militari conſvetudine his annexa (ſervitia vocamus) præbere tenerentur. His Rex præficeret Ductorem; qvi, tum proprio, tum totius præſidii nomine, Duci ſtipulata manu repromitteret: Urbem, & Regis, & Principis bono, adverſùs qvorumcunqve inſultus defenſurum. Militiæ ſupremum regimentum, in Regis abſentia, vi horum pactorum, penes Principem erat; ita tamen, ne miles alibi, qvam coram Præfecto regio, forum ſortiretur: Gubernaculis politicarum & eccleſiaſticarum rerum in Urbe, qvibus antea competierant, Magiſtratibus impoſterùm qvoqve ſartis, tectis manentibus.* Cautum deinde: *Ut Dux diſponendarum vigiliarum, tormentorum hinc inde collocandorum, & ſimilium facultatem regio Præfecto committeret, eiusq; ut rerum harum periti, permitteret arbitrio. Portarum & armamentariorum claves Duci ac Civitati relictæ; verùm hac lege. Ne unqvam, niſi præſente regio Præfecto, aperirentur; neqve, niſi eo præſcio, qvicqvam, tuendæ Urbi neceſſarium, aut exportaretur, aut inferretur. Excubias communiter & pleraſqve milites, interiores verò in ipſis Urbis viſceribus cives obire*, placitum: *Stationes* autem *commodas pro excubitoribus exſtruere, & rebus qvibusqve neceſſariis inſtruere, Magiſtratus urbicus in ſe recepit. Duci qvoqve, teſſeram dare militarem, reſervatum*: Qvi tamen in re militiæ Regiæ Præfecti admodùm providè ſe gerebant; ad proditionem & diſcrimen, qvod ex evulgata ſuboriri poſſet, evitandum, præter hanc, aliâ inſuper ſecretiori ſemper uſi.

Stargardia in Regis poteſtatem tranſit.

Vixdum autem Sedinum in Regis poteſtatem conceſſerat, cum tertio Iduum Julii, ne aut ipſemet feriaretur, aut hoſtem feriari ſineret, Tribunum Damitzium, & militem, qvem, à Duce Pomeraniæ tranſcriptum, in fidem nuper acceperat, ut locorum gnaros, prima fortitudinis experimenta daturos, Stargardiam miſit: Urbem qvinq; milliaria Sedino diſtantem, &, ſecundùm hanc, inter primas ulterioris Pomeraniæ facilè numerandam; tunc temporis ab hoſte ſeptem, noviter conſcriptorum, necdum luſtratorum, peditum cohortibus, ductu Tribuni de Four, inſeſſam. Hi, utut aurora, noctis, qvæ impreſſioni deſtinata fuerat, tenebris depulſis, tardiuſculè euntium adventum præverteret, & hoſtes, ad arma excitati, in procul

cul visos tuborum stringerent fulmina, eo tamen haudqvaqvam attento, Urbem celeri gradu prætervecti, superato ad Inam amnem vallo, versùs portam fluviatilem, qvam à Cæsarianis per incuriam nullis excubiis munitam noverant, præmonstrante hunc aditum Casparo Kempendorffio, incolâ Stargardiensi, perrexêre; leviq; negotio effractâ, irrupêre Urbem: Obviis qvibusq; Cæsarianorum hostiliter habitis. Centum, & qvod excedit, in primo irruptionis fervore trucidati; totidem capti: Qvos Civitatis curiæ miles regius inclusit; foribus obseratis, atq; custodiâ appositâ, dum cum reliqvis fabula perageretur. Cæsariani etenim, Urbis amplitudini, qvæ mediocri præsidio defendi posse haud videbatur, diffisi, vallum ad Divi Johannis præcursoris portam, jamdiu antè absciderant; ut reliqvâ Urbe pulsis, post hanc sectionem tutus pateret receptus: Proximâ ad Divi Johannis turri per exiguum ponticulum, qvo hinc inde discurrere liberum foret, muro ac vallo conjunctâ. Huc ergò, ut & in turrim propè sitam, qvam mare rubrum vocitant, se recipiens, qvicqvid Cæsarianorum à cæde supererat, resumtis animis, defensioni suæ acriter institit. Regii econtrà ex ædificiorum, qvæ in vicinia occupaverant, tectis, cumprimis è qvadam suburbii, proximè imminente, domo adeò mox eos infestare: Ut brevi vix caput qvisqvam è loco receptus exserere auderet. Nec minus ad ædem sacram laborari: Ubi cum hostis in turri & fornicibus templi maximè nidulari animadverteretur, pulveris tormentarii violentiâ hos disjicere, optimum factu visum; subjectis tribus ejusdem pulveris doliis, & apposito ardenti funiculo, totidem pollices transversos longo. Dum autem hæc illic geruntur, crepitaculum, seu machina pyrabolaris (petardam vulgò indigitamus) foribus rubri, qvod dicitur, maris felici eventu admotum, easdem patefacit: turriq; potitus regius miles Cæsarianos, qvos oculis subjectos, & ictibus apertè expositos, indesinenter impetebat, ad deditionem mox compellit. Ita, omni periculo defunctus, ad Divi Johannis inde properat; retrahendi à pulvere funiculi: Ne, conceptâ flammâ, templum, & ipsam forsan Urbem, ignis contagione, præsenti exitio involveret. Sed seriùs; ni divina antevertisset providentia: Funiculum enim, dum vix pollicem transversum à disperso pulvere abest, gliscens ignis destituerat. Cæsariani eadem adhuc die, salvis armis lateralibus, & impedimentis, Garcium discessêre; relictâ Regiis rerum omnigenarum copiâ neutiqvàm contemnendâ: Stargardiam enim velut horreum in ulteriori Pomerania statuerat Contius; ubi annonam, & reliqva, bello gerendo, congereret. Id qvod percommodum accidit Regi: Qvi ter mille, nongentos, viginti novem frumenti modios, atq; farinæ constipatæ mille, trecenta, decem & septem dolia, nec non grandiores aliqvot machinas, cum apparatu bellico haud mediocri, hic loci nactus est.

Majoris tamen momenti erat: Qvod hostis, qvi Garcii tendebat, Urbe hac ejectus, ab ulteriori Pomerania & præsidio Colbergensi, viâ hinc inde interscisâ, penè excluderetur; certè faciliori omni communicatione cum his excideret. Cui qvoq; fini non diu post, mense Augusto, Regis mandatu, idem Damitius, arcem Gatzigk/ in his confiniis sitam, triginta militum præsidio firmatum iit. *Arx Gatzigk præsidio firmatur.*

11. In hac rerum metamorphosi Dux Pomeraniæ facilè conjectare poterat: Regis Sveciæ receptionem ab aulæ cæsareæ Ministris in sinistram partem acceptum iri. Datis itaq; ad Cæsarem literis, & summatim repetitâ malorũ ac calamitatum, in qvæ hospitia, Cæsariano militi præbita, ipsum conjecerant, memoriâ, omnem rei gestæ seriem eidem exposuit. *Ut*, nimirum, *Rex, Pomeraniam ingressus, nemine illorum resistere auso, qvi defensores jactabantur, &, sub defensionis specie, ipsum suosve omni penitissimè habentiâ exhauserant, eqvis insuper subditos & armis plerisqve spoliantes, principatum Rugiæ primùm, mox maritimam Panimundæ stationem, ac solidas, Usedomiæ & Julini insulas, unà cum adjunctis Svevi Divenoæq; portubus, nec non Urbibus atqve munimentis nullo negotio* *Ducis Pomeraniæ ad Cæsarẽ de Rege recepto, expurgatio.*

gotio

Ϩotio occuparit: Ubi defensores hi, omnis defensionis obliti, & , simul ac levi rumusculo adventus Regis increbesceret, priusqvam veniret in conspectum, loca, qvæ tenebant, partim expilata, partim etiam incendio deformata, deserentes, cædibus ac rapinis omnia vastando, qvæ in extraneum militem debuissent stringere, in miseros ac inermes incolas arma crudeliter verterint. Hinc, data occasione, Regem Sedinum, aulæ suæ sedem, adortum: Idqve adeò inopinatò, & tanta celeritate; ut & defensionis media, & spem auxiliorum, à cæsarians Exercitu tempori impetrandorum, ipsi præciderit. Omnis autem mali principem, inter alia, causam esse: Immissum contra Imperii Leges, Pacemve publicam, & per hospitia distributum in Pomerania militem; non ferenda exactionum militarium onera; ac hinc promanantem terrarum vastitatem. Ducem verò hoc jugum nullatenus promeritum: Qvin potiùs nihil non attentasse, ut in terminis integritatis & innocentiæ, tanqvam fidum Romani Imperii membrum, maneret; imminenti peste à cervicibus popularium suorum aversa: Qvod autem sine fructu id factum, & casus interim hic intervenerit, ipsi innocenti, ac suis haudqvaqvam jure imputatum iri: Qvin justiùs Cæsarem, ut salutari Pace malis his occurratur, daturum operam. Maximè Svecorum Rege Cæsarem & Romanum Imperium minimè gentium pro hostibus habente, sed consilia sua eò solùm dirigente: Qvomodò mercatura maritima sarta, tecta conservari, nec non vicina Imperii membra, jam olim à tempore, cujus memoria vix exstet, tum per foederationes omni jure licitas, tum per mutuum commerciorum usum, cum Svetiæ Regno reciproca necessitudine devincta, in pristinum statum reponi, atque ab injusta malè feriatorum militum vi, qva, cæsareo nomine abusi, etiam contra Cæsaris voluntatem atqve rescripta grassentur, protegi ac defensari qveant: Ejusdem sententiæ erat publicum Rescriptum, sub titulo triennalium Pomeraniæ afflictionum, circa hoc tempus, typis editum.

Cæsarianorum ob id in Pomeranos odium.

Ita ad Cæsarem Dux Pomeraniæ: Sed exiguo sanè profectu. Nam cæsareus, qvi in his oris adversùs Regem tendebat miles, cupidine vindictæ & irâ, in Sedini Urbem, ejusve cives, imò totius Pomeraniæ incolas, æstuans, ubicunq; eorum compos fieret, mortem ac dira qvæq; minabatur: Nec minacibus dictis abfuit fides; si qvi forte fortunâ manus iracundorum inciderent. Ad hæc ex mero, qvo Ducem & nationem proseqvi cœperant, odio, Pomeranos, Regi militantes, sicubi in ipsorum potestatem dilaberentur, à belli commercio & pactione, de captivis æqvabili jure seu permutandis, seu redimendis initâ, velut summo Magistratui rebelles, nominatim exclusos, capientium arbitrio permisêre Cæsariani: Qvibus vicem Regii repensuri, Croatas pariter, sed tanqvàm prædones ac regionum devastatores, eodem exemerunt humanitatis beneficio. Ducis qvoq; Legati, ad conventum Ratisbonensem, onera, qvæ Pomerani hactenùs perpessi erant, ab his deprecatum, ad Cæsarem missi, parum humaniter illìc habiti, & asperioribus verbis compellati, req; infectâ dimissi.

Proditio Qvintii de Ponte detecta, eo fugâ elapso.

12. Sub Julii finem, Regis Sveciæ personam summo Numini curæ ac cordi esse, evidenter apparuit: Qvandò SubTribunus, Qvintius de Ponte, proditione, qvam in Regis perniciem animo moliebatur, detectâ, transfugio ad hostes, cum qvibus conspiraverat, saluti suæ consulere cogebatur. Qvintius hic, utut Pontificiæ Religioni addictus, gratiam sibi haud mediocrem à Rege pepererat, inter postremæ notæ Ductores neutiqvàm habitus: Sed, malo genio aurigante, prætextu Religionis amplisq; pollicitationibus à Cæsarianis seductus, eundem aut è medio tollere, aut hosti tradere captivum in manus, receperat. Accidit autem, exploratorem, qvi castrorum regiorum ad Sedinum formam delineare conabatur, & facinoris hujus præstituti conscius qvoq; erat, deprehensum in vincula venire: Unde Qvintius veritus, ne re forsan in qvæstione ab hoc palàm factâ, iisdem ipse pariter implicaretur, maturè periculò se subducere statuit. Assumptâ itaq; collectitiâ turmâ calonum (qvos Rex, defectu aliorum eqvitum, exploratum mittere in hostem interdum consvêrat) qvasi

qvasi speculandi causâ castris egressus, & nescio qvò inter viam digressus, ad suos non rediit, sed rectâ transiit ad hostem; famâ & nomine insuper habito: Qvod, ut proditoris & transfugæ, patibulo Sedini in foro publicè affixum, pro eo pœnas luit.

De alio, criminis participe, suppliciū sumtum.

Eqvitum qvidam Magister, natione Italus, Johannes Baptista nomine, dicti exploratoris indicio in carcerem conjectus, spontè confitebatur: Conjurationis qvoq; hujus nefandæ participem, compluries mortem Regi intentâsse, sed, qvotiescunqve sclopetulum, flagitio perpetrando, attigerit, fatali qvodam torpore, & mentem sibi obriguisse & manum: Ut, qvod animo præsumserat, effectum dare non posset. Qvi, castrensi damnatus judicio, in furcam sublatus est: Exstatq; ad hunc usq; diem in mediis castris crux, ex qvâ pependit; nefariæ proditionis monimentum.

Diversa machinationum in Regis vitam indicia.

Hoc ipso qvoq; tempore Regem nonnemo, ipsius partibus clàm addictus, Ratisbonâ, ubi Electorum conventus tunc habebatur, fecit certiorem. Jesuitas monachum, Ambergâ oriundum, anteqvàm vitam monasticam ingrederetur, artificio sartorem, subornâsse in ejus perniciem: Qvi sub exulantis divini verbi præconis schemate (qvales tum, parœciis suis Cæsarianorum injuriâ pulsi, freqventes hinc inde oberrabant) insinuans, aut oblato libro, qvem ipsimet Jesuitæ ad id præparatum, præsentissimo veneno, ut, saltem apertus, exitium inspiraret, infecerant, Regem dederet neci, aut sicâ, si id commodiùs visum, transverberaret. Nec minùs ab his, qvi, Cæsaris militiæ renunciâsse præferentes, stipendia Regis ambirent, sibi præcavere admonitus est. Ut ita, siqvidem monitiones hæ non de nihilo exstitêre, insidiis Regis vitæ struendis, jam tum hostis nil reliqvi fecerit: Qvas tamen divini Numinis clementia ab ejus capite protectionis suæ umbone defendit.

Regis & Ducis Pomeraniæ de mutuâ defensione conventio.

13. Haud ita multò post inter Regem & Ducem Pomeraniæ, tuendæ fœderationis inter eos nuper contractæ, de bello ad utriusq; defensionem porrò gerendo, pactio inita: Qvâ *Rex absolutum in se suscepit rerum bellicarum arbitrium*; dum fidem Dux interponeret suam. *Regi omnes & singulas Urbes, munimenta, transitu fluminum opportuna, & nulla non in Pomerania loca aperta fore; ita ut cum integro Exercitu, vel parte ejusdem per illa transire, suis ea, ut hospitia, assignare, præsidiis pro lubitu, necessitate exigente, munire, & vel, milite inde abducto, iterum evacuare, vel, qvamdiu è re belli videretur, & donec turbæ hæ Pacis interventu sedarent, insessa retinere, liberum ipsi relinqveretur: Suprema tamen Duci jurisdictione, & regimine principali, nec non Ordinibus provinciæ, & cuiqve privato, juribus suis, bonorumve ususfructu, salvis.* Insuper *de litibus inter incolas & milites sopiendis, milite in itinere ac hospitiis, dum transit aut moratur, sustentando, disciplina militari conservanda, exigendo in fluminibus & portubus maris, ad eorundem defensionem, portorio, conferendis Regi, ad necessaria belli, subsidiis, navibus bellicis in Ducis flumina ac portus subducendis, navitâ per hospitia distribuendo, & claustris provinciæ, tam mari, qvam terra, incolarum ope muniendis*, certâ ratione conventum.

Leges hospitiis militaribus præscriptæ.

Porrò hospitiis qvoq; militaribus publicâ autoritate præscriptæ leges: Qvarum hæc summa: *Militari disciplina ubivis strictè observata, & protectoriis militaribus, seu tutelaribus diplomatibus* (Salvagvardias peregrino vocabulo dicimus) *neutiqvam violatis, si qvid damni incolis daret miles, Ductoribus incumberet resarciendum. Commeatum & pabulum Commissarii Ducis militi prospicerent, aut, remoram non ferente, miles ipse sumeret qvidem: Sed autoritate Ductorum, & ea moderatione, ne segeti inferretur calamitas.* Ulterius, *militem præsidiarium, præter ea, qvæ hospitii nomine exigi permissa, hospiti minimè gravem, ab ipso Rege, seu ære, seu commeatu sustentatum iri*, provisum. Qvoniam vero Dux & Ordines provinciæ Regi, ad conscribendum nonnullas eqvitum, peditumve Legiones, diribitoria obtulerant, *Rex locorum, qvibus miles conflueret, electione sibi reservata, sumtuum & alimoniæ curam Ducis dispositioni relinqvebat.* Præfixus deinceps *certus sustentationi modus*:

modus: Ne miles in consvetum erumperet insolentium exactionum licentiam. Tandem conventio, ad Urbis Sedinensis defensionem inter Regem, Ducemve, ac Civitatem nuper inita, ad verbum præsentibus qvoq; pactis inserta; & sic iterato horum Magnatum consensu roborata.

Qvarum utrasq; Ordines provinciæ habuere ratas. Utraq; autem pacta, tam qvæ defensionem Patriæ, qvam militaria hospitia concernit, Ordines provinciæ, pro se, ac hæredibus, & posteris suis, mense Aprili proximè seqventis anni, in omnibus articulis, sanctissimâ fide interpositâ, rati habuerunt.

Regii occupant Anclamiam. 14. Dum ita ad Sedinum cum potiore Exercitus robore à Rege desudascitur, Contius, ut hosti ingruenti eò validius hîc locorum obsisteret, vasis ad Stolpam conclamatis, castra illîc posita, & simul Anclamiam ad Panim, à Stralesunda ac Gryphiswaldia præcipuam his oris Urbem, ultimo Calendarum Augusti, ultrò deseruerat: Regiis, simul ut desertam intellexêre, peropportunum hunc sibi locum, utpote Svevi ostio propinqvum, & portu transituve Panis fluvii commodum, imò procestriorum instar, objectu suo Usedomiam insulam ab hoste eminùs protegens, duodecimo Calendarũ, ductu Laurentii Caggii Tribuni occupatum, præsidio firmantibus.

Ukermũdam. Oppidum & arcem Ukermundæ, à Ducis Pomeraniæ milite aliqvòusq; adhuc custodita, Cæsariani, non obstante contrariâ vi pactorum, cum Duce, tradito Garcio initorum, postmodùm, hoc expulso, occupaverant. Imminentibus vero Regiis Contius, pœnitentiâ, facti mox subeunte, occasionem Ducis cum Rege Sveciæ committendi hinc qværitabat, ab illo postulans: Ut suos, pronuper indignum in modum ejectos, loco tutando remitteret. Qvo renuente Cæsariani, ut alibi, ita hîc se gerentes, loci, priùs expilati, vacuâ possessione Regiis cessêre.

& Wolgasti Urbe, vi obsessâ arce. Qvinto Calendarum Augusti, Cniphusius, generalis vigiliarum Præfectus, Wolgastum aggressus, Urbis primo impetu, admotis scalis, potiebatur: Arce, duobus Panis brachiis amplexâ, adeóq; expugnatu haud adeò facili, qvò Cæsariani se receperant, obsidione cinctâ. Huic autem eò acriùs continuandæ, vetus cærulea & Vitztumiana Legio à Rege, qvi, hoste castra ad Stolpam deserente, plerasq; copias è citeriori Pomerania Sedinum paulò antè avocârat, illi subsidio remissa.

Ultimo Iduum Augusti è triplici tormentorũ suggestu arx qvati cœpta: Mox præsidiarii, per tubicinem, facere deditionem jussi, cordatè responderunt. *Cæsari Sacramento addictos; ejusdem auspicio & vivere paratos, & mori: Periculum modò facerent Regii; nec animos militares ipsis defuturos, nec virtutem.* Et sanè primi ferè hi, post Regis in Germaniam appulsum, milites se præstitêre: Frontem hosti ac arma obvertere ausi. Isthac itaq; viâ neqvicqvàm tentatâ, ad vim conversus Cniphusius, qvia scrupolosam humum ægrè moliri miles poterat, projectis lignorum ac viminum fascibus, terræq; aliqvantillo superinjecto, accessus promovere arcem versus instituit: Felici adeò successu; ut ad oram usq; fluenti, qvod arcem & Urbem interluit, brevi progrederetur. Vineis mox ac pluteis cœcis, qvæ substratis ratibus imponebat, id qvoq; tramittere connisus: Cui rei veteris pontis, qvò à continenti in arcem olim ibatur, nondum penitùs destructi, rudera magno usui fuêre.

Clempenoam sub hæc intercipiunt. Dum hæc illîc aguntur, Clempenoæ arx, qvæ, loco palustri sita, & à triginta hostilibus sclopetariis defensa, non nisi admotis tormentis capi posse videbatur, qvarto Iduum Augusti, astu intercepta à Cniphusio, & vigintiqvinq; militum præsidio, ductu cujusdem SubCenturionis, insessa est.

Wolgastanæ arcis per deditionem potiũtur. Ad Wolgastum magno interim nisu laborari: Nec obsessi defensioni suæ deesse, sed, machinis subinde de loco in locum translatis, & vallo inciso humiliùs demissis, obsidentium vineas, ac velamenta, militem occultantia, aliqvoties pessundare.

Cniphusius verò, parum his commotus, sedulò instare; interruptas omni diligentiâ resarcire operas; & freqvēti tormentorum tonitru in obsessos fulminare: Adeò ut qvasi octies mille ictus in arcem hanc displosi numerentur. Jamq; in eo Regii esse, ut, fluvio vineis superato, in ipso arcis vallo nidularentur, cum præsidii Dux Stechterus, ultimo Calendarum Septembris, emisso ex arce tympanotribâ, fidem publicam uni è suis impertiri petiit: Qvi ad Cæsaris Campiductorem, Contium, ablegatus, qvid hoc rerum statu ipsi faciendum, exqvireret. Responsum huic. *Supersederent obsessi deinceps labore emittendorum tympanotribarum; ni, intra viginti qvatuor horarum spatium arce excedere, in animum inducerent: Eò enim usqve regiæ Clementiæ fores, ad paciscendum, apertas illis fore.* Nec mora: Arma, qvæ ad biduum suspendi petierant, illicò resumta, & ad vim reditum. Idq; eò confidentiùs: Qvandoqvidem tympanotriba, mero resolutus, suos in magnis versari angustiis, & ad seditionem rem spectare, effutierat. Hoc accepto responso, obsessi, necessitati cedentes, omissis ambagibus, ad pactionem statim descenderunt: Postridiè, circiter capita sexaginta supra ducentos, honorificè & militarem in modū dimissi.

Savellius Clempenoam recuperat.

15. Regiis ad VVolgastum, primò occupandum, inde muniendum, Duce Cniphusio, hærentibus, Savellius Dux, cæsarianis copiis ac præsidiis in citeriori Pomerania & Megapoli Præfectus, pontes missiles, & scalas levioribus asseribus constratas, aliaq;, assiliendis munitionibus, magnâ sedulitate comparando, insigne qvippiam agitare visus: Qvod tamen in Clempenoam demum erupit. Qvinto enim Calendarum Septembris, cum copiis suis ac omni, qvod præparaverat, instrumento bellico, sexq; præterea tormentis, qvorum duo grandiora ab octodecim eqvis trahebantur, Gryphiswaldiâ egressus, ac Loitzium transiens, obsidio arcem circumdedit, tormentis verberavit, ruinâq; editâ vi cepit: Sub Centurione ac militibus, qvi arcem propugnabant, præter sex, primo irruptionis impetu cæsos, in captivitatem redactis.

Cniphusii de intercipienda Gryphiswaldia consilium in cassum it.

Exiguam istam jacturam ingenti penè lucro Cniphusius resarciit: Dum parum abfuit, qvin Gryphiswaldiâ ex improviso potiretur. Colludebat cum Cniphusio Signifer cæsarianarum partium, qvi, Wolgasto unà cum aliis excedens, Gryphiswaldiæ in præsidio tunc temporis erat, & per internuncium, famulum seu calonem suum, hinc inde clàm commeantem, pollicebatur: Certâ & destinatâ die, ubi excubiarum in munimento ad portam Wolgastanam cura, & clavium custodia ipsi obveniret, militibus vino adusto largiter præbito sopitis, portam reseraturum, & intromissurum Regios. Verum enim verò ad irritum cecidit hoc consilium; Signifero, qvod promiserat, præstare non valente: Qva in re obstaculo illi maximè erat, qvod Cæsariani, hoc ipso tempore, portam hanc, sive Wolgastanâ, sive molarem, transversariam ducendo fossam, & pontem pensilem fabricando, munitiorem reddere laborarent. Hac ergò spe evolutus Cniphusius, aliâ viâ rem aggreditur. Compererat, cùm à Civibus, qvi in regias partes propendebant, tum ab exploratoribus: Alterum Urbis aditum (pingvem vocant) duabus tantùm ligneis, cancellatim reticulatis, foribus, & unicæ portæ valvis muniri, nec alioqvi accessu difficilem; præsidiariorum qvoq; numerum octingenta capita, qvæ amplitudini Urbis defendēdæ minimè paria, vix excedere; tum eosdem haud benè affectos, & Ducibus suis malè morigeros. Unde, tertio Calendarum Septembris, inter noctis tenebras fortunam tentare, &, excitato prius ad portam molarem tumultu, (ut hostis, impressionem illic veritus, omni ex parte eò concurreret) mox ad pingvem portam totâ mole incumbere statuit: Cujus claustra, qvod, nullo ponte pensili munita, æqvo gradu adiri possent, admotis crepitaculis levi negotio disturbare receperat militum Ductor SanctAndreanus. Jam in viam cum milite se dederat Cniphusius, jam Kemsium usq;, qvod duo Wolgasto milliaria distat, circa horam noctis undecimam perve-

pervenerat, nec nisi unum milliare conficiendum restabat, cum pontem, qvo rivus, viam illic intersecans, transitur, à Croatis abruptum reperit: Id qvod viæ monstratores ipsum haud admonuerant. Qvo reficiendo & transmittendo milite tantum insumtum temporis; ut seriùs, & circa tertiam demùm matutinam Eldenoam pervenerit: Ex qvo loco, tum propter ambages, qvibus circuire Urbem necessum erat, tum arcta viarum, qvà transeundum, pingvis, in qvam faba cudebatur, porta vix intra horæ spatium adiri poterat. Ita, illucescente mox die, & detecto milite, iste qvoq; conatus, levi momento impeditus, effectu caruit.

Origo & occasio Magdeburgensium turbarum.

16. Hic jam res ipsa efflagitat, ut originem & initium Magdeburgensium turbarum, qvæ haud diu à Regis adventu in Germania moveri cœptæ, in ruinam ac perniciem Urbis tandem erupêre, breviter perstringamus.

Ferdinandus Imperator, proximè præcedenti Danico tumultu, ArchiEpiscopatus Magdeburgensis occupandi, & Christiani Gulielmi, Marchionis Brandenburgensis administratione deturbandi occasionem arripuerat; filium suum, utut Canonicorum collegium (Capitulum hodierno usu dicimus) in Electoris Saxoniæ gnatum, tanqvam Coadjutorem, ut loqvimur, & in eventum Successorem, suffragia sua, unanimi ferè calculo contulisset, loco ejus substituens: Rescissâ per Pontificiæ autoritatis interventum, sub obtentu, qvasi à non-Pontificiis illegitimè facta esset, isthac electione. Qvâ qvidem viâ Pontificiorum dominatu inducto, Religio qvoq;, expulsâ Evangelii doctrinâ, secundum Edicti, Anno millesimo, sexcentesimo, undetricesimo promulgati, tenorem irrepebat unà, aut vi irrumpebat potiùs; Non in agro tantùm Magdeburgensi, sed intra qvoq; ipsius Urbis pomœria, in Basilica, aliisve templis; ubicunq; ArchiEpiscopus & clerus, veteri consvetudine, jus patronatus sibi vindicaret. Qvo Religionem seu reformandi, seu deformandi zelo Civitas, Evangelici dogmatis pertinax, diffidentiæ & suspicionum denuò impleta est; nuperiq; obsidii vulnus, qvod vixdum in cicatricē coierat, refricatū recruduit.

Hac animorum inclinatione dictus Christianus Gulielmus, Administrator olim, tunc temporis exul, utendum duxit: Regis Svecorum auxilio & ope, civiumq; Magdeburgensium favore, facilè sua, unde expulsus erat, recuperaturū, firmâ sibi spe pollicitus.

Profectus autem & ipsemet erat in Sveciam; priusqvam, de bello Cæsari inferendo, qvicqvam certi illic decerneretur: Et mox, missiculatis crebrò literis, magnâ Regem instantiâ prensaverat. Demum, Rege ad trajiciendum in Germaniam jam in procinctu stante, Johannem Stalmannum, auxilia flagitatum, ad eundem legârat: Ingentes prosperorum successuum montes pollicentem.

Administratoris postulata à Rege.

Consiliorum ejus summa erat. *Non Urbis modò Magdeburgensis cives, sed universos ac singulos, Summates infimates, suarum qvondam diœcesium incolas, prono in ipsum affectu ferri, clamve pollicitos: Modò cum Exercitu illis suppetias veniret, omnia, qvantum pote, ipsius causâ facturos, & qvicqvid ab hostili injuria superesset, (parum tamen & penè nihil id esse) alacriter in bellum collaturos*: Et isthac qvidem pollicitatione fretus Administrator, in multa hominum millia, qvæ (ut certa ipsi spes facta erat) illicò hoc casu ad venientem essent concursura, certum calculum iniit. Postulabat ergò à Rege; *ad habendum delectus, & conscribendum tria eqvitum, decem peditum millia pecuniam conferri. In eqvites viritim vicenos, in pedites qvaternos Joachimicos, arrhæ seu auctoramenti nomine; tum pro primi mensis, qvem lustricum vocant, stipendio, in eqvitem qvemqve (computatis in summam Ductorum eqvis) octodecim, in pedites singulos septem vel octo, ejusdem monetæ. Ad hæc Rex arma, tormenta, cum omni instrumento, prout in bello terrestri eorū usus reqvirit, præhiberet*. Vice versâ ipse, *militem hunc clā hostibus congregare* præsumebat; *nec hos qvicqvam de eo rescituros, antegvam esset in armis, & in mediis versaretur ArchiEpiscopatus visceribus. Neq, hic locorū media, ad octodecim vel viginti millia capitū augendi, & absq, ullo Regis sumtu deinceps sustentādi Exercitus, ipsi defore*,

 Nam

Nam pro comperto habere, præter commeatum, qvem incolæ essent collaturi, immensam frumenti copiam, nempe ad ducenties mille coros (genus mensuræ est, octo saccos complexum) *ab hoste, ad subita belli, in his oris asservari; & plus adhuc indies exspectari ex Bohemia: Nec minùs insignem pecuniæ, à Cæsarianis Ducibus depositæ, thesaurum hinc inde in Urbibus, oppidisve reconditum.* Utut autem Administrator in numero militum sæpiculè variaret, nunc sex peditum, duo eqvitum, mox novem peditum, & duo vel tria eqvitum millia, iterùm qvatuor peditum & duas eqvitum legiones, non expresso capitum numero, tandem qvater mille pedites, & sesqvimille eqvites, ad ordiendum hac Germaniæ parte bellum, necessaria existimans; similiter, aliqvandò unius tantum & lustrici mensis, aliqvandò trium mensium stipendia à Rege flagitans: Semper tamen initio præ se tulit; absq; præsenti hujusmodi & efficaci subsidio, nihil aggressurum, nec confidere, qvicqvam alicujus momenti effectum dari posse.

Tum consilia & intentio. Rerum autem gerendarum moles, qvam agitabat, hæc legitur. *Stata ac condicta die, qva cum milite, alibi conscripto, moveret in hostem, suos, qui in ArchiEpiscopatu ad nutum parati starent, Dessaviensi ponti propinqvantes, qvà Muldam Albis absorbet, intra duorum horum amnium fluenta firmaturos pedem; simul occupaturos Calbam, & Stasfurtum, opportuna transitu loca, nec non arcem & pontem Hallensem; unàq; & eadem opera Cæsarianorum primores, nominatim, pontificium Administratorem à Metternich, Tribunum Beckerum, alios, qvotqvot Halberstadii, Halæ, Calbæ, Stasfurti, Wanslebæ, Wolmerstadii, veteris Platoæ, Jerichoæ, Garlebæ, Tangermundæ, Stendaliæ, & Soltwedeli commorarentur, comprehensos Magdeburgum in captivitatem deducturos: Gregariis militibus, qvotcunqve sub manus venirent, occidione occisis. Ut ita in universo ArchiEpiscopatu Magdeburgensi, Episcopatu Halberstadensi, & veteri Marchia ne unus qvidem, hostile qvippiam spirans, maneret superstes. His peractis, qvicqvid in Salano & Mansfeldensi Circulis, & his circumcirca oris frumenti reperiretur, Halam Saxonum, & Halæ imminens Mauritioburgum, qvicqvid verò in locis Magdeburgo vicinioribus, eò importatum, & sic præcipuas has totius diœceseos Urbes, qvas ut belli arces Administrator delegerat, pecunia, commeatu, similibus ad bellum necessariis, abundè munitum iri.*

Hæc consiliorum series, utut, si in factum transiret, Regis conatibus & intentioni summè utilis, ambigua tamen valdè, incerta, lubrica, &, ut verbo dicamus, effectu penè impossibilis eidem visa. Nec enim percipiebat Rex; qva via, modove, aut per qvos, & ubinam locorum Administrator (qvippe qvi harum circumstantiarum mentionem nullam fecerat) omnibus aliis mediis, præterqvam qvæ ab ipso adipisceretur, destitutus, & ne tantillum qvidem terræ, qvantum plantâ tegeret, pro tempore possidens, Exercitum, qvalem jactaverat, cogere posset: Tantum abest, ut versuto, & ad omnes Protestantium motus intento hoste planè inscio, id perpetratum iri confideret. Unde insignia, qvæ flagitabantur, æris subsidia in dubiam hanc eventuum aleam prodigere, minimè è re belli duxit. Regis ad ea declaratio.

Qvia tamen rem ipsam, qvam Administrator moliebatur, si aliqvadantenùs saltem sortiretur exitũ, distractis hinc inde hostis viribus, magni momenti fore, apparebat, ejusdem postulata non penitùs rejicere voluit: Excusatione semper, & postremâ cumprimis vice per Johannem Stalmannum, usus. Nempè, *ob incumbentis belli molem, tantum argenti præsentarii ad manum jam haud esse, qvod in conscriptionem tot militum erogaretur. Circumspiceret verò Administrator & conqvireret Ductores, suâ impensâ militem cogere promtos: His sumtus factos refundere paratum, & si Administrator certis legibus cum illis pacisceretur, pro re nata satisfacturum.* Interim, ne vacuis omninò manibus rem tantam hic aggrederetur, fidem suam regiam obstrinxit; *de fidejubendo, seu obligando se potiùs instar principalis, pro centies mille Ioachimicorum summa, intra anni vertentis spatium, unà cum justo interusurio exsolvenda*: Collatâ in eundem Stalmannum, *scripto hac de re cavendi credi-*

creditoribus, & ad Regem illos remittendi, plenissimâ potestate.

Administratorem autem oneri imparem, nec ferendo, sed, si temerario & imprudenti ausu solus succollaret, dubio procul succubiturum judicans, Stalmanno in mandatis pariter dedit; aliorum vicinorum Principum sollicitare animos, eosdemq; in consilii consortium adsciscere. Qvibus universis & singulis, aures postulatis suis præbentibus, Rex promittebat: *Primo qvoqve tempore & occasione summis viribus illis affuturum auxilio, utramqve cum iis subiturum fortunam, nec ab hoste laborantes unqvam deserturum, aut cum Cæsare, ejusve complicibus conventurum de Pace; nisi qva & penitissima degeneris, minimève Germanæ servitutis, indies oculus obversantis, radix omninò exstirpata, & illi comprehensi forent.* Intereà, dum Principes hi oneri unà succederent, aut Rex magis appropinqvaret cum Exercitu, noluit Administratorem odium, qvod animo coqvebat, in Cæsarem palam erũpere; sed, dissimulationis velo id tegi, consultius existimans, *idoneæ personæ, velut Foppii ab Aitzema, aut similis farinæ, interventu, veniâ præteritorum, & certorum ad dies vitæ alimentorum, à Cæsare impetrandorum, satagere jussit: Ita tamen, ut res maneret in integro, nec longiùs daret vela in altum; qvàm unde, salvâ semper fide, pateret regressus.*

Administrator Magdeburgi recipitur. Verumenimverò Administrator, omnis moræ impatiens, consilio Regis insuper habito, post tentatos priùs, per Secretarium suum, ac alios sibi addictos, Magdeburgensium animos, stratamq; ad Urbis aditum viam, paucis, &, inter alios, Johanne, qvem diximus, Stalmanno comitatus, Hamburgo clàm ac subitò itineri se commisit; sexto Calendarum Augusti Magdeburgum ingressus: Ubi tamen usq; ad ipsas Augusti Calendas pro ignoto delituit. Interim de solenni ejus receptione, Civitatisq; fœderatione cum Rege Sveciæ, & Administratore ipso tractatus institutus, ac eòusq; tandem conventum: Ut Administrator, dictis Calendis, Senatorum sex prosequentibus, in publicum, & qvidem in Basilicam, DEo omnium primùm operaturus, procederet. Ubi sacris magnifico apparatu celebratis, & gratiis DEO ob adventum ejus solenniter actis, pro Rege qvoqve Sveciæ, ut conatus ejus secundaret Omnipotens, instituta supplicatio. A meridie fœdus Civitatis cum Rege & Administratore, in magna Civium freqventia, certis condicionibus omninò ad colophonem perductum, & scripto concipi cœptum. Cujus fœderis formulâ, inter alia, cautum fuisse accepimus. *Magdeburgensibus non pristina modò privilegia sarta, tecta relictum, sed plura qvoq; & privilegia, & bona concessum; in specie autem, qvæ Otto Imperator, aliive in Imperio Successores largiti fuerant, renovatum; nec non, qvicqvid, à primo privilegiorum collatorum tempore, clerus, aut alii iis contrarium invexerint, retractatum atq; abolitum iri: Civitatem qvoq; hujus fœderis & conjunctionis nomine, indemnem, ejusve indemnitatis Saxonem & Brandenburgicum, Electores, tum liberos confœderati Belgii Ordines, ac Hanseaticas Civitates sponsores fore: Deniqve, si civium qvuspiam hac occasione imposterùm detineretur ab hoste, seu in captivitatem redigeretur, lytro persoluto, aut alia ratione inde liberandum.*

Ejus ad ArchiEpiscopatûs incolas mandatû. Re cum Civitate sic transactâ, Administrator ad Diœceseos Magdeburgensis subditos & incolas, Edictum promulgari, atq; publicè affigi curavit. Qvo *tyrannidem, injustam vim, nefarias exactiones, pressuras, spolia, omnimodumq; bonorum everriculum, ab adversa parte hactenus exantlata, tum imminens qvoqve animarum, & æternæ salutis discrimen* in memoriam illis revocabat; adventum suum, & *qvod Dei Opt. Max. Regisve Svecorum ope, præduro hoc jugo eos exoneraturus, suasq; pristinas diciones recuperaturus, venisset,* denuncians, nec non, acerrimâ pœnâ præstitutâ, severè simul mandans: *Exterminarent hos veræ Religionis ac Patriæ hostes, nec admitterent imposterùm, aut foverent, sed ubivis potiùs locorum persequerentur. Cui rei nobiles qviqve servitiis eqvestribus, ad qvæ Feudorum nomine obligantur, præsto ipsi essent: Reliqvi incolæ in Urbibus, oppidis, pagis viritim, armati, ad nutus ejus in procinctu starent.*

Tran-

Et prospera inertia.

Transcripsit autem Administratori Civitas Magdeburgensis, in his turbarum incunabulis, statim aliqvid copiarum: Et ipse qvoq;, distributis, sub Regis Sveciæ ac proprio nomine, militum congregandorum diplomatibus, delectus agere sine mora cœpit. Occupatis variis, hinc inde, in circumjecta regione, locis oppidisq;, adeò latè excurrens: Ut Halam ipsam Saxonum, aperto à plebecula, qvæ sale coqvendo vitam tolerat, salario ostiolo, desubitò irruperit. Mauritioburgo tamen exclusus: Qvo, utut impensè id daret operam, potiri haud poterat; rumore de Cæsarianorum adventu increbescente, non arce modò, sed & Urbe ipsâ in hostium manibus relictâ, discedere coactus.

Haud diu post, qvàm Halam deseruerat, trecenti Croatæ, prædam non contemnendam è Mauritioburgo deducentes, ad Calbam à milite ejus fusi, fugati, & præda una cum captivis nonnullis Magdeburgo illata: Qvam cladem ulciscentes Croatæ, totam Urbem circùm, flammâ ac incendiis crudeliter grassabantur.

Inter alia, qvatuor eorundem turmæ Wanslebæ oppidum vi invadentes, hostiliter depopulatæ sunt. Sed præsidium, qvod in arce servabat, sustinuit, dum sexcenti pedites, & centum eqvites Magdeburgo mitterentur subsidio: Ubi Croatarum ea sors fuit, ut pauci fugâ elaberentur.

Inter alia, Mansfeldiæ castrū astu interceptum.

SubTribunus Nicolaus Bock, qvi Administratoris militiæ se addixerat, sub hoc tempus, Mansfeldense castrum singulari stratagemate in potestatem redegit; seqventi modo. Saccos acere, qvo frumentum ementiebatur, repletos curribus imposuerat, & sub iisdem milites nonnullos, sclopetis armatos, occultaverat. His castro proximantibus, &, qvi in statione ad portam erant, undenam venirent, qvidve ferrent, rogitantibus, aurigæ (& ipsi rusticorum schemate tecti, milites) è cœnobio Mansfeldiæ venire, & frumentum subvehere in castrum, respondent. Ita remotis absq; ulla insidiarum suspicione repagulis, & portarum valvis reclusis, currus in pontem procedunt, ac ipsis portis succedunt; mox personati aurigæ, milites[q]; sub acere delitescentes prosiliunt, &, excubitoribus obtruncatis aut comprehensis, commilitonibus, in arbusto haud procul latentibus, sclopeto disploso dant signum: Qvi curriculo advolantes, castri sine ulla jactura potiuntur.

Hac ratione incendium, in ArchiEpiscopatu Magdeburgensi ex improviso ortum, gliscebat; idq;, eò validiùs: Qvod, copiis plerisq; Cæsareis adversus Regem in Pomeraniam ac Megapolim abductis, non essent statim ad manũ, aut in promtu; qvi flammam, primulum emicantem, restingverent.

Falckenbergius Magdeburgum mittitur.

Rex autem, simul ut, jactam ab Administratore aleam esse, inaudiit, mitti illuc, qvi consiliorum prudentiâ & dexteritate eidem adminicularetur, summè necessarium judicans, aulæ suæ Præfectum, Theodoricum à Falckenberg, Tribunum, titulo & mandatis regii Legati, Magdeburgum ablegatum ibat: *Cui, Regis & publicæ rei bono, cum uno, pluribusve Imperii Proceribus ac Ordinibus in tractatus descendendi, eorum subsidio & ope unum, pluresve cogendi Exercitus, Imperatores his, Regis nomine, præficiendi, &, donec à Rege avocaretur, consilio factoq; illis assistendi facta potestas.* Falckenbergius ergò Hamburgum primò se conferens, eoq; clàm & mutato habitu egressus, ac furtim emensus iter, Magdeburgum, utut Cæsariani tendiculas ubivis, certo etiam præmio in caput ejus proposito, struerent, inoffenso demùm pede pervenit.

Ubi nos Administratore, dum bello gerendo pro viribus se accingit, relicto, ad Regem stylum iterùm convertemus.

Rex in Megapolim movet.

17. Apud hunc, cum Finnonicis copiis, Livonoq; ac Curlando eqvite, dudùm appulerat Gustavus Hornius, Campiductor: Miles insigni famâ, experimentisq;, nec unis, nec vulgaribus, nupero adversùs Polonos bello datis, Regi probatus; atq; tam circumspectâ consiliorum maturitate, qvàm strenuâ simul & prudẽti executione commendabilis. Nec parũ nonnullæ, è Borussia maturè adventantes, Legiones Exercitum auxerant. Dux igi-

igitur & Ordines Pomeraniæ Provinciales nova hostis redivivo impetu invadendi consilia intra animum volutantem, maximoperè flagitare cœperunt: Ut Gryphenhagâ & Garcio, transitu Viadri opportunis locis, Cæsarianos eliminans, hanc, non apum, sed fucorum, novis subinde examinibus emissis, circumjectam provinciam depascentium, sedem, destructũ iret.

Qvod verò Contius, potissimâ virium suarum parte Garcium contractâ, adversùs vim satis se muniisset, & in eo statu adhucdum perseveraret, Rex ancipitem adeò aleam hac vice subire, non consultum, aut rationi consonum censuit: Præsertim animo jam ante providens, hostem, ingruente hieme, defectum commeatu pabuloq; & hibernæ militiæ insolentem, haud diu junctim perstiturum Garcii; sed ipsummet, dispersis viribus, cum tempore, huic rei perficiendæ meliorem occasionem præbiturum. Qvin potiùs alibi locorum, ubi ad impetum excipiendum minùs paratum rebatur, fortunæ periculum facere, &, impressione in Megapolim factâ, vires ejus ex parte eò avocare, tutius & rationi bellorum gerendorum convenientius arbitrabatur.

Curâ itaq; Exercitus & castrorum ad Sedinum Campiductori, Hornio, commissâ, & milite, tormentis, aliis necessariis, qvæ ad hanc expeditionem selegerat, in naves impositis, Stralesundam versùs vela dedit.

Cæsariani, eo absente, castra Sedinensia oppugnãtes, rejiciuntur.

Vix tergum verterat Rex, cum Cæsariani, qvasi custode remoto, ad castra regia apud Sedinum, impetum dare ausi sunt: Sed Hornii vigilantiâ & fortitudine ita excepti; ut spe rei perpetrandæ, nec sine damno, evolutis pedem referendi necessitudo imponeretur. De proditione suspicio est; maximè, qvia, sub id tempus, aliqvot locis Sedini clàm suppositi ignes reperti: Et sanè Cæsarianarum partium scriptores, Contium cum civium nonnullis, de porta Passaviensi, qvæ Garcium spectat, appropinqvanti recludendâ, & Urbe hac ratione tradendâ, transegisse, sed vigilacem Regiorum curam, ne facinus patrarent, impedimento fuisse, tradunt. De qvo tamen nobis haud liqvet; adeòq; nec affirmare illud, nec refellere animus est: Illud pro comperto habemus; Regi de collusione, qvâ aliqvi, nec hi infimates, in eum conspirâssent, hoc ipso tempore à fide dignis relatum.

Et in Pomerania crudeliter grassantur.

Præter hoc tentamentum Cæsariani per totam æstatem, qvâ Rex, armis hinc inde circumlatis, rem suam validè auxerat, penè nihil, qvod alicujus momenti foret, moliti, in castris ad Garcium otiosè desidendo, tempus contrivêre: Ut ita de illis parum memoratu dignum occurrat. Nisi forte: Qvod iis locis, qvorum potiundi facilis facultas erat, hostili licentiâ, & penè barbarie, viros militares se ostenderint.

Ejus exempla proposita: Pencunum

Hujus ut unum, alterumve producamus exemplum: Pencuni oppidum, Garcio haud procul disitum, qvod à prima Cæsarianorum receptione, per integrum penè triennium, hospites hos benevolè foverat, collatis, pro opibus ac virium copiâ, pecuniæ, commeatusve subsidiis, speciali insuper protectorio, seu tutelari diplomate, adversùs militum injurias à Contio munitum erat, decimoqvarto Calendarum Augusti, hostiliter, auspicante Germano milite, diripitur. Hic enim, sub transitus per Urbem postulati colore, amicè intromissus, in prædam mox vertitur: Arceq; & æde sacrâ cumprimis, tum privatorum qvoq; domibus expilatis, arcis, armariis assulatim comminutis, incolis miserrimè habitis, ac opimioribus qvibusq; spoliis in currus impositis, discedit. Qvo præmiorum illice Croatæ inescati paulò post, effractis vi portis, irrumpunt, &, ut in racematione sibi relictâ, qvò minus, qvod rapiant, offendunt, eò acriùs, non arcem modò & ædem sacram privatorumve domos, sed ipsa qvoq; mortuorum sepulchra perscrutantur, eò crudeliùs sese gerunt; nullo injuriarum & exqvisitissimæ carnificinæ genere prætermisso, indicinam eorum, qvæ defossa fortè, aut abstrusa forent, ab incolis extorqventes: Adeò ut ne Parocho qvidem, à qvo tamen hospitio antehac non semel lautè excepti fuerant, aut hac humanitatis memoriâ, aut sacrorum reverentiâ inducti, manum abstinue-

nuerint. Miserrima fœminarum condicio: Qvarum pudori, sine ullo divini humanive juris respectu, visillata. Qvin etiam, si qvæ in paludibus, inter arundines, se occultaverant, inde extractas, miles, ut nefandæ libidinis victimas, ante se agere; Viri nonnulli, injuriam ab uxoribus, liberisve prohibere conati, tanqvam præcedanea pudicitiæ suorum hostia cadere; Nec exsuccæ vetularum edentularum ætati, nec puellularum, si qvæ octo decemve annorum occurrerent, teneritudini, nec hominum locorumve reverentiæ parci; Ipsa compita, ipsa cœmiteria, ipsa DEO dedicata loca stuprorum ac libidinis palàm compleri visa.

& Paswalcum. Ita Pencuni processum: Sed præ Paswalcensi tragœdiâ merus hic ludus, jocusq;. Paswalcum Cæsariani, ab Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo septimo, prægravi hospitiorum militarium onere, sine intermissu, adeò oppresserant: Ut de civium fortuna penissimè jam esset actum. Tandem Johanni Götzio, Tribuno, Urbis jam exsangve cadaver, sive in hospitium, sive in prædam cedit: Qvi, præter alimenta præbita, octodecim Joachimicorum millia minitabundus ab incolis poscit. Huio summæ cum solvendo non esset Civitatis enervis indigentia, proTribunus Winsius, pridiè Calendarum Augusti, cum valida eqvitum, peditumve manu eò missus, unum è Consulum numero, nonnullosq; Senatorum & opulentiorum civium, ad octodecim capita, ut flagitatæ pecuniæ vades, in castra ad Garcium secum abducit: Ubi ferro præpediti, sub dio pluviæ ac tempestatum injuriis obnoxii, in nudo solo, fœtore, fame ac siti tantùm non enecti, extrema qvæq; perpetiuntur. Relictus qvoq; à Winsio in Urbe certo numero eqves; dictæ summæ flagitiorum suorum insolentiâ extundendæ. Qvâ molestiâ sese in universum, tum vades qvoq; suos durâ, qva premebantur, captivitate liberaturi Paswalcenses, omnes mox opum profundere reliqvias: Deficiente pecuniâ numeratâ, aurove & argento facto ac infecto omni consumto, tum commeatum varii generis in castra transmittendo, tum seqviora metalla in solutum dando, tum deniq; transscribendo nomina, qvibus fide digni ipsis obstricti erant, Götzii avaritiam satiare conati. Intereà accidit; Duas regias cohortes, alteram draconum, SanctAndreano, peditum alteram, Loysonio è Cniphusii Legione, Ductoribus, appropinqvantes, cum porta qvasi altâ Pace pateret, nemine penè advertente, Urbem ingredi, &, Cæsarianis extortoribus dilapsis, ejus adversus hostium vim tumultuariâ operâ muniendæ satagere. Id qvod tantâ tamen celeritate fieri minimè poterat: Qvin Götzius, cum trium millium agmine, illicò advolans, septimo Iduum Septembris, Regios, adhuc imparatos, & amplitudini Urbis defendendæ, ob paucitatem, impares, oppsimeret. Ubi cædibus, rapinis, stupris, tormentis in incolas adeò sævitum; ut toto bello, qvo Germania tot jam annos conflagrat, par aut simile qvippiam fando vix inaudiverimus: Prout Autor lanienæ Paswalcensis, peculiari isthoc scripto, typis edito, latiùs est executus. Tandem, omni civium habentiâ cum pulvisculo eversâ, miles, ut ne ab injuria qvicqvam superaret intactum, incendio in ipsa ædificia exanima grassabatur. Qvod ut à tectis suis, aut saltem à DEO dicatis ædibus, averterent, tum incolæ, tum maximè divini verbi Præcones, Götzii aures miserabilibus suppliciis ac precibus, sed neqvicqvam, pulsârunt: Surdus enim ad hæc, & obdurato animo, militem non tantùm non abstinuit, sed pluribus potius locis ignem injici, denuò mandavit; sacramenti, qvo Urbem Vulcano devovisset, religione impietatem suam obumbrans. Ita Paswalcum excidionem passum, & in cineribus suis sepultum: Cui Rex Sveciæ, christianâ misericordiâ motus, & ut incolæ, qvi supererant, vires aliqvantulum resumerent, privilegium exemtionis ab omnibus militiæ oneribus ad sexennium indulsit.

De laniena autem hac ipsi Pontificii, & Cæsari addicti Scriptores judicant: Mirandum haud esse, qvod DEUS Opt. Max. in perpetratorum scelerum ultionem, hostis conatibus secundam fortunæ auram aspirans,

Cæsarianorum consilia ac cœpta felici successu destituerit.

Rex Stralesundam appellit.

18. Jam, ut ad Regis expeditionem, qvam susceperat, regrediamur, qvarto hic Iduum Septembris Stralesundam veniens, à summis, infimis ingenti cum plausu recipitur: Ultimo autem Calendarum Octobris, in altum progressus, classem ante Urbem cogit; ubi, adversantium ventorum flatu ad undecimum usq; Calendarũ ibidem retenta, in anchoris stetit. Qvæ mora Regis, unum è primoribus Magapoleos locis, mari desubitò aggredi agitantis, propositum irritum reddebat qvidem: Qvò minùs tamen Megapolim versùs, sed consilio paululùm inflexo, & exposito in terram milite, ire pergeret, impedire non potuit. Itaq;, decimo Calendarum Octobris, ad lucum, qvem Hainium vocant, Exercitu omni in armis conveniente, postridiè secundis castris Bartam, & tertiis inde Damgardiam perventum: Ubi loci Rekenitzæ fluvius, Pomeraniam à Megapoli disterminat.

Turrim Damgardiæ expugnat.

Hic in ipso penè regionũ divortio, citra flumen tamen adhuc, qvadrangula, vetustate & duodenûm pedũ crassitudine insignis, turris à decantatis piratis, Nicolao Störtebekio, & Gothefrido Michaelis (ut vetus memoria est) qvondam ædificata, exstat: QvamCæsariani fossâ & castello terreo, seu Reductu circumdederant. Nec Regios infestare exinde desierunt: Donec, impetu facto, vi superarentur. Ab irritato, recenti Paswalcensis lanienæ memoriâ, milite mactati ad unum omnes: Pars etiam, qvi in turrim se receperant, à Regiis in altum enixis, è fastigio præcipites acti.

Et castellum ad Rekenitzæ transitum.

Mox in castellum, ultra fluvium propè pontem, qvo Rekenitza jungitur, ad transitus defensionem Cæsarianis exstructum, vis Regiorum incubuit: Cui aggrediendo delectus miles in alteram fluminis oram cymbis tramissus, &, ad verberationem instituendam disposita illicò tormenta. Utut autem Subcenturio, qvi defendendum castellum susceperat, animo pervicax, deditionem respueret: Attamen, qvia munitio adeò infirma & levidensis erat, ut Rex primis statim tormentorum ictibus utrumq; loricæ latus perforaret, miles animum statim despondit; Præfecti ingratiis castellum, abjectis armis, egressus, vitamq; solummodò suppliciter deprecatus. Ita, illo in regia stipendia transcripto, Ductores captivi remansère.

Denìq; Ribnicise oppidum.

Inde Ribnitziam, oppidum Megapolim ingredientibus primitùs occurrens, itum: Id qvod, coronâ circumdatum, levi negotio in Regiorum potestatem concessit. Metzerodius, militum cæsarianorum Ductor, cum plerisq; præsidiariis, captus: Ejusdem verò Legatus, & nonnulli gregarii primo fervore trucidati. Exiguâ Regiorum jacturâ: Nisi qvod Imhofius Centurio, dum aqvâ aggressionem parat, & exscensum nimis improvidè facit, undis haustus interiit.

Regis mandatum, ad universos Megapoleos incolas.

Foribus ita in Megapolim felici successu patefactis, Rex ad omnes hujus dicionis incolas Edictum publicè proponebat; eosdem adhortatus: *Ut pristino, cui DEUS & Natura eos subjecerat, Magistratui se iterùm applicarent, & armati ad Exercitum suum comparerent; his, qvi Wallenstenio adhæserant, in potestatem redactis, aut trucidatis, aut certè ejectis. Qvod ni facerent; Regem igitur in eos, aut perfidos, perjuros, Magistratui rebelles, igne ferroq; acrius, ac in hostes ipsos, vindicaturum.*

In specie ad Rostochienses.

Rostochii autem Urbem, ejusq; habitatores (qvorum insignis pars nautæ ac maritimo qvæstu vitam tolerãtes, regiiq; hinc favoris magis indigi) jam antè peculiari diplomate in eundem sensum Rex monuerat. *Redderent se legitimo Magistratui, &, qvia Wallenstenius eosmet ipsos plerosq; Patriâ pellere, missis jam ad Præfectos suos ea de re litteris, destinasset, præveniendo, turpe servitutis jugum excuterent: Hostibus ac proditoribus Libertatis suæ, qvi cæsarei præsidii nomine se venditarent, expulsis, Civitateq; in pristinum statum repositâ. Alioqvi in Wallenstenianæ servitutis barathrum altiùs se immergentes, pejore à Rege, qvàm hostes, loco, & omnium commerciorum atq; privilegiorum, qvibus in Regnis ac provinciis suis hucusq; fruiti erant, æternùm indignos habitum iri.*

 19. Et

Cæsariani validiū præsidiū astu Rostochium introducunt.

19. Et sanè qvoad Rostochiū, qvod debili, & impari civibus coercendis præsidio tenebatur, consilium Regis forsan non fuerat sine fructu futurum: Nisi Cæsariani, incolarum, animis fluctuantium, inclinationi antevertentes, præcidissent astutiâ suâ, qvicqvam contra se moliendi occasionem. Validum enim eqvitum agmen, ductu Laurentii Hoffkirchii, proTribuni, qvasi Urbem solummodò transiturum, misêre: Credulis civibus perfacilè assentientibus; hoc tamen pacto, ut turmatim, non toto simul agmine recepti, transmitterentur. Vix autem prima turma portam ingressa erat, cum illicò gradum sistit: Reliqvi, totâ mole incumbentes, aditum attonitis civibus initio extorqvent; mox ulteriùs progressi, catenis & repagulis transversariis, qvibus plateæ communiebantur, refractis, Urbe omninò potiuntur. Inde arma statim civibus erepta, & miles adeò copiosus per domos singulas distributus: Ut, etiamsi voluntas haud defuisset, facultas tamen aliqvid tentandi, aut regio Edicto obtemperandi nulla relinqveretur, sed Cæsariani, vel invitis civibus, pro lubitu in Urbe dominarentur.

Rostochiensiū exinde miseria, & protestatio apud Hatzfeldium interposita.

Qvorum enormis licentia (ut uno contextu id hic inseramus) & insatiabilis libido in miseros cives, cum extrema eorundem pauperie ac pernicie, adeò grasſata est: Ut Magistratus Urbis, nullum uspiam precibus suppliciisve locum superesse cernens, spe omni humanorum auxiliorum depositâ, ad Deum, tanqvam anchoram verè sacram, confugeret; solenni apud Cæsareæ militiæ Præfectum, Hatzfeldium, protestatione interpositâ. *De interitu tot innoxiorum hominum, qvi his vexationibus ad incitas & desperationem redigerentur, maximè tot viduarum, orphanorum, senum, morbis decumbentium, & moribundorum, apud DEUM immortalem excusatum fore, iisq; imputaturum: Qvos summus ille cordium scrutator, ac humanarum actionum censor, culpæ hujus, seu criminis reos nosset.*

Tragica Hatzfeldii mors.

Memoratu autem dignum accidit: Dictum Hatzfeldium, qvi paupertati cumprimis prædurum se præbuerat, post dies non ita multos, à Jacomo Varmejero, homine literato, (cujus socrum, hospitium apud eam sortitus, inhumaniter satis tractabat) dum hic ad solitarium, ceu familiaris, in cubiculum facilè intromittitur, impulsâ in cervicem de improviso securi, trucidatum, capite truncari. Qvi Varmejerus Judithæ exemplo animum ad facinus obdurârat: Priorem nominis hujus literam, prænomini suo, & priorem Holofernis Hatzfeldio applicans. Repertæ qvoq; apud illum, cum vinculis manciparetur, preces, qvas Juditha in simili actu fudisse legitur: Inflexæ tamen paululum, & in ipsum, Urbemq; Rostochiensem, nec non Hatzfeldium adaptatæ. Qvin etiam manè, anteqvam facinus præconcepto animi proposito aggrederetur, velut magni momenti negotium, qvod DEI gloriam & totius provinciæ salutem concerneret, publicis Ecclesiæ precibus idipsum ad Spiritus Sancti commendatum iit.

Sed missum isthoc facimus, liberum de eo Lectori relinqventes judicium: Interim, licet mense Januario proximè seqventis anni demùm acciderit, animo anteire, & raram, nec notatu indignam rem hoc loco, datâ occasione, interserere lubuit.

Savellius adversùs Regios castra facit.

Contius verò, ut à diverticulo in viam redeamus, auditâ Regis in Megapolim expeditione, Savellio Duci, qvi his locis curabat, Legiones nonnullas subsidio miserat: Qvibus, & aliis, qvæ ex vicinis præsidiis conflârat, copiis, eqvitatu maximè, trium millium æstimato, subnixus ille, inter Rostochium & Ribniciam, castra, ulteriori irruptioni præcavendæ metatus, Regi se oppositum ibat.

Elector Brandenburgicus Neutralitatem ambit.

20. Ribniciæ ab Electore Brandenburgico Legatus, Neutralitatis (qvam vocant) sive ut, cum dicionibus suis, neutri belligerantium parti addictus, belli incommodis utrinq; eximeretur, pro Domino suo satagens, ad Regem comparuit.

Cui duplex ad hanc via à Rege proposita.

Qvanqvam autem Rex animo haud satis prospiceret, qvâ ratione hoc rerum statu isti beneficio locus foret; Marchia qvippe ipsissimum hostis domicilium erat, & sedes, cujus

cujus mediis bellum pro tempore potissimum gerebatur: *Haud* tamen *ab Electoris postulato abhorrere, sed eidem qvàm lubentissime assensurum*, respondit; *modò ipsemet qvoq; Elector consistere intra innoxiæ, & neutrò propendentis Neutralitatis cancellos reperiretur*. Qvem in finem *duplex* eidem *via*, qvarum utramlibet ingrederetur, proposita. *Aut enim Regi, non secus ac hosti, loca, qvæ possidere ejus interesset, in manus tradenda, Exercitui regio paria exsolvenda tributa, diribitoria similiter concedenda, commeatusq; tantum, quantum hosti, præbendum: Aut hostem exigendum munimentis, Urbibus, locis, transitu fluminum opportunis, nec ipsi minus, ac Regi, præcidendas omnes annonæ, contributionum, hibernorum, diribitoriorum commoditates.*

Hoc responso dimissus Electoris Brandenburgici Legatus. Rex vero, hostis objectu, exiguam majorum progressuum spem illic locorum superesse cernens, Stralesundam revertebatur: Johanni Bannerio summâ rei militaris ad Megapoleos fines curâ, speciali vero præsidii Ribnicensis Melchiori Chrichbomio, Tribuno, demandatâ.

Alibi ad Albim turbatur,

21. Eo ipso penè momento, qvo Rex è Pomerania in Megapolim impressionem fecerat, à diversa provinciæ parte ad Albim turbæ qvoq; exortæ, hosti à tergo non mediocrem incusserunt metum: Qvarum primam scaturiginem altiùs indagare, operæ pretium fuerit.

Tumultu partim à Ducibus Megapoleos orto,

Duces Megapoleos, pro tempore exules, in conventu, Ratisbonæ habito, calamitatem suam, qvæ omnibus fortunis illos exuerat, ad Cæsarem & Imperii Electores qveribundi detulerant, spesq; iis fuerat injecta: Interventu Electorum, qvi, sive eorum gratiâ, sive Fridlandiæ Ducis odio, hujus causæ satagere videbantur, in pristinum statum repositum iri. Protestantes ergò Imperii Electores, Principes, Ordines, Religionis nexu ipsis juncti, tutissimum omnium arbitrari: Ne adhucdùm, consilia sua præcipitando, Regis Sveciæ amicos palàm professi, abruptum ingrederentur armorum ac facti iter. Dissimularent potiùs aliqvantulùm, & patientiam præstarent. Sinerent Svecos ferro ac armis cum Cæsare digladiari, ipsi argumenta, verba, preces intenderent; certi: Utrâq; hac viâ simul efficaciùs ac faciliùs illis consultum iri, qvàm alterutrâ earum; si, nimirùm, amicabili viâ penitùs relictâ, unicè ad armorum recurrerent extremitates.

Consilio huic Duces Megapoleos haud gravatim acqviescentes, arma adversùs Cæsarem palàm haudqvaqvam induerant, donec de exitu Ratisbonensis conventus, & qvidnam à Cæsare Electores ipsorum causâ essent impetraturi, certò constaret; hac fiduciâ: Istis ipsis Electoribus, Principibus, Ordinibus, qvi, ne in Regis partes transirent, consuluerant, hoc modo satisfactum, animos eorum, perspectâ summâ rei iniqvitate (qvod ne nunc qvidem, post habitam tamdiu patientiam, bonis restituerentur,) causæ suæ conciliatum, & ad suppetias seriò, omnibus viribus ferendas, eò magis permotum iri.

Spe autem restitutionis, qvæ à Ratisbona alluxerat, successu temporis magis, magisq; recedente, & sensim evanescente, haud consultum Ducibus visum: Fallaces & fatuos hos ignes diutiùs sectando, à Rege omninò segregari, promtèq; pollicentem auxilia repulsæ indignitate offendere. Qvin potiùs clandestinò ejus partes amplexi, qvia non pauci, nec infimæ notæ militares Duces, ad conscribendum (pars etiam propriis sumtibus) militem, operam suam passim ultrò offerebant, id modò, ut, missis diplomatibus, nomen suum, tanqvàm velum rei tegendæ aptum, novis his delectibus commodaret, à Rege postulaverant; corrasis in hunc usum undiqveversùm pecuniis: Ne, qvod promovendæ Regis intentioni, &, huic annexæ, restitutioni suæ faceret, qvicqvam, qvantum in ipsis afflicto hoc rei domesticæ statu erat, clàm intermisisse arguerentur. Inter alia, cum Tribuno Hatzfeldio, ejus, qvi Lubecensium militiæ præerat, Tribuni, Hatzfeldio cognatione juncti,

interventu, tractatus ultrò citroq; commeaverat; de deserendo Cæsarem, & ad Regem transeundo. Jamq; facta, transacta penissimè omnia: Hatzfeldio, militem nonnullum, ad qvem pro Cæsare cogendum sex Joachimicorum millia expenderat, iis transdere, & in delectibus habendis continuare, ingentemq; pecuniæ insuper summam mutuo dare, pollicito. Qvod ut faceret, spe prætensi in Clempenoam, Pomeraniæ præfecturam, crediti recuperandi, velut efficaci ad attrahendum ejus animum illicio, inescabatur.

Partim à Saxoniæ inferioris Duce.

Sed, Hatzfeldio à pactis resiliente, frustraneum id qvidem consilium erat; non dicti tamen Duces à proposito colligendi militis abstitêre: Cui percommodum accidit; qvod Franciscus Carolus, Saxoniæ inferioris Dux, à Falckenbergio, Hamburgum transeunte, inductus, nomen suum regiis stipendiis daret, & ad congregandas, Regis auspicio, copias nonnullas summâ vi propalàm accingeretur. Hujus etenim nomine conatus suos convelare, & militem ejus velut ductu congregare placuit. Is ergò, vergente ad finem Septembri, oppida & arces, Boitzenburgum, Leoburgum, Neohusium, ad Albim sita, milite aliqvo, partim suo, partim Ducum Megapolensium, insidebat.

Infausto tamen exordio:

Ipsis nonis Octobris, comperto, sexaginta Cæsarianos eqvites pecuniæ summam non contemnendam, sex, nimirùm, plus minus, Joachimicorũ millia, ad alterum milliare Lubecam præter, deducturos Gustroviam, Dux Saxoniæ, misso paris numeri eqvite totidemq; sclopetariis, hostem cum præda intercipere animũ induxerat. Abeunt illi, & in pagum, qvo Cæsariani hospitari ferebantur, tribus locis noctu irruunt: Sed, dum aliqvantò serius veniunt, hoste jam elapso, inter novitios milites & adhuc inconditos, errore tenebrarum, tumultus oritur; armaq;, in hostem destinata, in proprium exitium stringuntur. Qvibus Bernhardus à Sverin, eqvitum Magister imprudenter cadit; famulus qvoq; cujusdam centurionis, sclopeto pulveris nitrati vi dirupto, vitâ mulctatur. Qvod infelix principium pro infelicis exitus signo habitum: Nec tristi & infausto omini par defuit eventus.

Tũ exitu.

Qvod enim Cæsaris, qvi in Pomerania & Megapoli curabat, miles, cum Rege implicatus, alibi satis distineretur, Pappenhemius emicantem hanc flammam, anteqvam in rapidum incendium adolesceret, maturè restingvendam suscepit. Hujus autem adventu territus Saxoniæ Dux, Boitzenburgo & Leoburgo, qvibus contra ingruentem hostem defendendis par neutiqvàm erat, relictis, solum Neohusium, qvantum sat videbatur, firmatum retinuit: Cum reliqvis copiolis Ratzeburgum, fratris sui natu majoris, Augusti, sedem, se recipiens. Et oppidum qvidem, noctu de improviso adortus, levi negotio, nec nisi qvatuor civium cæde, occupabat: Arce tamen à fratre exclusus; unde seqventis infortunii origo.

Saxoniæ inferioris Dux Ratzeburgi in manus hostium venit.

Primus in eum movit Reinackerus Tribunus; Tramisso cum nonnullis copiis ad Leoburgum Albi: Id qvod eò proclivius erat, qvia Dux pontones & navigia, ex ultrata Luneburgensis agri ripa in citeriorem traducta, & contracta, illæsa illic deseruerat. Vix autem nuncium de trajectu Reinackeri, Centurionis, Neohusii cum sclopetariis sexaginta servantis, aures perculerat, qvandò arce, utut firmo satis vallo, & fossato aqvæ pleno circumdatâ, mediisq; in paludibus sitâ, penè biduo ante, qvàm hostis proximaret, inani formidine mentis simul & loci statu dejectus, excessit. Reinackerum Pappenhemius è vestigio cum majore militum robore secutus, diem noctemq; integras continuato uno tractu itinere, Ratzeburgum versùs rectâ gradum maturabat. Adeò improvisus Duci Saxoniæ superveniens; ut priùs, advenisse hostem, qvàm advenire, hic sentiret: Ambstellio, supremo sub legione eqvestri excubiarum à Cæsaris partibus Præfecto, in hospitia qvædam eqvitum, qvi, hostium securi, in pagis Ratzeburgo vicinis sparsim divertebantur, irruente; &, cæsis cum uno eqvitum Magistro (Steinichen vocabatur) nonnullis, reliqvos fugâ elapsos ad ipsas usq; Ratzeburgi portas perseqvente.

Oppidum Ratzeburgi, lacu penè cingi-

cingitur; & hinc sublicio ponte, trecentos passus longo, aditur, illinc arce exiguâ, sed munitâ satis, protegitur: Ut, qvi ingressum hic qværat, arcem transgredi, & aut penitùs in potestate, aut amicam saltem habere oporteat.

Et sanè Augustus Dux fratri, neminem recepturum in arcem, sed adversùs qvemcunq; defensurum, repromisisse fertur: Pappenhemius nihilominùs, seu secùs fore nosset, seu speraret, non attentâ loci opportunitate, & adituum difficultate, alacriter, hostem in his claustris oppugnatum, pergebat. Diviserat autem copias in duo agmina. Ita ut Reinackerus, statione ultrà lacum cum suis sumtâ, pontem observaret; cui pulveris nitrati nonnihil, qvod Duci, Francisco Carolo, Lubecâ eò ipso momento à Ducibus Megapoleos submittebatur, in manus venit: Ipse verò, cum Tribuno à Salis, ad arcem, ubi alter in oppidum aditus, castris positis, Ducem Saxoniæ medium includeret, omnemq; elabendi rimam præcluderet aufugere forsan tentanti. Mox, Cæsaris nomine, in arcem cum milite recipi ab Augusto Duce postulans, qvod volebat, sine mora obtinuit: Præter qvidem Francisci Caroli opinionem; qvi, è captivitate liberatus, ob id postmodum fratri, tanqvàm captivitatis suæ auctori, damni, qvod fecerat, & impensarum ratione, non mediocris summæ, nimirùm, duodecies mille Joachimicorum, dicam impegit.

Patefacto ita ab hac parte in Urbem aditu, Pappenhemius, Duce Sub-Tribuno, Barone Grottano, in oppidum summâ vi impressionem imperare: Franciscus verò Carolus, Dux, huic sustinendæ imparatus, misso primo ad fratrem tubicine, colloqvium ejusdem flagitatum ire. Sed hoc ab eo responsi referre: Arcem Cæsari in manus jam traditam, cum cujus Ductoribus Francisco Carolo, Duci, tractandum foret; ipsi non esse, cur cum fratre colloqveretur. Sic dimissus tubicen, à Duce statim remissus, de armorum induciis solicitare Pappenhemium: Nec nisi perbreves tamen, & ad horæ qvadrantem, qvousq;, non diutiùs, militum cohiberetur impetus, cõseqvi. Interim exiguâ cymbâ per lacum subducendi se periculum facere Franciscus Carolus Dux; sed irrito conatu: Hoc enim animadverso, ab arce grãdioribus machinis, & ex utraq; ripa freqventibus longiorum tuborum fulminibus in eum detonari; ipsiq; nautæ, qvi cymbam dirigebat, globo caput ab humeris revelli. Qvare hac tempestate ad terram retro actus necessitate submittere cervicem, & unà cum milite suo, ad trecentos pedites, & centum sexaginta eqvites, Pappenhemii arbitrio se dedere: Cæsaris tamen & Ducis Bavariæ nomine, mortis & perpetuæ captivitatis metu ab eodem exsolutus.

Hoc modo flamma, qvæ vixdum extulerat caput, in fumum abiit, & nova ad Albim Regiorum, qviq; Regiis adhærebant, diribitoria in nihilum recidêre.

Adversus Duces Megapoleos autem, qvorum intentio hoc, qvi acciderat, casu, maximè ob interceptum pulverem nitratum, qvem proprio vertabulo submiserant, parum aberat, qvin palàm erumperet, Lubecensis plebes ea de causa adeò exarsit animis: Ut in Urbe diutiùs tuto hospitari, penè diffiderent, idq; ad Regem qveribundi deferrent. Qvi eapropter navis, ad Travemundam excubantis, Præfecto mandata dedit: Urbe cedere compulsis præsto esset, & receptos aliorsùm in tutiora transportaret loca. Qvanqvàm, irâ Lubecensium temporis tractu deferveſcente, sollicitudine postmodùm hac non fuerit opus.

Lubecenses Ducibus Megapoleos ob hunc tumultum infensi.

22. Rex intereà temporis Stralesundæ commorabatur: Ubi à seniori Hassiæ Landgraviâ, ejusq; duobus filiis, Gulielmo ac Hermanno, utriq; à consiliis, Hermannus Wolffius, tanqvam Legatus, appulit: Impetratâ, nono Calendarum Novembris, à Rege audientia, Principum suorum, & totius Hassiæ miserias, calamitatesve, qvibus premerentur, fusè explicans. Imprimis autem, & in specie; *qvod Cassellensi huic Landgraviorum stirpi integer principatus, & alia nonnulla nobilissima territorii membra erepta, residuum verò inferioris Hassiæ bellorum &, inde depluentium, malorum*

Landgravii Hassiæ Regis patrocinium qværunt.

pro-

procellâ adeò perculsum ac prostratum sit: Ut Gulielmus, fratrum natu maximus, omnibus ferè, & semetipsum & Patrem, provecta ætate atq; canitie venerandum, Matremve ac fratres sustentandi mediis destituatur. Ad hæc Pontificios castris & munitioribus locis, quæ adhuc possideant Landgravii, clam palamve, astu ac vi multimodis insidiatos, jamq; ad extrema ferè deventum: Annonâ, quæ longa Pace illic congesta fuerat, diuturnâ octo annorum morâ, qua Cæsariani rerum erant potiti, consumta; & viis, qvibus commeatus de novo inferri posset, penissimè interclusis ac obstructis. Hasce ob causas, & qvia nullum ordinarium restitutionis aut conservationis remedium superesse viderent Hassiæ Principes, Mater cum liberis, corde, manu, ore inter se convenisse, de qverelis suis ad Regem, ut dignitate ac potentia summoperè suspiciendum, ita sangvinis necessitudine conjunctum, deferendis, auxiliove & ope ejusdem, qvem à DEO Opt. Max. oppressæ veræ Ecclesiæ destinatum Salvatorem ac defensorem agnoscant, implorandâ. Miseraretur ergò illorum, Patriæq; in extremo agone jam constitutæ, vicem, eòq; cogitationes suas cumprimis intenderet: Qvomodò in arctum redacta Castra & Urbes, Casellæ & Zigenhemum, conservari, hostive, bolum hunc dudum inhianti, è faucibus eripi possent? Porrò, ne cum qvoqvam Pacem Rex iniret: Ni, aut iisdem pactis pacificatoriis, aut regiis armis, Landgravii in statum, qvo ante Bohemicas & Palatinas turbas exstiterant, repositi, deve ingenti, qvod passi erant, damno totaliter iis foret satisfactum.

Qvod Rex susci-pit, & fœdus in eventum cum iis icit.

Rex Sveciæ utut præcisè adeò ad hoc, illudve obstringi, periculosæ plenum aleæ initio duceret, re tamen post maturè pensitatâ, qvinto Iduum Novembris, benignè respondit: *Si Landgravii collatis omnibus mediis ac viribus suis, oneri unà succedere, & fœdus cum ipso jungere haud abnuerent; sese in protectionem igitur ac clientelam eos recepturum.* Nec mora: Cum Legato de certis fœderis articulis, qvos Principes ipsi ratihaberent, conventum. Qvi, Regis manu ac sigillo confirmati, Legato, ad conciliandam relationi ejus fidem, traditi, & hoc modo conclusa in eventum fœderatio: Legato econtrà de rerum gestarum veritate reciproco scripto attestante.

Qvia autem Fœdus iisdem ferè conditionibus, qvibus hoc tempore conclusum, mense Majo proximè seqventis Anni, Spandoæ repetitum, & Werbenæ, Augusto demum mense, cum ipso Landgravio, Gulielmo, consummatum, plenève ad exitum perductum est, ideò, specialius de eo agere, eòusq; supersedebimus.

Levibus velitationibus ad Sedinum certatum.

23. Dum hæc in citeriori Pomerania & Megapoli accidunt, ad Sedinum, absente Rege, levibus, sed freqventibus, nec incruentis, præliis partes inter se velitati: Alternante, per vices, fortunâ, & clade, nunc huc, nunc illuc incumbente.

Inter alia, decimo qvinto Calendarum Octobris, dum matutinis precibus Regii in castris vacant, Croatarum ad triginta, vel qvadraginta, vicinum Sedino pagum aggressi, sub regii excubitoris, qvi propè abstabat, obtutu, pecus omne abegerunt. Qvam indignitatem Carbergius, summus vigiliarum sub Legione eqvestri Præfectus, dum excubias illic habet, non ferens, & cũ qvadraginta circiter eqvitibus Croatas, prædam illis extortum, minùs circumspectè insecutus, insidias ab hoste ad pagum, integrum milliare Sedino dissitum, structas incidit: Subitòq; circumventus, amissis decem suorum, qvi in certamine ceciderant, & undecim, qvi capti, cum reliqvis vix periculo se eripuit.

Hanc jacturam ulturus Hornius, nocte, qvæ secuta est, centum, è Livonis & Curlandis selectos, eqvites, versùs loca, ubi hostem pabulatum ire noverat, emittebat: Qvi deprehensum malè mulctârunt, &, ultra qvinqvaginta trucidatis, totidem captivos cum opima præda in castra reduxêre.

Alia qvoq; Regiorum manus, Paswalcum versùs, vias & campos exploratum ire jussa, in triginta è Sparriana Legione eqvites, qvos Signifer, nescio qvis, ducebat, impegit: Qvorum duodecim cum Decano qvodam capti, reliqvi maximam partem cæsi; Signifero, & nonnullis vulneratis Lokenitzam pernicitate eqvorum evadentibus.

Colberga

Ad hæc Rex Sveciæ, priusqvàm adhuc

Finitimæ regioni infesta, circumsideri cœpta.

adhuc ad Megapoleos fines, ut enarravimus, impetum daret, Colbergam, ulterioris Pomeraniæ Urbem, lentâ obsidione eminùs cingi jusserat.

Colbergam Cæsariani, valido veteranorum præsidio munitam, tenaciter servare decreverant: Hic enim unicus ad Pomeraniæ littora portus illis superabat, & qvidem in meditullio ulterioris provinciæ situs; unde in universam circumjectam planitiem, excursionibus, longè latèq; grassari licebat. Prout paulò antè, qvàm miles regius circumfunderetur (qvod etiam rem forsan non parùm maturavit) circiter nongenti Urbe egressi, Treptoam, ad Regam oppidum, tumultuario assultu tentârant; & inde, tum regiorum militum, qvorum pauci illìc divertebantur, tum ipsorum civium forti operâ cum clade rejecti, vastitatem ad aliqvot milliaria circumtulerant: Prædâ omni, & pecore armentove imprimis, qvòcunq; irent, Colbergam secum abductâ. Nec minùs Regis, in potestatem redigere Colbergam, qvàm hostis, in potestate retinere, intererat: Qvippe qvæ occupata de universo littore maris baltici, qvâ Pomerania se extendit, imò totius provinciæ ulterioris possessione securum redderet.

Licet autem ulterioris Pomeraniæ, & diœceseos Caminensis Ordines, præter subsidia, in menses singulos conferre promissa, de non contemnendo eorundem auctario spem facerent, modò Rex Colbergam vi aggredi, & hac eos molestiâ liberare, annueret: Providebat hic tamen, belli calculo benè posito, locum satis firmum, virisq; & armis instructissimum, non sine ingenti sangvinis hominumve jactura expugnatum iri. Itaq; pro comperto habenti, Urbem annonâ non adeò abundare, ut præsidio, qvod numerosum satis, victus ad longum tempus suppeteret, munitionibus Urbis, viribusq; ac virtuti propugnatorum lentitudine qvadam illudere, qvàm impetu in eos ferri, potius visum: Sperreuterio primùm Tribuno, cum nonnullis copiis, eòdem ablegato. Qvibus ducenti eqvites, & mille, in Corlinensi districtu è provincialibus delecti, sub certa signa distributi, & in Regis verba, non secus ac miles ære merens, adacti, pedites accessêre: Vagabundis Cæsarianorum excursionibus frenum injecturi.

Sedente in hunc modum ad Colbergam regio milite, incendium, incuriâ cujusdam eqvisonis intra Urbem ortum, partem penè ejus nobiliorem corripuit, & latè evagatus stragem dedit ingentem: Ad centum octoginta duabus ædibus in cinerem redactis.

Decimo Calendarum Octobris, regio Campiductori, Hornio, ad Sedinum referebatur: Hostem duas cataphractorum è Ferdinandi de Capua legione alas, ducentos Croatas, & centum viginti dracones è castris Garcensibus destinâsse Colbergam; Contii, cæsarei Campiductoris impedimentis, ut putabatur, inde ducendis. Qvapropter, ne Sperreuterius, qvi, id temporis, illìc locorum curabat, damnum aliqvod pateretur, Uslarium proTribunum, cum trecentis eqvitibus & nonnullis draconibus (cui Hallii Tribuni turmæ ad Golnoam, & Gryphenbergam se aggregare jussæ) eòdem præproperè misit: Cæsarianorum conatibus junctim obviam ituros. Hi verò post adventum Regiorum cognitum verso jam ad Schifelbenum itinere, & circuitu per novam Marchiam facto, in castra ad Garcium viam retrò legerant: Qvare dictus pro-Tribunus pariter Sedinum reversus est. Ne nullum tamen omninò operæ pretium faceret, Piritzam & Gryphenhagam usq; populabundus excurrens, non paucis hostium interemtis, qvadraginta sex captivos secum reduxit.

Acri ad Sedinum conflictu Regii cladis qvid passi.

Tertio Nonarum Octobris, acri certamine Regiorum pars cum hoste conflixêre; seqventi occasione illecti. Hornius, certò exploraturus, num hostis è castris Garcensibus militum qvid in Megapolim ablegâsset, Tribunum Dänhofium, ipsummet huic rei se offerentem, Pencunum, ubi loci Cæsariani plerumq; pabulabantur, ad intercipiendos nonnullos miserat. Hic nactus, qvod qværebat, dum viam remetitur, ad sesqvimilliare à Sedino in sexaginta vel octoginta Croatas incidit: Qvi, impetu in pagos, Brunnam ac Voltschendorffium, facto, pecus inde

inde abegerant. Croatis autem, conspecto hoste, prædam derelinqventibus, inq; fugam se conjicientibus, Danhosius, pecus Sedinum, sexaginta eqvitibus deducentibus, remittens, Sackium, alæ Ductorem, cum triginta eqvitum turma, fugitivos inseqvi jubet: Addito tamen, ne certam qvandam fossam, & angustum tramitem, qvi ad qvadrantem circiter milliaris inde aberat, transveheretur, sed, eòusq; delatus, impetum sisteret. Verumenimverò Sackius, inconsulto animi fervore, plus ultra ad sesqvimilliare evectus, incitatis eqvis & effusissimo cursu fugientium calcibus inhæsit; donec in ipsa penè hostium castra impingeret: Et Tribunum qvoq;, vestigia sua, ut, necessitate exigente, subsidio illi esset, secutum, secum traxit vel invitum. Hìc totis mox castris ad arma conclamatur, & universus hostilis eqvitatus, inde excitus, summâq; Regiis vi incumbens, numero, non virtute superatos in fugam compellit. Fugientibus Tisenhusius, supremus excubiarum sub Legione eqvestri Præfectus, qvem regius Campiductor cum nonnullis eqvitibus, campos Mandelcoam versùs speculatum, emiserat, superveniens, prælium restaurat. Sed & hi, multitudine hostium obruti, campo cedunt: Tisenhusio ipsomet, unà cum dicto Sackio, & Isaaco Lilliesparrio, eqvitum Magistris, hostium potito. Witzlebius, itidem vigiliarum sub Legione eqvitum Præfectus, cum qvadraginta eqvitibus, è propria & Zachariæ Pauli ala, in excubiis ante castra stabat: Qvi & ipse, è statione provectus, hosti frontem obvertit; fugientibus commilitonibus tutum præstiturus receptum. Nec minùs tamen fusus, vivus in manus Cæsarianorum devenit: Cæso Adricasii, eqvitum Magistri, Legato. Varium hoc certamen, & Regiis, hostium numero prævalente, infaustum: Minor tamen, qvam pro metu clades, haud ultra qvinqvaginta eqvitibus amissis; qvorum vix decem interemti, reliqvi omnes capti fuêre.

Cæsariani Colbergam obsidio libe- Sub hoc tempus Cæsarianis nil magis cordi erat, qvàm obsidio liberare Colbergam, & simul eqvitatui, qvem, è Borussia venientem, Rex præstolabatur, maturè, si fieri posset, anteqvàm reliqvis copiis jungeretur, occurrere. rare contendunt. Itaq;, nondum adulto mense Novembri, sedecim Croatarum signa, inter qvæ duodena noviter conscripta non ita pridem advenerât, qvatuor è Götzii Legione eqvitum alæ, & sexcenti delecti Germani eqvites, tum bis mille circiter, aut bis mille qvingenti pedites, cum tormentis nonnullis, è castris ad Garcium, per novam Marchiam Schifelbenum progressi: Ubi duæ eqvitum regiorum turmæ, & tres peditum cohortes, sub Tribuni Monroji ductu, hospitabantur. Hi autem in arcem mox se contulêre, & hostem inde arcuêre; deserto oppido: Qvod, flammâ inter tumultum exortâ, ultra semissem incendio consumtum.

Hornius, hostium intento ac itinere animadverso, Cniphusium, qvem Rex venientibus è Borussia Legionibus obviam miserat, rei in continenti certiorem fecit, admonens: Ut, contracto, qvi hinc inde hospitabatur, milite, Treptoam se reciperet. Ipsemet, cum nongentis eqvitibus, (cui alii trecenti, ductu Hallii Tribuni, in itinere se junxêre) mille qvadringentis peditibus, qvà sclopetariis, qvà sarissophoris, tum duabus, qvæ duodenûm, & sex, qvæ trium pondo globos impellebant, machinis Sedino Gryphenbergam movit: Accersitis, qvas Cniphusius penes se habebat, copiis, ad Rossentinum, peropportuno, milliare à Colberga distante, loco, pedem initio figens. Hic enim hostem, si Colbergæ liberandæ veniret, commodè opperiri; hinc qvoq;, si Schifelbenum, aliudve qvippiam oppugnare animum induceret, tempori suppetias illi ferre poterat. Intereà Colbergenses præsidiarii, qvi animum penè desponderant, propinqvi subsidii & liberationis spe animosiores facti, in pagum, Urbi subjectum, erupêre, & duos, tresve Regiorum trucidârunt: Viginti octo, unà cum Centurione qvodam, in captivitatem abductis. Regio interim Campiductori, libratis suis hostiumq; viribus, certamini se haud imparem, imò veterano eqvitatu, ob duodecim noviter con-

conscriptorum Croatarum vexilla, penè superiorem judicanti, deliberatione cum primoribus Ducum prius habitâ, rectâ in hostem eundum, & prælii aleam tentandum videbatur: Cui rei ipsis Idibus Novembris, ad pagum, milliari Rossentino dissitum, (majus Gostinum vocant) acies processit. Hic, num subsistendum vel progrediendum esset, consultantibus, præcursores, qvi longiùs (ut mos est) curabant, intervenêre, & deliberationi finem imposuêre: Hostem recto in eos gradu ferri, jamq; tubarum clangorem, & tympanorum murmur eminùs exaudiri, referendo. Hornius ergò, milite mox in armis esse jusso, locorum situm, qvæ aggrediendo vel propellendo hosti commoda, qvæve minùs forent, exactè contemplari, copiasq; in aciem disponere; ita ut monte, frontem præjacente, tegerentur: Cæsarianis, si noctu, ut opinio erat, Colbergam pergerent, se opponere certus. Jamq; hostilium instrumentorum, pugnæ incentivorum, sonitus ad aures pervenerat, jam Regii ad excipiendum impetum parati stabant, cum ab exploratoribus, longiùs procurrentibus, cognitum: Hostes haud ultra milliaris qvadrantem ab Regiorum acie in pago, qvi Wartcoa dicitur, castra raptim metatos. Qvapropter Hornius similiter in statu, qvem ceperat, immoto sibi perseverandum censuit. Nocte in hunc modum penè exactâ, circa tertiam matutinam, tympana in hostium castris, itineri proseqvendo signum dare audita, repentè iterum obmutuêre; mox speculatores, qvid rei esset, cognoscere jussi, de hostibus pedem retrò ferentibus nunciârunt: Qvo comperto, communi omnium Ducum suffragio, recedentium tergo insistere decretum. Promotis itaq; copiis, & per angustum atq; difficilem callem, qvi castra Regiorum ac Cæsarianorum interjacebat, longâ serie, seu filatim, ut loqvimur, traductis, præcursores è Baudisianâ Legione diversos captivos, tum Germanos, tum Croatas adduxêre: Qvi partim in ipsis adhuc domibus, alto somno sepulti, deprehensi fuerant, repentini hujus receptus ignari; partim uno ore confitebantur, jam ante bihorium castra Cæsarianos movisse, eâdemq; recedere viâ, qvâ venerant. Qvæ omnia ad perseqvendum, ut formidinis & terroris repletos, magis magisq; stimulum addebant. Qvocircà Hornius qvatuor Baudisianæ Legionis alas, præcursorum terga fultum, præire, & universum eqvitatum, admissis paulisper habenis, citatiùs solito, subseqvi; post hunc mille sclopetarios, Teuffelio & Hebronio, Tribunis Ducibus, gradum, qvantum pediti liceret, accelerare; reliqvum peditem cum machinis, sub Turnio Comite, sedatiùs, densatis ordinibus ingredi jubet. Dum autem ita proceditur, moratores hostium non pauci inter viam à præcursoribus regiis interemti: Nec tamen, ut intermisso itinere frontem obverteret, hostis permoveri potuit. Ita aliqvamdiu ejus vestigiis insistentes Regii, ad Stoltenbergam angustum iterum ante se callem, & qvasdam hostium turmas in sublimi loco hærere, conspicantur: Mox speculatores, hostem, ibidem morantem, impetum opperiri, renunciant. Regiis verò promoventibus gradum, loco hic cedit, & Hornio ab iisdem exploratoribus refertur: Peditatum hostilem continenter, sine intermissione, iter proseqvi, decem verò eqvitum vexilla postremam claudere aciem. Unde Hornius statim in locum, qvo hostis steterat, colligere copias suas; illius deinde vestigia sine mora legere; eundem in animo, in oculis ferre: Donec, vix ad longioris tubi jactum progressus, ponè pagum Falckenbergam, acie instructâ, qvasi pugnam minitantē, denuò stare animadverteret. Idcircò ipse etiam gradum suspendere, respirandi spatio suis dato: Cæsarianos interim, num pugnæ, an ulteriori receptui se præpararent, curiosè observans. His verò cœptum iter magnâ celeritate continuantibus, similiter cum suis è vestigio militari gradu seqvi: Locum altiusculum, qvem hostis deseruerat, occupaturus. Inter qvæ accidit, densas nebulas, sub hoc anni tempus haud insolentes, universos campos caligine suâ involvere, & præcursores eodem momento

 ter-

terga recedentium non nisi septem eqvitatus alis, in postrema acie collocatis, firmata, referre: Qvibus,qvod tenebræ visum, & eminùs speculandi facultatem penitus eriperent, hoc ex tympanorum hostilium, ut qvæ obticuerant, sonitu diversum colligi posset, necessario fides habenda fuit. Qvod ergò, horum relatu, hostis ita incederet, ut maximam eqvitatus partem prægressam velut in media acie subseqveretur pedes, septem eqvitum vexillis postremum agmen claudentibus; consilium Hornio erat: Eqvites, qvi in ultima acie versabantur, omisso pedite, impetu aggredi, & in peditem propellere, ejusq; hoc modo turbare ordines; vel, pulsis istis, reliqvum hostem tamdiu, dum regiæ omnes copiæ supervenirent, velitando distinere. Et primum qvidem Baudisius, cum tribus Legionis suæ alis, satis feliciter exsecutus: Non ferente Regiorum incursum Cæsarianorum eqvitatu. Cum verò universa ejusdem Legio, suis statim subsidio advolans, in prælium succedere vellet, hostium sclopetariis, à nebula seducta, ex improviso impegit; Densoq; ab his glandium plumbearum imbre excepta, &, redeunte simul in certamen eqvite, attonita, repulsa est. Eâdem fortuna Curlandus eqves, in peditatum prolapsus, retrocedebat. Hallius verò Tribunus incidebat in qvinq; Croatarum signa: Qvi fugam, non prælium meditati, præcipiti cursu dilabebantur. Uslarius demum pro-Tribunus cum suis, Campiductoris jussu, immotus, &, constipatis ordinibus, in occasiones omnes, si qvid subiti ingrueret, intentus stabat. Densissima, qvæ cœlum, terramq; obtexerat, nebula causæ erat, ut nec hostes qvisqvam penè nosset, nec suos; qvamvis exiguo intervallo distantes: Adeò nec in qvos impressionem faceret, nec qvò, repulsus, se reciperet, miles satis prospiciebat oculis. Hinc alicubi pugna, alicubi receptus, alicubi metus, imò & fuga: Cumq;, qvi eqvestre certamen meditabantur, semper in peditem, longioribus tubis nec opinantes statim excipientem, præter opinionem inciderent, nullibi penè non confusio. Et sanè qvidam Regiorum, turbatis ordinibus animisq;, à signis diffugientes, ad subseqventem usq; peditatum trepido cursu penetrabant: Ubi tamen, restitutis ordinibus, animos qvoq; resumsêre. Nec hostis perculsis à se ullatenùs instabat: Qvod forsan in his tenebris non minore, ac Regii, difficultate colluctaretur. Duravit autem densissima nebula per solidum hunc diem: Qvam nox, velut continuata caligine excipiens, hostes, qvi adhuc eâ vesperâ ultra Schifelbenum grandibus gradibus perrexêre, ac postridiè summo mane in tutum se receperunt, periculo omninò subtraxit.

Utut autem casses, qvibus penissimè se induerant, sine clade, nebulæ beneficio, hac ratione, evaserint Cæsariani, id tamen Hornio victoriæ satis: Qvod Colbergam, indagine cinctam, &, nî subveniretur, in partes regias brevi transituram, de liberatione & subsidio inferendo velut desperantes, reliqverant.

Rex, qvi Stralesundæ id temporis hærebat, oculos mentemve in omnia rerum momenta pervigili curâ circumferens, simul ac hostis, Colbergæ suppetias ferre tentantis, & Campiductoris sui, id prohibere laborantis, conatus comperit, ne suis deesset, festinato itinere Stralesundâ discedens, Gryphenbergam se contulit: Ubi Campiductor Hornius, & Cniphusius, Baudisiusq; ad eum venientes, expositâ rei, opinione citiùs transactæ, serie, animum ejus hac solicitudine levârunt. Mox miles, qvi è Borussia recens appulerat, circa Colbergam, & in ulteriori Pomerania per hospitia distributus: Qvia verò Sperreuterius ad Colbergam Regis exspectationi non satis respondere videbatur, Boetio Tribuno circumsidendæ porrò ejus demandata cura; Cniphusio autem in citeriorem Pomeraniam remisso, collatum à Rege summum his in oris imperium.

Rex ad suos, eo audito, accurrit.

24. Ineunte mense Decembri, regiis navibus, qvæ, Duce Blumio, Wismariensis portus fauces hactenùs obsederant, ad reficiendas vires Gellam versùs paululùm abscedentibus, classis Cæsarianorum, cujus prætoria,

Regiæ naves prætoriâ Cæsarianorum in Travemundæ

Davi-

portum fugant. Davidis Regis nomine, & qvadraginta æreis tormentis, qvorum nonnulla molis haud exiguæ, insignis erat, onerariam fortè unam, alteramve, & viatores, Stralesundam contendentes, interceptum, desubitò in altum egressa est: Mox tamen, regiis, eo animadverso, ad stationem suam redeuntibus, in portum suum refuga. Solam prætoriam si exciperes: Qvam paulò longiùs in ventum provectam, nec tempori satis retrò navigandam, regiæ naves, interventus sui celeritate receptu exclusam, in Lubecensium stationem, Travemundam, compulêre. Ubi, Idibus Decembris, nullâ habitâ profundi ratione, per ipsa brevia, non sine discrimine, portum invecta, à Regiis, ne elaberetur, fauces obsidentibus, eminùs cingebatur.

Tum hoc, tum aliis experimentis, fortunam Cæsari in maritimis bellis minùs propitiam, compertum fuit: Nam haud longè post, Regii nauticæ plebis nonnihil, qvod Gabriel de Roy magnâ impensâ conduxerat, inter vias, anteqvam Wismariam perveniret, adorti, qvatuor exceptis, universos trucidavêre.

Qvâ de tradenda inter Johannem Salvium, & Lubecenses, literis disceptatur. Postulabat verò, Regis sui nomine, Johannes Salvius à Lubecensibus; hostilem isthanc navim aut tradi, aut regiæ classis Præfecto, ut portu extraheret, permitti. Inter alia argumento, ex jure civili *à fera* ducto, usus: *Qvam, facto in proprio fundo initio, in alienum persequi, jus est; & tamdiu, qvi persequitur, in capiendo habetur potior, qvamdiu persequi non desinit.*

Ad hoc postulatum Lubecensis Senatus respondit. *Prætoriam hanc, qviq; ea vecti, nautas & classiarios, diversis civium suorum navibus ac bonis, Wismariam deductis, violentas atq; rapaces injecisse manus: Qvò igitur de damno civibus suis satisfieret, nec libera commercia per eam navim turbarentur imposterum, officii, qvod ipsis incumberet, ratione mandasse; ut, in portum subducta, asservaretur.*

Licet autem Regii, qvia ad postulatum directò minimè responsum erat, declarationem certam, rotundo ore, seu assentiendo, seu negando, aut certè, donec, re ad Regem delatâ, de ejus mente constaret, navim neutiqvam demissum, sed cum omni nautico & militari instrumento detentum iri, cautionem flagitarent; in casum ulterioris moræ, seu tergiversationis, de damnis & impensis, tam subortis inde, qvàm suborituris, solenniter protestati: A Lubecensibus tamen aliud, præter qvod diximus, impetrari non poterat.

Rex ad Lubecenses, delectus suos impedire auditos, scribit. Hoc eodem ferè tempore, militiæ Ductores, qvi pro Rege hinc inde agebant delectus, *à Lubecensi Civitate, variis remoris injectis, impediri, nec modo non tractari pro amicis, sed tectis penè arceri, adeòq; non secus ac facinorosis, aqvâ velut & igni interdici*, ad Regem qveribundi detulerant. Qvibus qverimoniis permotus, Lubecenses, datis ad eos literis, admonuit: *Abstinerent acerbis hujusmodi, alienisq; ab omni humanitate, actionibus, & erga Regi addictos ita se gererent; prout cives suos in Svecia hucusve tractatos meminissent, & imposterum qvoq; tractari averent.*

Cui excusando respondent. Ad hæc Lubecenses culpam, cujus arguebantur, declinantes, excusatione uti. Scilicet, *non nisi pristinas urbicas leges renovasse: Tam illis, qvi nullum agnoscerent Dominum, qvàm, qvi stipendiorum, nescio qvorum, obtentu in Urbe delitescentes, periculosis & noxiis excursibus operam darent, nec parùm insuper suspecti reperirentur, nullo facto discrimine, Urbe excedere jussis. Qvin ipsos qvoque militum Ductores causæ esse; cur edictum hoc contra eos publicatum fuerit. Nam minùs civiliter & amicè se gessisse; digladiatos invicē ad Urbis provocasse tribunal; cives, eorumq; liberos, vi, intra Urbis pomœria, ut militiæ nomina darent, compellere annisos; tandem, ubi per septimanas aut menses aliqvammultos in diversoriis pollucibiliter vixerant, nullo exsoluto symbolo, parâsse discessum.*

Oldenburgicus Comes, Neutralitatis satagit. 25. Sub id qvoq; tempus, Comes Oldenburgicus, qvanqvàm, proximo pariete nondum belli hujus flammâ correpto, res ejus parum adhuc agi videretur, pro se ac Agnatis Neutralitatem ambire cœpit: Misso

 Johan-

Johanne Sigismundo à Fräncking, Tribuno, belli incommodis à Rege eximi petens.

Rege certis legibus assentiente.

Cui Rex seqvens responsum dedit. *Inter omnia belli sedandi remedia nullum, suo judicio, reperiri, morbo, cui adhiberetur, minùs aptum; qvàm expetitam à Comitibus Neutralitatem. Nec enim liqvere, qvo pacto à Cæsare, tanqvam ejus vasalli, tantum abest, ut impetrare qveant, ut ne qvidem flagitare ausint Comites: Nec reliqvos Imperii Ordines partem bellici oneris, qvam Comitatus Oldenburgicus ferre obligetur, salvo tamen Neutralitatis jure, ea impetrata, imposterùm ferre haud possit, in se exonerari, æqvo animo passuros: Qvin nec pontificios fœderatos aliter, ac pro Superioris sui arbitrio Neutralitati huic moderaturos, aut alii ulli rei, qvàm commodis suis, sub ejus prætextu, velificaturos. Exempla, oculis in Romano Imperio obversantia, satis superve prodere; qvid sub hujusmodi Neutralitatum mantello hactenus qvæsitum fuerit. Hanc, nempè, unicam fuisse & præcipuam technam, qva alteri belligerantium parti manus, ne commoditatibus oblatis uteretur, constrictæ, liberæ relictæ alteri; alteri fores occasionum arripiendarum præclusæ sint, alteri reseratæ: Insigni & penè irreparabili Protestantium damno, indubiàq; ruinâ. Qvod si tamen Comites saluti & securitati suæ hac viâ meliùs, qvam secessione in partes, consultum iri confiderent, Regem non adeò repugnare, sed petitu eorum assensurum; seqventium legum temperamento. (1) Comitum diciones, Cæsaris & Pontificiorum fœderatorum, seu Ligæ milite inde abducto, locisq; ac arcibus, qvæ occuparint, in Comitum manus consignatis, imposterùm ut ne ullis militaribus hospitiis aut præsidiis, sub qvocunq; colore, seu prætextu onerarentur. (2) Comites, eorumq; diciones ac subditi, non modo Regem inter illosve, qvos aut jam haberet, aut olim habiturus esset hostes, medios, neutrive parti addictos se gererent; nec diribitoriis concessis, nec milite, pecunia, commeatu, re tormentaria præbita, clandestinis apertisve Regis hostibus ullatenùs adminiculando: Sed & omnibus, qvi de his eos interpellarent, aut vi ad illa præstanda compellere niterentur, se irent oppositum, Regis patrocinium auxiliumve implorarent, Regiq; vicissim ad tuenda Neutralitatis pacta, omnibus viribus collatus, assisterent; fidem de eo suam obstringentes, fideq; juramenti, qva Cæsari & Imperio hoc nomine obnoxii essent, exsoluti, qvin ipsimet expressis verbis eidem renunciantes. (3) Demùm à Cæsare, & pontificii fœderis complicibus sufficientia Neutralitatis acta, & de ea non turbanda cautionem impetrarent; simulq; arma induti, ad sui defensionem adeo validè accingerentur: Ut Regi satis foret prospectum; Neutralitatem ab adversaria parte illibatam servatum iri.*

Hoc responso, non negante qvidem, sed difficilioribus tamen condicionum nodis revincto, Fränckingius Tribunus, medio Decembri, ad Dominum suum remissus.

Schaumburgius Contio sufficitur.

26. Priusqvam Rex Stralesundâ Sedinum reverteretur, Torqvato Contio, Campiductori, generalis rei tormentariæ Præfectus, Hannibal Schaumburgius, à Cæsare, ut Exercitui isthic locorum præesset, suffectus, sub adventum suum, militem Cæsareum miseriis & difficultatibus non mediocribus colluctantem repererat. Castra enim, orto ex ingruente frigore nec Cæsarianis consvetâ penuriâ contagio, minuebantur indies: Nec minùs freqventibus ad Regios transfugiis nudabantur.

Copias ex parte in hyberna distribuit.

Qvare Schaumburgius, pro re nata, nihil magis, qvàm militem, cumprimis eqvitem, aliqvantulùm refocillari, necessarium ducens, circa Garcium, ultra citraq; Viadrum, in finitimam regionem per hospitia eum distribuerat.

Regis è Borussia augentur vires.

Econtrà regius miles, non lautioribus hospitiis aut delitiis innutritus, sed intensissimâ hieme sub pellibus degere, arctèq; & contentè vivere solitus, adeòq; nec laborum, nec periculorum detrectator, nil magis, qvàm rectà ad hostem duci, in votis habebat. Jamq; selectarum Legionum robur universum, qvod Rex hucusq; fuerat præstolatus, cumprimis Germanus eqves, è Borussia in Pomeraniam appulerat. Hoc autem virium incremento fretus Rex, sæpius nominata ad Viadrum loca, transitus opportunitate magni momenti habita, Gryphenhagam & Garcium, vi aggredi, pulsoq; inde

inde hoste, victoriis suis, qvarum cursus his velut claustris cohibebatur, laxiores carceres aperire decrevit.

Gryphenhaga obsessa vi capitur.

Supplicatione itaq; pro felici successu institutâ, Exercitus, decimo Calendarum Januarii, ad Dammi oppidum, trans Viadrum, contractus, & Gryphenhagam, instituto postridiè illuc itinere, primum tentare, decretum: Hostem enim, suis hic laborantibus succurrere conantem, è munitionibus castrorum in apertum campum protractum iri, spes erat. Verùm, nemine comparente, suggestus nocte, natalitia Christi præcedente, tumultuario opere, sine mora erecti; tormenta, qvæ, delecto sclopetariorum agmine comitante, pontonibus, adverso Viadri flumine, subvecta fuerant, in illis disposita; & summo manè circa qvintam matutinam, verberatio tanto impetu instituta: Ut brevi ingens fieret ruina, oppugnatores mox admissura.

Præerat enim hîc rerum summæ Ferdinandus de Capua, natione Neapolitanus, Ordinis, qvi Divo Jacobo Complutensi sacer, eqves: Sed statim ab initio sibi diffisus, & de conservatione oppidi, qvanqvam bis mille qvingentis sclopetariis id defenderet, jam tum desperans, militaria signa pridiè Garcium, in suorum castra, transmiserat. Unde ipsi qvoq; milites animis lapsi, & ad resistendum segniores, visâ, qvâ Regii muros subibant, alacritate, signa sua Garcium, effusâ per pontem, qva Viadrum jungit, fugâ secuti, loco cum omnibus tormentis, inter qvæ tria ærea, Regi cessêre.

Licet autem horum, ut qvi maturè satis in pedes se conjecerant, ultra qvadraginta minimè trucidati, & qvasi centum capti fuerint: Præfectus tamen ipse, binis vulneribus (qvibus vitâ post concessit) saucius, cumq; eo Antonius, excubiis præpositus, unus Centurionum, & Comes qvidam Turrius, aliive non infimæ notæ Ductores in Regiorum potestatem devenêre. Qvos captivos universos Teuffelio, prætoriæ Legionis Tribuno, Rex dono dedit.

Hostis munitionem, contra Garcium trans Viadrum, deserit.

Subita isthæc & felix Gryphenhagæ expugnatio Cæsarianos ad Garcium ita perculit: Ut, paucis eqvitibus, qvi exploratum missi erant, munimento Marwitziano, è regione Garcii, ad viadri transitum ab alterâ parte protegendum, excitato, fortè appropinqvantibus, præsidiarii illicò id deserentes, Garcium dilaberentur; ponte, qvo Viadrus sternitur, igne corrupto. Ita propugnaculum istud à paucis Regiorum, iisq; eqvitibus, hosti extortum.

Mox Garcium ipsum

Nec intra eos tamen terminos panicus ille terror stans, ipsa qvoq; Cæsarianorum castra pervasit. Qvanqvàm enim, Rege cum Exercitu in ultrata Viadri ripâ adhuc versante, nullum, nisi superato flumine (qvod adeò celeriter fieri non poterat) discrimen iis immineret, Schaumburgius nihilominus Garcii qvoq; Urbe, unâ cum annona ibidem reconditâ, qvæ multa modiorum millia erat, & pulvere tormentario, Vulcano consecratâ, tribusq; eximiæ molis tormentis, triginta sex pondo globos, ut conjecturâ fuit, librantibus, cum ingenti missilium pilarum numero, qvæ in festinato hoc recessu, deficientibus jumentis, avehi non poterant, in flumen (ne hostis potiretur) submersis, aliis autem tribus pulvere oneratis plusjusto & diruptis, ingenti confusione, fugienti, qvàm recipienti se similior, Francofurtum ad Viadrum discessit. Unam, duodecim pondo pilam vomentem, bombardam, qvæ Ducis Fridlandiæ insignia præferebat, in fossam præcipitatam, Regii illæsam inde postmodùm extraxêre. Minuscula etiam, tres ferri libras propellens, machina in disjecto vi pulveris cænobio, tum globorum multigenerum haud contemnenda qvantitas, ad bis mille, in eodem cœnobio, & aliis ædibus, qvarum circiter qvadraginta qvinq; vim ignium elapsæ supererant, sparsim reperta; nec non cella qvædam fornicata, funiculis plena, sub dicti cœnobii ruderibus. Oppidum ipsum, qvod, utut incendio deformatum, Urbis tamen Sedinensis securitati, & rebus suis firmandis magnum adjicere momentum putabat Rex, ejus mandatu Leslæus, Sedino Præfectus, missâ illuc Mitschefalii Legione, illicò occupatum, ac, reparatis antiqvis, novisq; institutis munitionibus, instauratum iit.

Cæsa-

In receptu ex hibernis malè mulctantur.

Cæsariani autem, qvi Piritzæ, & in novæ Marchiæ oppidis hiemabant, hoc rerum statu, nullâ interpositâ morâ Landsbergam pleriq; se recipiebât; sed, Regiis acriter tergo eorum insistentibus, non sine discrimine & militum jacturâ: Impedimentis certè, cum raptim & nullo ordine fugerent, maximam partem exuti. Piritzæ, (pleriq; autem Croatæ erant) stabulantes, ut periculo proximi, à Baudisio pessimè mulctati fuère, & via, qvæ inde Regiomontium ducit, cæsorum cadaveribus passim strata: Baudisius cum suis trecentos currus, spoliis opimos, navatæ Regi fideliter operæ præmium tulit. Sp rriana Legio, Custrinum deflectens, transitu illac impetrato, sine noxia evasit.

Is autem Regi, victoriam eâdem viâ proseqvi tentanti, hoc qvidem tempore denegatus: Alias uno actu, anteqvàm hostis vires & animos recolligisset, ad Francofurtum debellari forsan potuerat.

Supplicationes ob prosperos Regis successus Sedini habitæ.

Hos propter felicissimos Regis successus, Sedini, in omnibus templis, DEO Opt: Max: grates solenniter actæ, & exeunti Anno, firmâ prosperorum, in futurum, eventuum spe conceptâ, cum gratulatione ac jubilo finis impositus.

Electorũ cõventus Ratisbonæ actus.

27. Rege Svecorum victricia arma hunc in modum adversùs Cæsarem, in Pomerania, longè lateq; circumferente, Electorum, qvi cum Cæsare, jam mense Junio, Ratisbonæ coierant, conventus ad finem decurrit. De qvo ut paucula, qvæ Svecicum bellum concernunt, inferamus, necessum est.

Propositionis cæsareæ, qvà Regem concernit summa.

Tempori satis, & priusqvàm Regis Seciæ in Germaniam appulsus innotesceret, illic, à Cæsare Electoribus propositum, in deliberationem venerat: *Siqvidem Germaniam invadere Rex animum induceret, qvomodò, & qvibus mediis eidem obviam eundum, ac resistendum foret?*

Increbescente verò rumore de Regis adventu, & subitis pariter, felicibusq; progressibus, Cæsar hunc articulum impensius urgendi occasionem nactus est: Qvò mora & securitas, qvibus initio peccatum videbatur, mox validâ armorum vi, & totius Imperii robore emendaretur.

Electorũ adversùs Regem decretum.

Nec Electores à Cæsaris intentione alieni, nec in decernendo adversùs Regem Seciæ bello segnes: Unde decretum illorum consensione factum. *Ad cæsarei Exercitus sustentationem Ordines Imperii per certos, à Cæsare ad id destinatos, Commissarios, qvi ad singulos Circulos mitterentur, de universali tributo imploratum, &, huic fini, circulares conventus in universo Imperio institutum iri: Donec autem tributum illud, Ordinum suffragiis, sciceretur, necessum esse; ut, qvi hactenùs belli onera sustinuerant, eadem ferre eousque ne detrectarent.*

Cæsaris mandata inhibitoria & avocatoria.

Insuper acerrima avocatoria & inhibitoria (qvæ vocant) mandata, ad omnes Ordines & incolas Romani Imperii, tum ipsos militum Ductores, militesve, tam eqvites, qvàm pedites, annuente Electorum Collegio, promulgata. Et illis qvidem injunctum: *Ne Regiis ulla diribitoria, delectus, transitum, aut qvicqvam, qvod qvoqvo modo promoveret eorum conatus, concederent, neve armis, commeatu, aut aliis belli apparatibus opitularentur; qvin potiùs Ductores, delectibus intentos, custodiæ manciparent, militibus, si qvi alicubi coire velle viderentur, aut retentis, aut dissipatis.* His verò, *Regis stipendio renunciare, militem, qvem collegerant, dimittere, omni hostilitate abstinere, &, armis positis, in diversa, qvò cuiq; libitum, abire mandatum.* Nec intra Imperii terminos Cæsaris auctoritas stetit, sed *ad alios etiam, qvi nec ipsi, nec Imperio subjecti, aut Sacramento obstricti erant,* sese extendere visa: *Qvibus, nisi Edicto parerent, mortem & dira qvæqve severè interminabatur.*

Avocatoria autem isthæc per totum Imperium, hinc inde, maximè in superioris ac inferioris Saxoniæ Circulum (qvi Regis militiæ proximi) ad supremos qvosq; circulorum Duces missa fuère, & simul postulatum: *Darent operam, qvò, publicè affixa, in omnium venirent notitiam, & ubivis mos illis gereretur.*

Cæsar Electoribꝰ qvædam gratificatur.

Favorem autem & auxilia Electorum, tum aliorum qvoq; Principum ac ordinum Imperii, maximè

Pon-

Pontificiorum, ut adversùs Regem Sveciæ sibi demereretur Cæsar, in aliqvammultis articulis, ubi se gravatos conqverebantur, liberaliter iis indulsit & gratificatus est.

Ducem enim Fridlandiæ, qvem summum belli Imperatorem creaverat, qvod Ordines Imperii ægrè id ferre videret, in eorum gratiam exauctoratum iit. Qvia verò, qvi Cæsari à secretioribus consiliis erant, haud consultum (maximè Hispaniarum Rege, cujus non parum interesse nôrant, inscio) rebantur; amplissimum hoc militiæ cæsareæ dirigendæ munus demandare (qvò Electorū vota collimabant) Bavariæ Duci: Utpote inter potentissimos Germaniæ Principum, cujus appetitui atq; libidini, si aliovorsùm se flecteret, refrenandæ vix qvisqvam, maximè ubi ipsius Cæsaris armis fulciretur, par esset futurus; & qvi ex suspecta infestaq; Austriacis Familiâ oriundus, occultam in pectore æmulationis ac diffidentiæ flammam, velut sub cinere sepultam, foveret, datâ occasione, in perniciosum forsan incendium aliqvandò erupturam. Ideò mediam viam eorum impulsu ingressus Cæsar, Johannem Tscherclaum, Comitem Tillium, generalis Legati nomine, qvo jam antè pontificii fœderis seu Ligæ Exercitui moderabatur, suis qvoq; copiis præesse jussit.

Electoribus ad hæc magnificè pollicitus: Militiam, qvantum temporis ratio ferret, reformaturùm, & ad certas Legiones, cohortesve, qvot persèqvendo bello forent necessariæ, reducturum; nullum imposterùm, nisi Electorum consilio bellum excitaturum, gesturumve; enormem militum licentiam, & prorumpentia inde flagitia, restitutâ militari disciplinâ, certoq; modo stipendiis præfinito, emendaturum; deniq;, qvicqvid Ordinibus Imperii ab onere belli relevandis faceret, omni curaturum diligentiâ.

Cum Galliæ Rege paciscitur

Ut qvoq; Italicis turbis, qvo distinebatur, se extricaret Cæsar, cum Legato Gallico de componendis, ob Mantuanam successionem exortis, dissidiis certo pacto convenit. Et qvanqvam Gallus primo conventionis articulo, *qvi facultatem, auxilio, pecuniâ, consilio, ope, aut commeatu subveniendi Cæsaris hostibus, illi præcludebat*, assensum præbere abnueret: Cæsar tamen, dum, bello Italico sopito, copias inde, modò adversus Sveciæ Regem deducere posset, in eo qvoq; connixit.

Nec magnæ Britanniæ Regi, in Palatini causâ, penitùs repulsam dat.

In Palatini causa *gratiæ* (ut appellare libuit) *fores penitùs occludere*, Cæsari ab initio decretissimum erat. Ne magnæ tamen Britanniæ Rex nimiùm offenderetur, & simplici ejusmodi repulsâ, Sveciæ Regi arctiùs se jungere, compelleretur, mitiùs aliqvantò responsum. *Ubi*, nimirùm, *Palatinus condicionibus, qvæ præscriptæ illi fuerant, impletis, Cæsari gessisset morem, revocato proscriptionis diplomate, in gratiam denuò à Cæsare receptum, & ex provinciarum, qvas Hispaniarum Infans occupatas detinebat, reditibus principalia alimenta ei præbitum iri.*

Ne autem, qvod ad reducendam Pacem, & evitanda bellorum mala conferret, omissum qvicqvam videretur, Regem Sveciæ de armis deponendis scripto compellare, Cæsari & Electoribus placitum fuit.

Cæsaris ad Regē, de armis deponendis, literæ.

Et Cæsar qvidem in literis suis de Rege conqverebatur: *Romanum Imperium, in Germaniam trajiciendo, hostiliter invasisse; ab ipso nullatenus læsum, nec ulla diffidentiæ, contentionis, nedum hostilitatis & armorum inferendorum præbitâ ansâ. Controversiam enim cum Stralesundensibus in Imperii territorio ortam, ejusdem jura ac Regalia concernere: In qva Rex Cæsari non licentiùs modum præscribere debeat, qvam ipse, in rebus Sveciæ ordinandis, ab alienigena sibi præscribi velit. Maximè qvia hæc, & succrescentia inde dissidia, Regis Daniæ interventu, absqve armis facilè componi potuissent: Modò Rex, non secùs ac Cæsar, Legatos suos Gedanum misisset, sufficientibus mandatis instructos. Utut autem hæc se haberent, certè decuisse Regem, non nisi prævià bellorum denunciatione, hostiliter adoriri Imperium. Cæsarem de eo Regem jubere securum esse; Qvod bellici sui terrâ, mariq; apparatus nunqvam eo collimarint, ut aliqvod inde Regi metuendum fuerit discrimen: Qvinimò ad amicitiam cum Rege, Regnoq; Sveciæ inviolatè colendam, & fuisse hactenùs, & imposterùm, nisi seciùs Rex vellet, fore paratum.* Admonebat

bat itaq; Regem Cæsar & adhortabatur: *Ne rebus Imperii ampliùs se immisceret, neve Imperium armis lacesseret, sed, milite Germaniæ finibus educto, loca, quæ occuparat, restitueret, & commerciorum cursum navibus suis ne sufflaminaret, nec ipsi, aut Imperio in juribus maritimis præjudicii qvicqvam inferre conaretur. Sin minus: Igitur totius Imperii viribus subnixo, non occupatorum modò locorum restitutionem, sed & suam Imperiive dignitatem, Ordinumq; Imperii oppressorum liberationem ac conservationem cordi futuras.*

Electorum ad Regem literæ.

Hactenus Cæsar: Electores autem & ipsi, qvod hucusq; distulerant, Regis literas, mense Aprili scriptas, nunc demùm, mense Augusto currente, responso dignati sunt. Et sanè in exteriori inscriptione, qvo nomine Rex aurem illis vellerat, nihil tunc apparere vitii: Intus vero, in ipso literarum vestibulo, nomina & tituli Electorum præfixa conspici; contra morem, inferioribus dignatione superiores scripto compellantibus svetum. Autumabant autem Electores: *Nullam subesse causam, cur hostile qvid Rex in Imperium moliretur. Stralesundensibus certè, si animo magis factisq; qvàm verbis, in Imperatorem, supremum Dominum, se exhibuissent proclives, expeditiorem futuram ad Clementiam Cæsaris viam, & contra militares injurias promtiùs remedium: Nec opus fuisse, in præjudicium Romani Imperii, aut externa ab illis asciscì, aut ab externo iis subministrari præsidia. A pacis osoribus qvod Rex læsus & indignitates illi illatæ fuerint, minimè probare Electores; si qvid etiam in titulo literarum suarum desideretur, id non animi alienatione, aut minuendi honoris studio, sed more & usu, ergà alios etiam Reges consveto, factum: Quæ verò in Saxoniam inferiorem, & postmodùm ad maris baltici oras promota sint Cæsaris arma, & militares, inde secuti, apparatus, his, nullatenùs credere, qvod Cæsar Svecicæ Coronæ & Regis statum offendere decreverit; non antè provocatus. Causam Ducum Megapolensium, qvos Rex, ut vicinos & consangvineos doleat avito patrimonio exutos, cum principatus & feuda, ab Imperio dependentia, concernat, in Cæsaris, tanqvam directi Domini, arbitrium tantò æquiùs collaturum: Quantò & ad Clementiam is proclivior, & ad justitiam cuilibet petenti administrandam promtior; qvanto magis etiam, Cæsari eandem commendare, & antea per literas, & nunc coram, curæ Electoribus fuerit. Poloniæ Regi in Borussiam missa à Cæsare auxilia qvod attinet, putare Electores: Cæsarem peculiares habuisse causas; cur amici & consangvinei Regis partes non planè judicaverit deserendum. Interim, induciis jam utrinq; stabilitis, si vel ex hoc capite, vel aliis de causis, Rex aliqvid offensæ concepisset, id omne, ipsorum opinione, ejusmodi esse; ut non propterea novis bellorum motibus Imperium fuerit turbandum: Maximè, qvia alia rerum componendarum pacifica media, cum utriusq; partis satisfactione, non erant defutura. Hinc amanter hortari Regem: Ut ne ullius se consilio pateretur induci, ad arma in Imperium movenda aut juvandas illorum partes, qui debitam Cæsari obedientiam hactenus negassent; qvin potiùs, quæ jam in Imperium movisse arma intelligeretur, quamprimùm inde iterùm educeret.*

28. Et ita qvidem Electores, Principes, Ordines Romani Imperii, pontificiæ Religionis, qvibus, ut fortiori & potentiori factioni, reliqvi palam contradicere haud ausi, cum Cæsare adversùs Regem Sveciæ unanimiter conspirabant. Inter Protestantes verò flamma qvædã enata, indies magis, magisq; clàm gliscebat: Ut facilè appareret altiùs penetranti, & arcanorum consiliorum gnaro, Svecici belli occasione majores vires nactam, in luculentum brevi incendium erupturam.

Protestantes clandestina consilia Ratisbonæ cõferunt.

Cæsar enim, nec prece, nec monitis induci poterat: Qvin Edicti de ecclesiasticis bonis publicati, (qvod Protestantes oneri non ferendo subjugabat) executioni præcisè insisteret. Ad hæc in Franconia, Svevia, & ad Rheni tractum, contra eos, qvi Mansfeldensium, Badensium, Brunswicensium turbarum participes fuerant, acerrimè, & districtiore penè, ac unqvam, severitate, bonis in fiscum redactis, ab Ossa, Cæsaris destinato ad id Commissario, procedebatur.

Bel-

Belli incommodis mederi Cæsar spem qvidem fecerat, sed de effectu inter Protestantes subdubitabatur. Qvinimò universam belli, contra Sveciæ Regem decreti, molem in ipsos, qvi incendio proximi, derivatum iri, eminùs prospiciebant satis oculis.

Hinc à nonnullis Electorum, Principum, ac primorum qvorundam Imperii Ordinum, protestantium Religioni addictorum, ad Ratisbonensem conventum Legatis jam tum ejus rei fundamenta jacta, qvæ inseqventi Anno Lipsiæ consummata est: Animantibus & calcaria addentibus certis hominibus, qvi, sub alio prætextu Ratisbonam irrepentes, Regis negotium clàm apud eos agebant.

In confesso qvidem erat; nec Religionis, nec Libertatis conservandæ, tuendæve ullam, nisi in armis superare spem: Sed qvod Sveciæ Rex cum Exercitu adhuc procul abesset, Cæsar contrà rerum ubivis potiretur, & eorum conatibus summâ incubaret vigilantiâ, qvomodo copias & arma, ita ut ne Cæsar in prima segete opprimeret, comparare possent, hoc opus, hic labor futurus videbatur. Adhæc in Electorem Saxoniæ, velut principale membrum & qvasi caput, certè potentissimum Protestantium, nec non, omnium opinione, magnæ apud Cæsarem auctoritatis, singulari omnes ferebantur respectu; Nec qvicqvam, hoc refragante, reliqvos molituros, apparebat: Unde, qvibus Religionis & Libertatis cura impensior, nullam expeditiorem reperiebant viam; qvàm hunc instigare ad arma, pro eadem Religione & Libertate induenda. Saxonem enim, non verendum esse, ne Cæsar statim, novi qvid tentare animadversum, offenderet, aut armis oppugnaret, sed alia priùs omnia experturum; unde tempus & otium, copiis comparandis ac instruendis esset habiturus: Idq; eò faciliùs; qvod ejus diciones non, ut aliorum Imperii Ordinum, militarium hospitiorum compedibus à Cæsare impeditæ reperirentur. Tum vires ejus non contemnendas ac verè tales, qvæ pro solido fundamento his molitionibus substernerentur: Qvibus si finitimi Protestantes, delectibus raptim habitis, se consociarent, Cæsaris armis, accedente præsertim Regi Sveciæ auxilio, faciiè pares fore. Qvid, qvod omnes, qvi à papatu descriverant, in Saxonem animos, vrave intenta tenerent? Nec dubitandum, simul atq; is classicum caneret, militiæ huic, velut sacræ, & pro Religione ac Libertate susceptæ, certatim nomina daturos.

Licet autem protestantes Electores, Principes, Ordines, cùm junctim, tùm separatim, pro se qvisq; gravamina, injurias, & molestias, qvibus à Cæsare ejusve milite premebantur, ad Saxoniæ Electorem multoties qveribundi detulissent, imò Legatorum, qvorum suprà mentionem fecimus, nonnulli, durante Ratisbonensi conventu, ad eum proficiscerentur, ut sociorum patrocinium, arreptis armis, susciperet, variis rationum momentis, & proprii etiam discriminis, qvod diutiùs cunctabundo certo certiùs immineret, repræsentatione inducturi: Protelis tamen his ulteriùs commoveri non poterat, qvàm ut promitteret; omnia hæc Cæsari scripto ad animum revocaturum, nec qvicqvam facturum reliqvi, qvò is Protestantium gravaminibus, primo qvoq; tempore, qvàm commodissimè fieri posset, mederetur. Donec certa persona, qvæ apud dictum Electorem insigniter gratiâ tunc pollebat, iter eò adornans, in eam tandem pertraxit sententiam, ut reciperet: Universalem omnium protestantium Electorum, Principum, Ordinum conventum Lipsiam indicturum, & qvid è re christianæ simul fidei, simul Imperii foret, illìc deducturum in deliberationem. *Qvorum impulsu Saxoniæ Elector Lipsiæ cōventum indicit.*

29. Qvousq; nos isthæc qvoq; differimus: Audituri interim, qvid Rex Sveciæ, ad superiùs adductas literas, Cæsari & Electoribus dederit responsi.

Et Electoribus qvidem, qvorum literæ, Sedini, tertio Nonarum Septembris per tubicinem Electoris Brandenburgici insinuatæ, priùs ad manus venerant, prius qvoq; respondebat; in exordio literarum ad animum revocans, *qvod, præter morem consvetum,* *Regis responsum ad Electorum literas.*

L & con-

& contra stylum usitatum, nomina sua epistolæ intus præfixissent: Quasi studio id esset quæsitum, ut regiæ suæ sublimitati inde aliquod crearetur præjudicium. Quicquid vero hoc, cum prioribus in amanuenses derivandum censere: Quorum calamum publicæ tranquillitatis osores ita fuerint moderati; quò omnis inter Regem & Electores ulterior communicatio & literarum commercium tantò imposterùm redderetur difficilius. Regem enim nil, quod à dignitate ejus alienum sit, accepturum aut admissurum, vel inde satis constare, quod literas, in quarum inscriptione Cæsar ipsum Principem suum, quasi subjectus ei foret, compellarit, nulla ratione acceptare seu admittere voluerit: Quippe qui ne glebulam quidem terræ Imperatoris beneficio teneat, sed, quæcunq; possidet, DEo & ensi, justissimæq; causæ suæ, per victricia arma fortiter assertæ, unicè accepta ferat. Nolle tamen diutiùs immorari his, quæ nec quicquam derogatura sint regiæ suæ Majestati, nec Electorum dignationi adjectura quicquam. Rem ipsam quod concernat, gratum Regi; quod Electores injurias & indignitates, à communis quietis turbatoribus innoxio illatas, vix se probare, affirment: Longè autem futurum gratius, si convenientia hisce malis remedia essent adhibita, neque Electores, admissa contra ipsum elevando, quicquid hactenùs ab inimicis gestum, quodammodò excusare, & haud omninò improbare viderentur. Jam antea fusè iis exposuisse: Quæ urgentissimæ rationes impulerint, imò adegerint propè nil minus propositum habentem, ad opem Civitati Stralesundensi ferendam, &, quantum in ipso fuerit, satagendum: Ut vicinæ, & multiplici vinculo ipsi, Coronæq; suæ, à multis retrò seculis conjunctæ, Urbis saluti consulendo, periculum Regno suo, ac mari baltico pariter imminens (si pedem ibi figere tantà contra se hostilitate notatus licuisset) maturè præverteretur. Quo tamen consilio nil hostile in Imperium Romanum sit molitus; nec quicquam in ejus præjudicium fecerit. Quin potiùs persvasum sibi habuisse, gratias eo nomine ab Imperio relaturum; certè commeritum: Quod Civitatem, quæ alias, vel contra ipsam imperatoriam auctoritatem ab iniquis persecutoribus oppressa, vel Imperii tum hostibus cessura fuerat, mediam velut viam amplexus, conservarit, Imperioq; servarit salvam & incolumem. Habueritne Civitas Stralesundensis causas satis justas aut prægnantes, externum præsidium atque auxiliū contra vim, non minus injustam, quam extremam implorandi? Et utrum aliqua illi planior ac expeditior via patuerit ad clementiam Cæsaris, sive, per eam clementiam, ad aram portumve salutis? Ipsos Sundenses corā æquis quibusque rerum arbitris ostendere ac docere paratos: Facileve hoc intelligere; quisquis norit, quam parùm tunc temporis efficaciæ in ipsis cæsareis decretis fuerit; non modò ad civitatem innoxiam à præsenti, ultimove discrimine liberandam, sed vel paululùm refrigerandum, temperandumve flagrantissimum internecini odii, immaniumve irarum fervorem; quo in loci hujus perniciem atque exitium quidam, jus omne in armis ac violentia ferentes, exarserant. Quod Cæsar, non provocatus, armaturâ ac apparatibus suis, Regis diciones & Regna infestare, aut offendere minimè decreverit, in eo assensurū Electoribus; nisi tot funesta, oculis obversantia, exempla luculenter demonstrarent: Quam multi hisce temporibus, nimiæ & intempestivæ credulitatis acerbissimas dederint pœnas. Ideòq; regiâ dignitate ac munere suo judicas se indignū: In rebus tanti momenti, quæ proprii status incolumitatem, populorumve sibi à summo omnium Rectore commissorum, salutē concernerent, credulitati nimis indulgere, & aliquando, sed seriùs, dicere; non putâram. De Cæsare, etsi haud mediocribus injuriis à quibusdā ejus Ministris affectū, ab initio nil sibi mali pollicitū. Ast cum hujusmodi Pacis turbatores, minimè provocati, indignis ipsū modis lacessere, nec non injurias injuriis & indignitatibus cumulare indesinenter perrexerint, nemini mirum videri debere: Quod non inani & opinabili aliquo, sed justissimo metu impulsus, processus ejusdē plus quam suspectos habere cœperit, dignitatē suam aliis mediis tueri, jure æquissimo defensionis ac Gentium fretus, in animū induxerit, adeòque coactus fuerit, saluberrimum talibus malis præventionis remediū arripere, & solicitè providere; ne provincias suas, proximè adjacētes, vellicare assveti, validiores & transmarinas in Regni interiora tentarent impressiones. Directū dominum in feuda, ab Imperio dependentia, quin Cæsari,

Impe-

Imperiove competat, haud refragari: Jus tamen illud minimè posse solvere vinculum vicinitatis, amicitiæ, consanguinitatis, vel efficere, quò minùs amicorum, vicinorum, consanguineorum adversis affici liceat, ipsiq; ut Regi externo, eorum rationem & causam commendatam habere, maneat integrum; præsertim cùm, non tam propria culpa, quàm sinistris inimicorum machinationibus, indefensi, indictâ causa, nec, quem in convincendo ac condemnando aliquem Imperii Ordinum servare moris, juris ordine servato, in tantam se calamitatem præcipitatos conquerantur. Porro Regi facilè persvaderi, causas impulsivas & svasorias, subsidia Polonis, hostibus tùm suis, in Borussiam mittendi, haud defuisse Cæsari: An verò rationes illæ ad astruendam causæ cæsareæ justitiam, vel suas actiones improbandas qvicqvam faciant, aliis dijudicandum relinqvere. Amicitiam, qvæ Cæsari cum Poloniæ Rege intercedat, neqvaqvam necessitatem Regi imponere, ejusmodi irruptiones ac hostilitates ægre non ferendi: Nec ullo jure prohibere; quò minùs Regi fas sit, dignitatem suam, contra ejusdem turbatores, dignè tueri, illos, qvi in summum sui, suorumve præjudicium hostilia qvævis injuriâ exercuerint, justo talionis jure, debitâ vindicta persequi, & demùm hosce alibi potiùs qværere, alienisve in oris sistere, qvam domi, in Regni sui visceribus, non sine perpetua solicitudine, opperiri. Qvod jus induciæ, cum Regno Poloniæ initæ, nulla ratione tollere, aut minuere potuerint. Regem sanè per amicabilem compositionem omnis discordiæ fomitem aliqvoties tollere conatum; Qvod verò optimè cogitata ejus optato caruerint successu, non ipsi imputandum, sed illorum iniqvitati, tergiversationi ac technis; qvi omnia, ab illo proposita, media, partim indignè rejecerint, partim eluserint ac frustrarint. Qvapropter nulla prorsùs dignum admiratione; qvod, lenioribus nihil proficientibus, ad asperiora, quanqvàm invitus, descenderit. Et qvia Electores, in prioribus literis suis, nè verbo qvidem attigerint remedia, qvæ, eorum auctoritate & interpositione, justissimis qverelis suis adhiberi, haud injuria postularat; qvid aliud inde colligendum, qvam optionem, imò necessitatem ei fuisse relictam, alia via sibi, suisq; prospiciendi? Interim, de qvo sæpiùs sit protestatus, id hîc repetitum velle: Nimirùm, ab Imperio Romano, Electoribus, aliis Imperii Ordinibus ac membris, qvæ ipsum non offenderint, neqvaqvam alieno esse animo, nec, nisi provocatum, alieno animo futurum, verum hoc armis suis solummodò qværi; ut ne privata qvorundā, in turbido piscari svetorum, ambitio, ferocia ac licentia in immensum excrescat, sed retundatur, tum ut sua sibi securitas, & amicorum, vicinorumq; salus in tuto collocentur. Nec enim aut Romanum Imperium turbandi, aut debitam Imperatori, Imperiove obedientiam detrectantium partes juvandi animum ipsi esse; sed turbatores publicos coercendi, inclytave Imperii membra ab exitio conservandi, & à male-feriatorum injuriis vindicandi. Qvod verò Electores ad arma mota sistendum & abducendum hortentur, tunc demùm faciendum arbitrari; ubi certius aliqvid, cùm de injuriarum, iniqvè ipsi illatarum, satisfactione, tum propria vicinorumve securitate constiterit. Cæterùm si etiamnum, condicionibus Pacis æqvis, honestis, ac tutis in medium allatis, rem hanc ab altera parte seriò agi, animadvertat, tantum abest, ut à Pacis tractatione se alienum ostensurus sit; ut potius justam & tutam Pacem unicum atqve præcipuum armorum suorum scopum esse, ingenuè profiteatur.

Ita Rex Sveciæ ad Electores: Cæsari verò ipsi, (cujus epistola, mense Augusto scripta, Octobri demum in castris Ribnicianis reddita fuerat) qvod omnem belli culpam in Regem derivare videretur, in primo statim responsi limine, directò, nullâ circuitione usus, *causam, qvæ ad arma cum potissimùm compulerat,* exposuit. Nempè (*ut longam, molestamq; aliarum hostilitatum, ac cumulatarum injuriarum seriem missam faceret*) *Cæsaris Campiductorem, justæ magnitudinis Exercitum, infestasq; contra ipsum aqvilas in Borussiam, anno præterito, nulla præmissa belli denunciatione, duxisse: Harumve copiarum imperialium satis tunc expertum hostilem animum, ac impetum; qvem nec propria innocentia,* Regis responsum ad Cæsaris literas.

 nec

nec æquissima Senatus Regni per ablegatum suum postulata sistere, aut revocare potuerint. Non itaque perspicere; quo titulo belli causa ipsi attribui possit, vel quo justi colore seu prætextu Cæsar belli denunciationem, à semet neglectam, à Rege, bellum non inferente, sed propulsante, desideret, eóq; illum nomine violati juris Gentium accuset: Cum non minus juris Gentium esse constet; bella, quæ ad vim repellendam suscipiuntur, à Natura potiùs ipsa, quam caduceatore ullo indici. Neq; omnem tamen clarigationem (quamvis in hoc casu à sua parte minimè necessariam) emisisse, & diligenter satis cavisse; ne quis spe Pacis se deceptum, hostiliave inopinatò passum, ullo jure conqveri posset: Binis literis Imperii Electoribus, nec non per Senatus Regni Ablegatum Cæsaris Præfecto Exercituum generali significando; nisi hactenùs ab altera parte errata maturè corrigerentur, tandem, iniqvitate justissimas qverimonias suas negligentium, necessitatem sibi impositum iri, aliis mediis securitati suæ, dignitative consulendi. Volueritne Regem Cæsar hac aut alia ratione offendere; id, cum in animi ejus interiores recessus penetrare non valeat, ignorare qvidem, nec operosè inqvirere: Qvod verò sub umbra & autoritate excelsi Imperatorii nominis, & sic Cæsare, seu jubente, seu certè connivente, indignitates, injuriæ, hostiliaq; quamplurima ipsi illata sint, adeò liqvere: Ut, fusiùs hoc deducere, idem foret, ac, addere velle soli lucem. Qvid porrò de Cæsaris apparatu bellico Rex sibi polliceri debuerit, Ducum, Ministrorumve Cæsarianorum actiones, conatus, consilia, non modò ambigua atqve suspecta, sed manifesta, satis loqvi; &, hæc si sileant, Pomeraniam satis dicere: Qvæ nullo alio nomine, qvam sub belli Svecici prætextu, cum adjacentibus provinciis, à Cæsaris milite miserè hisce annis, in suam invidiam, vexata, exhausta, ac exinanita fuerit. Suppetias, Urbi Stralesundensi latas, Cæsarem tam æqvè æstimasse, optandum: Qvam Rex Ducis Holsatiæ, sub ipsis signis & aqvilis imperialibus contra se exercitam, hostilitatem, cum multis aliis injuriis, animo ad patientiam obfirmato, publicæ tranqvillitati ac bono condonarit. Qvin tamen facili negotio, qvicqvid inter ipsum & Cæsarem diffidentiæ, discordiæq; obortum fuerat, per amicam transactionem componi potuerit, vix dubitare: Verùm cum aliter Cæsari placuerit, & ejus Subdelegati Legationem Regis, Lubecam missam, contra omnium Gentium instituta, admittere recusarint, Exercitus quoqve Cæsaris, manifestum se ejus hostem declarando, nihil adversùs illum hostilitatis omiserit, neminem, æqvitatis amantem, in hac causa medium, non dicturum; Regem minimè, sed potiùs Cæsarem, aliis legitimis justisve mediis insuper habitis, ultima primo loco tentasse. Etsi igitur magis de aliis omnibus, qvam ulteriori Pacis licitatione, deinde solicitus esse potuerit; nihilominùs, qvò flagrans suum communis tranqvillitatis desiderium ac studium Orbi Christiano contestaretur universo, Pacis & togæ consilia necdum omninò voluisse deponere, sed Daniæ Regem eò perduxisse: Ut, interponendo se, viam ad amicum tractatum, inter suos & Cæsaris Commissarios Gedani instituendum, munierit. Plenis dein, atque huic tractatui seu negotio aggrediendo sufficientibus, mandatis Cancellarium suum, & reliqvos, ipsi adjunctos, instruxisse. Tandem postremò, ne motus bellici Pacis consilia ullo modo turbarent, expeditionem militarem, non sine temporis rerumve dispendio, diu differri passum. Qvod autem optimè cogitata hæc sua in cassum abierint, non sibi, aut suis, ut Cæsar faciat, asscribendum, sed Cæsaris Commissario potiùs: Qvi summo studio impedierit; qvò minùs Mediatores, Gedani subsistentes, Legatos suos inviserent, moreve consveto ac debito futuri tractatus fundamenta collocarent. Cum verò Gedani Urbs ex post-facto, ob certa simultatum, inter suos & eandem sparsa semina, his suspecta redderetur & incommoda; dictum Cæsaris Commissarium huic loco, qvasi tractatus illi strictè esset alligatus, nec alibi haberi posset, adeò præfractè institisse: Ut Pacis spem, in fraudem communis tranqvillitatis abrumpere, qvàm loco condicto decedere maluerit. Cautiones verbales de securitate, & opimas de amicitia imposterùm inviolatè custodienda, pollicitationes, ut sufficientes, admittere non amplius posse Regem. Non enim rem in integro, non periculum, sibi suisve impen-

impendens imaginarium esse, sed re ipsa, & in effectu se exseruisse sæpiùs; nec verbis, sed armis, aliisve hostilibus actionibus, terra marive se læsü: Itaqve reale hoc imminens discrimen, nec non læsiones & injurias reales illatas, reali ac sufficienti cautione, realiq; satisfactione pensanda. Interim si Cæsar, Orbis christiani navem, jamdiu decumanis bellorum fluctibus vehementer qvassatam, in optatissimum almæ Pacis portum potiùs deducendam, qvam procelloso armorum contentionüve mari diutiùs committendam existimet, eove nomine ad tractatum ulteriorem inclinet, neqvaqvam ab hoc alienum fore. Sed qvamprimùm Principibus ac Rebuspublicis Germaniæ, pars consangvineis, pars amicis & vicinis suis, in pristinum statū, qvalis fuerat, anteqvā bellum Germanicū gliscere inciperet, repositis, insvetisve classium ac armorū ad maris baltici oras præparationibus cessantibus, (ita ut ipse qvoque justâ status sui securitate frui possit imposterùm) injuriarum illatarum, nec non impendiorum, quæ facere coactus fuerat, condigna haberetur ratio, re ipsa & factis ostensurum; nihil sibi antiqvius, qvam cum Cæsare non minùs, ac reliqvis vicinis, amicitiam illibatam conservare, mutuâve confidentia redintegrata, ac omni alio certamine seposito, cum eodem sola certare benevolentia, nec non qvibusvis aliis officiorum generibus. Et ut, toto hoc tempore, qvo bellorum incendiis flagraverat Germània, proprii Regni curâ contentus, negotiis Germanicis se haud implicarit; donec aliorum iniqvitas rem eò, ut aliena ad se qvoque pertinerent, perduceret: Ita nunc haud secus animatum, neqve, res Germaniceas suas faciendo, Cæsari ullatenùs molestum fore. Utcunqve verò res caderet, seu bellum, seu Pacem DEUS sibi destinasset, sanctè protestari, qvod nullam contra Imperium Romanum (qvorsū Cæsar rem torqvere & trahere videatur) in animo foveat hostilitatem; nec in ejus præjudicium tentaturum qvicqvam: Qvin potius amicitiam sartam, tectam cum eodem conservaturum; qvamdiu omni adversus se hostilitatis genere id abstineret, neqve, hostibus se associando, vel favendo, justam, vel invito, extorqveret talionem.

30. Jam ut sub Anni exitum Magdeburgenses turbas, qvas suprà attigimus, in manus resumamus, Fortuna respiciens primis Administratoris, Christiani Gulielmi, conatibus haud leviter aspirare videbatur: Confluente ad eum ex popularibus, hinc inde, copioso milite. Rara in diœcesi Magdeburgensi, sub hoc tempus, hostium præsidia: Nec erant, qvi delectibus ejus, his & conterminis oris, intercederent. Unde Administratori, nisi nummariis subsidiis fuisset defectus, ab initio in proclivi fuerat, magnâ celeritate aliqvot millium conflare Exercitum, Cæsarianis, qvi primò modicis copiis progressus ejus impeditum venêre, submovendis vel profligandis parem; intervertere hoc modo eorum consilia; totius belli statum mutare; qvicqvid commeatus ac annonæ in circumjectis locis reperiretur, inferre in Urbem; & ibidem, insigni cum Regis, omniumq; Protestantium commodo, novam figere belli sedem. Magdeburgensia

Sed Magdeburgensium res præcipuo nervo in ipso statim limine destitui reperta. Administrator enim spe magis bonâ, qvàm ære onustus, itineri se dederat. Magdeburgi autem cives, qvàm cupidè Administratorem receperant, tam citò ab incepto opere manum retraxêre: Non modò ullis monitis, aut hortatibus, aut cautione etiam de refundendo oblatâ, non induci se passi, ut ad maturandos delectus, notabilem pecuniæ summam mutuo darent; sed collectum militem ne tecto qvidem aut hospitio recipere, & fovere dignati. Hinc miles non, qvâ opus erat, & fieri poterat, copiâ concurrebat: Hoste interim ad cingendam usqveqvaqve præsidiis suis arctiùs Urbem, sat spatii temporisve adepto. Licet autem Sveciæ Rex, cognito, à pecunia maximè hic laborari, transcriptis per Cambium aliqvot Joachimicorum millibus, hunc defectum supplere haud intermiserit: Tantâ tamen festinatione id fieri non poterat; qvin prima & potissima militem cogendi occasio, manibus elapsa, occipitium prensantibus mox ostenderet. Defectus & errores qvi Magdeburgi acciderūt.

Præ-

Præterea Rex Administratorem monuerat: *Magdeburgo, tanquam belli arce ac basi totius expeditionis, ante omnia summâ cura prospiceret, nec plura, quam tueri posset, armis amplexus, viribus dissitactis, earum opprimendarum hosti præberet occasionem.* Qvo salutaria hæc Regis monita insuper habente, & delectus suos per diribitoria, in diœceseos oppidis hinc inde instituta, distribuente, accidit: A Cæsarianis, qvi nascenti malo, anteqvam, altioribus radicibus actis, invalesceret, obviâ ituri, copias è vicinia contraxerant, magnâ noviter conscriptorum militum partem, inter alia cumprimis Calbæ ultrà septingentos, opprimi.

Accedere his jactura haud modica, qvam Bockii, jam Tribuni, culpâ Administrator patiebatur. Huic enim, cum copiis suis Magdeburgum properè se conferre, mandaverat: Et paruit qvoq; ex parte, militeq;, ad bis mille eqvitum peditumve, assumto, itineri se dedit; sed mutato proposito, seu spe prædæ, seu aliis de causis, Halam Saxonum, duas machinas, qvas ex arce Mansfeldensi deduxerat, secum trahens, deflexit. Ubi portâ, ultimo Iduum Octobris, vi effractâ, in obvios qvosq; hostium, aut ferro, aut captivitate grassabatur: Diu tamen hoc successu haudqvaqvam lætus. Cæsariani qvippè eò festinantes, in ipsa Urbe ab omnibus rebus imparatum circumsidere parabant: Qvorum adventum non exspectandum ratus Bockius, raptim inde retrocessit. Et peditatus qvidem, inseqventibus Cæsarianis dissipatus, ac in Episcopatum Mersburgensem, reliqvasq; Electoris Saxoniæ provincias dispersus: Eqvites verò, dispari à peditibus (scilicet, qvæ Qverfurtum ducit) viâ, sed pari fortunâ usi, & ipsi, cædente terga hoste, hinc inde dilapsi. Eodem terrore perculsus, qvi in arce Mansfeldensi, & Qverfurti Urbe præsidio erat miles, utroq; loco, & opimâ simul, qvæ inerat, prædâ Cæsarianis cessit.

Ita omni penè provinciâ, & locis, qvæ occupârat, levi iterùm negotio ab adversa parte Administrator ejectus, Magdeburgensis Urbis mœnibus arctiùs deinde includi cœpit.

Difficultatū plenus & perplexabilis Magdeburgi status.

Magdeburgi autem majoribus, qvàm Rex sibi persvaserat, difficultatibus res tunc temporis implicata reperiri. Civitas imaginata sibi fuerat; Regem, sine mora, seposito omni alio respectu, rectâ cum Exercitu venturum, & universos ac singulos, in pristinum statum, pristinam tranqvillitatem repositurum: Hac spe lapsi, qvod ratio belli id neutiqvam admitteret, de priori animorum alacritate multum remiserant. Civitatis autem & civium impressiones, cum eximere illis debuisset, augere potiùs Administrator: De subsidiorum regiorum mora palàm conqverens. Idem laxiore uti disciplinâ inter milites; nec in amore, nec in veneratione esse apud cives: Adeoq; talem se gerere, ut præsentiâ ejus publicæ rei parum accederet momenti. Commeatus, sub adventum illius in Magdeburgensis diœceseos agro & oppidis repertus, non, ex Regis sententia, & primo ipsiusmet consilio, Magdeburgum congestus, sed sparsim, hinc inde, relictus, in hostium potestatem, oppidis & agro sub jugum redeuntibus, & ipse redierat. Unde Falckenbergius postmodùm non mediocri annonæ difficultate conflictari: Qvippe cum Civitas ipsi & Regiis nil qvicqvam alimentorum, nisi numeratâ præsenti pecuniâ, præberet. Deficiente qvoq; tormentario pulvere, & funiculis, Magistratus Urbis non Joachimicum, iis comparandis, conferre; Administratori angustissima, & ne qvidem ad teruncium, mutuo vel fœnori sumendum, fides esse; in Falckenbergium, Regis nomine, omnis impensa derivari.

Regimen Urbis penes Magistratum esse, & delectos qvinqvaginta cives; in duas classes, qvarum singulæ viginti qvinq; capitum, distributos: Hinc seqvi tribus, & diversæ, in qvas Urbs distinctæ, regiones. (qvadrantes vulgò vocant) Ecclesiasticus ordo & ipse velut certum ac peculiare qvoddam corpus constituere: Sed qvod, ob controversias nonnullas, cum Magistratu non adeò concors esset, subtrahere se in multis præsenti necessitati; non sine publicæ rei detrimento. Magistratus sanè favere Regi & Regiis; ut & prior civium classis: Altera verò penitùs adversari, & ef-

& efficere, ut prior qvoq; in pluribus, maximè qvoad diribitoria militum, Magistratum destitueret. Eapropter, cum plurium suffragiis in omnibus deliberationibus esset standum, à Magistratu solo nil decerni posse. Et is qvidem ad ecclesiasticum Ordinem confugere; ejusdem opem, decisionemve, ad diribitoria, qvæ diximus, pro Regiis obtinenda, implorans: Sed hic Magistratui accedere tergiversari, anteqvàm lapsam priùs auctoritatem per omnia recuperaret. Hac ratione istud, & alia qvamplurima salutaria consilia in suspenso manere: Ita ut vix dum adhuc, mense Januario Anni proximè seqventis, sexcentos eorum in Urbem per hospitia distribui, impetrare posset Falckenbergius.

NeoAlvenslebæ strenua occupatio,

Mense Decembri ad mille pedites, eqvitesve, Tribuni Sneidwinii ductu, Magdeburgo NeoAlvenslebam, locum satis munitum, emissi, postero mane circa tertiam matutinam vi illâ potiebantur. Trucidatum, qvicqvid Cæsarianorum occurrebat; præda parta satis opima; repertum itidem rei tormentariæ non parum, & annonæ, in frumento partim, partim in farina, cori ad octingentos.

Et secuta turpis deditio.

Cæsariani verò, simul ac de suorum clade ipsis compertum, ex vicinis præsidiis illicò congregati, locum iterùm obsessum ivêre: Octo adductis machinis, violentâq; verberatione institutâ. Et initio sanè Magdeburgenses, per aliqvot dierum spatium, furori hostium fortiter resistere: Mox tamen, illis sine intermissione obsidium urgentibus, animis lapsi, de deditione agere; incolumitatem demum, sed miseris & penè pudendis legibus, pacti. Nam, *Cæsariani vitam iis, velut munus qvoddam, concessêre: Ita tamen, ut sacramento se obstringerent, qvamdiu suppeteret, contra Cæsarem non militaturos. Illo præstito, qvo qvisque vellet, abirent, nec aut spoliarentur, aut ullo modo detinerentur: Arma tamen & eqvos, cùm Duces, tum milites, in cæsareæ militiæ & tormentorum subvehendorum usum, pulverem qvoque nitratũ, & cætera belli instrumenta, in Urbe relinqverent.* Ultra hæc Pappenhemius, summus Cæsarianorum Dux promittebat: *Militum Ductoribus ex spontanea indulgentia id ampliùs adhuc gratificaturum; ut, qvicqvid impedimentorum in Urbem secum intulisse probarentur, sine fraude iterùm efferrent. His autem, qvi Magdeburgum, rerum suarum disponendarum, aut indè transferendarum, ire cuperent, commeatum qvoque concessit, & trium dierum ibidem commorandi moram: Ultra qvos si qvis illic subsisteret, aut militiæ adversæ nomen iterùm daret, pro perjuro habitum, proclamatum, &, ubicunqve copia fieret, plexum iri.*

Regis, de Magdeburgo liberando, consilium non unũ.

Regem Administrator & Magdeburgi Civitas, de subsidiis ocyùs sibi ferendis, multipliciter, singulari instantiâ, antehac interpellaverant. Nec abnuerat sanè Rex; veruntamen, accurato judicii examine rem secũ pensitans, compererat; Omni alio respectu posthabito, Magdeburgo liberando rectà approperare, ingentis momenti, & præruptæ penè audaciæ fore: Gnarus, omnem belli suscepti statum inconsideranti hac præcipitantiâ ancipiti discrimini iri expositum, &, si consilium secùs cederet, præsentissimum ac inevitabile exitium certo certiùs ipsam qvoq; manere civitatem. Iter enim longum, illuc tendenti, conficiendum: Transitus, & claustra fluminum interjecta in aliorũ pleraq; potestate: Successum consiliorum ambiguum: Receptum in omnem eventum periculosissimæ plenum aleæ. Itaq;, priusqvã miles è Borussia adventaret, eqvitatu non adeò firmus, viam hanc rectà liberandæ Urbis ingredi haud ausus, per ambages divertere inde hostes, & laborantem, viribus eorũ ex parte retractis, relevare, in animũ induxerat. Hinc illa in Megapolim magnã qvoq; partẽ suscepta expeditio; Ubi junctis, qvi circa hoc tempus Ratzeburgi habebantur, delectibus, ad Albim firmare pedẽ Rex parabat; Magdeburgo magis, magisq; successu tẽporis appropinqvaturus, &, datâ occasione, eò perrupturus.

Sed conatu hoc ad irritum recidente, priora Magdeburgũ rectà eundi consilia resumta. Verum enimverò, ne qvidem post eqvitatus Borussiaci adventũ, qvanqvàm, eqvestribus copiis Rex jam validior, longinqvæ ejusmodi expeditioni suscipiendæ par esset, res suis reperiebatur carere difficultatib.

Eqvi-

Eqvitatus enim hic, longi itineris lassitudine jam antè confectus, intermissâ qviete reficiendus, qvàm continuatis laboribus planissimè exhauriendus; tormenta qvoq;, res tormentaria, & pedites, incommodâ autumni, in hiemem jamjam ruentis, tempestate, per lutosas viarum voragines qvàm ægerrimè procesſuri videbantur. Ad hæc ad Garcium hostis justo Exercitu Regis velut incubabat cervicibus: A tergo, Magdeburgum eunti relinqvendus. His tamen non obstantibus, qvia, Magdeburgum haudqvaqvàm deserere, animo ejus sederat, aleam hanc tentare decrevit; datisq; ad Administratorem literis, omnem rerum statum accuratâ curâ ab eodem exqvisitum ivit: Imprimis, qvot militum haberet in armis, & qvot obviam ipsi procedere posset? Qvid porrò cum Exercitu qvindecim millium adveniens Rex, de commeatu sibi polliceri haberet? De his edoceri, necessarium omninò ratus; nec tam de expeditione suscipienda, qvàm peragendâ & feliciter ad exitum perducendâ, solicitus.

Jamq;, ad iter ingrediendum, in planitie, qvæ Paswalco adjacet, regius omnis convenire jussus fuerat Exercitus, qvandò literæ Magdeburgo supervenêre: Meliusculè, ac primâ fronte visæ erant, jam se res illîc habere, nec ad extrema adhucdũ deventum, nunciantes. Qvod itaq; indubia spes majorum successuum & emolumenti in Pomerania cominùs affulgeret, mutato consilio, Viadro compedibus Cæsarianorum solvendo nervos, qvâ paulò ante enarravimus, felicitate intendit.

Magdeburgenses autem, ne turbarentur, certo homine illuc misso, mutati consilii rationem edocebat, ad constantiam servandam adhortatus: *Ne, aut aperta vi, quæ nondum tanta, ut ab hac interim qvicqvam magnoperè ipsis metuendum, aut dolis & magnificis promissis, quorum lubricam & sublestam fidem satis superq; essent experti, dimoverentur à generoso, quod semel animo conceperant, proposito. Ipsum quidem in pristina, qvam institerit, sententia, irretorto perstare vestigio, omnibusq; viribus in tempore illis affore; & tam ad vertendas clandestinas insidias, qvàm apertam vim depellendam, provida atq; fideli cura pro iis excubiturum, nec qvicqvam, qvod Civitati conservandæ esset, reliqvi facturum.* Hortatrices Regis ad Magdeburgẽses, de constantia servanda, literæ.

BELLI SVECO-GERMANICI VOLUMEN PRIMUM.

LIBER TERTIUS.

Summa Libri.

1. *TErtius Historiæ nostræ Liber ab Electoris Brandenburgici, & Regis legatione mutua, nec non utriusq; ad utramq; barum responso initium capit. Svartzburgensis Comitis ad bostem literæ, à Regiis interceptæ, Electori transmittuntur.* (2) *Belli sub ineuntis Anni auspicia status: Et strenuum regii Signiferi facinus. Lökenitza Regiis expugnatur: Landsberga eminùs incingitur. Regis ad novæ Marchiæ incolas mandatum. Tractatus cum Regis Galliæ Legato resumtus, fœdereq; inito absolutus.* (3) *Rex Megapolim ac cite-*

citeriorem Pomeraniam versùs movens, NeoBrandenburgo, aliisve locis, interq; ea, Loitzio qvoq;, occupatis, Demminum aggreditur. Ducis Savelli insolens his oris executionis militaris genus. Demmini, Arcis, urbisve, oppugnatio; &, brevi secuta, deditio. Malchinum stratagemate ab exigua Regiorum manu in potestatem redigitur. Bannerius Gryphiswaldiam per literas tentat: Perusio abnuente, & tolerandæ obsidioni se præparante. (4) Colberga Regiis deditur. Leges à Rege militi, in Pomerania hospitanti, præscriptæ. Oldenburgensis denuò, socio assumto Orientalis Frisiæ Comite, neutralitatis satagit: Rege, non sine causa, assentiri detrectante. (5) Tillius, de statu cæsariani exercitus à Schaumburgio certior factus, Francofurtum venit. Hornius ab eo sibi præcavet. Tillius, retrò in Regem movens, Neo-Brandenburgum expugnat. (6) Rex, ordinatis in citeriori Pomerania rebus, Svetæ metatur. Ejus mandatum ad singulos qvosq; Tribunos, de conservanda militari disciplina. (7) Tillius, citerioris Pomeraniæ orâ digressus, nec Regem adoriri ausus; ad Magdeburgi obsidium redit. Mitslafius Tribunus Arenswaldiæ ab hoste opprimitur. (8) Rex Francofurtum iter instituit. Croatæ Moncheberga & Zedenicci malè mulctantur. Francofurtum, obsessum, impetu Rex capit: Victoriamq; Protestantibus Lipsiæ congregatis, speciatim autem Electori Saxoniæ, denunciat; nec non obsessis jam Magdeburgensibus. (9) Tillius, serò urbi obsidio levandæ veniens, retrocedit. Landsberga, oppugnata, in Regis qvoq; manus venit. (10) Seqvuntur Lipsiensis Conventus causæ; indictio; & acta communia. Electoris cumprimis Saxoniæ fervor, & pro re Protestantium publicâ impensa cura: Qvi decretum conventus Cæsari transmittit. Theologorum Lutheranæ & reformatæ doctrinæ colloqvium. (11) Clancularius Regiorum tractatus cum iisdem Protestantibus; ac Electoris Saxoniæ sub hoc intentio. Elector Magdeburgo commeatum & pulverem nitratum per fines suos inferri patitur: Qva occasione Comes Ladronius à Regiis oppressus. Idem ad Regiorum delectus connivet: A qvibus SubTribunus Chiesa interemtus. Literæ in Electorem, & alios Protestantes aculeatæ apud hunc repertæ. Publicè & propalàm Elector Magdeburgensibus opitulari detrectat. Aliorum Protestantium ad Regis postulata declaratio. (12) Inferioris Saxoniæ Circulus Lipsiense decretum amplectitur. Pontificii, fœdere juncti, nova è contrario arma expediunt. (13) Ultimæ Regis ad Magdeburgenses literæ; ac Spream, Havelamq; versùs iter. Primus cum Electore Brandenburgico, de tradendis munimentis, fluminum transitu opportunis, tractatus; & prima de Spandoæ castro transactio: Qvod à Rege præsidio firmatur. Cæsariani loca cis Albim metu deserunt. (14) Rex cum Electore Saxoniæ de obsessi Magdeburgi liberatione neqvicqvam agit. (15) Magdeburgensis obsidii series, & exitus, cum urbis pernicie conjunctus. Tillius ad Administratorem & Civitatem Magdeburgi literas dat: Qvi, uterq;, respondent; & hæc insuper ad Lipsiensem Conventum rem defert. Pappenhemius, Falckenbergii corrumpendi satagens, generoso & acri responso repellitur. Munimentum Creutzhorstanum, à Magdeburgensibus nuper exstructum, Tillio occupatur. Presterensi Magdeburgenses spontè excedunt. Cracoæ turris, & munitio Bucoviana in Tillii potestatem veniunt. Hostis propugnaculum vectigalis frustrà consilit: Qvod tamen, unà cum rubri cornu munitione, & suburbiis, mox à Magdeburgensibus deseritur. Militum Magdeburgi defectus, & ejus causæ. Stationes in Urbe distribuuntur; & eruptiones aliqvot fiunt.

Tillii altera ad Administratorem, Civitatem, & Falckenbergium literæ: Nec non singulorum responsa. Tillius armorum inducias, obsessis cupitas, abnuit; & Electores, Saxonem atq; Brandenburgicum, scripto compellat. Obsessi Urbe erumpunt: Tillius accessus molitur, & tormentis Urbem qvatit. Magdeburgenses denuò eruptionem tentant. Tillii tertium iteratæ literæ; & violenti obsidii continuatio. In militari Senatu vis extrema decernitur: Qvâ factâ Urbs expugnatur. Insignium captorum & interemtorum nomina. Militum in victos crudelitas; & Urbis deflagratio. Direptio post incendium. Mortuorum & superstitum civium numerus. Præsagia exitium urbis antegressa. (16) Rex cum exercitu Spandoam retrò se confert. Ejusdem de Magdeburgensi excidio publica expurgatio; & de ineundo fœdere tractatus cum Gulielmis, Saxoniæ Duce, Hassiaq; Landgravio. (17) Alter Regis cum Electore Brandenburgico tractatus; spinosus, & difficultatum plenus: Alteraq;, demùm subsecuta, transactio. Cæsaris ad hæc responsum. (18) Rex, Sedinum rediens, Magni Moscorum Ducis Legatum audit: Qvi ex intervallo moritur. Hornii Campiductoris uxor circa idem tempus diem supremum obit. (19) Gryphiswaldia, obsidio cincta, Perusio insperatò occumbente, deditur. Præsidium excedens, dum pacta conventa non servat, à Regiis opprimitur: Præter tamen Regis voluntatem. Rex urbis munitiones contemplatum it. Supplicationes annuæ in Pomerania & Svecia habitæ. (20) Regiorum in Marchia, absente Rege, conatus & factiones: E qvibus contracto morbo, Comes Ortemburgicus fato fungitur. Cæsariani Cotbusium invadunt: Regii econtrà Grunebergam. (21) Nova Regis, non sine prodigiorum antecedentium augurio, expeditio: Qvâ, post Tangermundam occupatam, mox desertam, & Havelbergam interim in potestatem redactam, ad Werbenam castra locat. (22) Inseruntur dehinc atroces Cæsaris ad Lipsiensis fœderis socios literæ; & mandata avocatoria: Qvibus Pontificii Electores astipulantur. Cæsar minas adversùs Protestantes in superiori Germania armis exseqvitur: Memmingâ & Campoduno deditionem facientibus; Vlmâ insidiis neqvicqvam primò tentatâ, mox, post Wirtembergensem Ducem subactum, ad obseqvium redeunte; & exinde omni Sveviâ, Franconiâq; jugo colla ultrò submittentibus. (23) Tillius Thuringiam invadere parat: Electoris Saxoniæ Legatos audit; sed nullo fructu: Erfordiam solicitat, & Hassiæ Landgravium. (24) Tillius in Regem redit; &, post tres eqvitum legiones à Rege oppressos, rectà Werbenam movet: Vbi parum tamen actum; sed penuriâ apud Cæsarianos gliscente, iterùm discessum. Pappenhemii ad veteris Marchiæ Commissarios in digressu literæ. (25) Regina Sveciæ in Pomerania cum supplemento exercitus appellit. Duces Megapoleos arma palàm contra Cæsarem expediunt: Præviâ tamen protestatione. Megapolis ab utroq; latere invaditur. Sverini, urbs & arx, hosti extorqvetur: Rostochium obsidio cingitur. (26) Marchio Hamiltonius cum novis Anglo-Scotorum delectibus in Pomeraniam venit. Benedictus Oxenstirna Baro, Regis Sveciæ Legatus, re dextrè expeditâ, è Gallia redit. E diverso Legatio ad Venetos & Helvetios spei conceptæ non respondet. (27) Tillius, Electorem Saxoniæ hostiliter aggredi, decernit: Accersito Furstembergio, & Fuggero contra Hassum ire jusso. Qvi nunc demum cum Rege ad exitum perduxerat fœdus: Cujus capita exactiùs recensentur. Tillius & Fuggerus incolas Hassiæ contra Dominum concire nituntur: Sed in cassum. (28) Hinc tumultus, cum Saxoniæ Electore ortus, altiùs repe-

repetitur: Insertâ Cæsaris legatione, & Electoris responso; cum literis Cæsaris, quas responso huic regessit. Secuta deinde Tillii legatio minacior; & Electoris ad hanc declaratio. Tillius, Fürstembergio junctus, in Misniam tendit: Saxonico milite Torgam se recipiente. (29) Tillii postremæ ad Electorem Saxoniæ literæ; vim denunciantes: Post quas Misniam irrumpit. Lipsia ab eo obsessa, unà cum Pleissenburgi arce, deditione capitur. (30) Elector Saxoniæ Regis Sveciæ conjunctionem ambit; & fœdus cum eo icit; literisq; ad Tillium datis, belli culpam à se removet. (31) Regius & Saxonicus exercitus conveniunt; deq; acie, necne, tentandâ, deliberatio instituitur: Mox in hostem proceditur. (32) Regis ad suos oratio. (33) Tillius, de prælio ineundo, pariter consultat; nec, suos, in aciem dispositos, verbis animare, intermittit. (34) Rex, tramisso angusto tramite, aciem instruit: ut & Saxoniæ Elector. (35) Exercitus utrinq; tormentis se salutant. Primus conflictus dextri Regiorum, & sinistri hostium cornu: ubi hostis in fugam conjecti: Alter conflictus: Quo Saxonici ab hoste pulsi. Regii subsidio veniunt; &, post acerrimum ac tertium conflictum, victoriâ potiuntur; fugientiumq; terga cædunt. Tillius ipse penissimè captus. (36) Omen, quod longiusculè aciem præcessit. Clades utrinq; accepta: Tormenta, & trophæa Regiis parta: Tum auguria, quæ propius aciei prolusére. September hic mensis Domui Austriacæ infaustus. (37) Rex, victoriâ usus, Mersburgum & Halam occupat: Dum Elector Saxoniæ Lipsiam suam recuperat. Halæ Civitas, & Regiminis Magdeburgensis Consiliarii, ministrive fidem suam Regi obligant. Anhaldini Principes fœdus cum eo contrahunt. Rex cum Electore Saxoniæ de bello prosequendo deliberat. (38) Chemnitius in Franconiam à Rege præmittitur: ubi Noriberga, paulò timidior & percauta, minacibus à Rege literis acceptis, demùm in ejus partes transit. Relingius Ulmam & Argentoratum proficiscitur: Trucidato in itinere Cæsaris quodam Commissario. (39) Rex Erfordiam progreditur. Legatorum Civitatis obviam factorum petitus; & Regis responsum Gulielmus, Saxoniæ Dux, à Rege præmissus, Urbem improviso intrat; & claves portarum in potestatem redigit. (40.) Rex ipse, Erfordiam ingressus, meditatam ad primores Civitatis orationem redigit. Ejusdem & Erfurdensium synallagma. Pontificius clerus fidem suam Regi obstringit: Protestantium verò, in protectionem receptus, immunitate donatur. Duces Saxoniæ, stirpis Vinariensis, fœdus cum Rege jungunt. Rex Erfordiâ in Franconiam movet. (41) Acta inter hæc Leslæi ad Viadrum. (42) Cæsariani, spe, de secundo ad Lipsiam successu, conceptâ, & falsis rumoribus auctâ, lapsi, animis consternantur. Aldringerus & Fuggerus retrocedunt. Hassus, iis abeuntibus, Vaccham impetu capit. Tilliani itineris tractus post cladem Lipsiensem. (43) Inferioris Marfeldiæ arx Regiis feliciter occupatur. Königshofium venienti Regi deditur. Swinfurtum, inter alias liberas Imperii Civitates, à Rege scripto admonitum, ejusdem fidei se committit. Herbipoleos suburbium vi invaditur: Urbs certo pacto in Regis potestatem transit: Arx verò impetu expugnatur. (44) Tillius serò subsidiò venit: Cui Lotharingus, arma pro Cæsare induens, se junxerat. (45) Conventus Francofurti, componendis inter utriusq; Religionis Ordines dissidiis institutus, re infectâ intercidit. (46) Protestantes in Franconico Circulo Regi se associant; & Culmbacensis Marchio speciatim de fœdere paciscitur. Rex ad Virtembergensem Ducem componit literas. (47) Pontificiorum timor & fuga. Regis ad Herbipolensis Diæceseos incolas edictum.

Bambergensis Episcopus, prætextu tractatus cum Rege, imminens malum subterfugit. Tillius, directo in Franconiam itinere, cladem repentinâ Regiorum irruptione patitur: Mox Rotenburgum ad Dubarum, & Winshemum in dicionem redigit. (48) Rex, Hanoviâ interceptâ, Mœnum cum exercitu descendit. Hassus, post Mündam ad Visurgim occupatam, eò quoque tendit. Rex, Aschaffenburgum & Stenhemum in fidem recipiens, cum Francofurtensibus transigit. Mox, Höchstâ in potestatem redactâ, cum Georgio, Hassiæ Landgravio, de Russelshemi arce paciscitur: Cui, Pacis pararium se offerenti, luculentæ condiciones concessæ. (49.) Elector Moguntinus defensioni accingitur: Hispanis in Urbem receptis. Regii Rhingoam invadunt & occupant. (50) Tillius, Onolsbacum transiens, ad Noribergam castra facit: Mox tamen, pulvere tormentario flammâ corrupto, inde recedit. (51) Francofurtensium cum Rege conventio scripto consummatur. Rex transitum Rheni, hoste neqvicqvam renitente, obtinens, Oppenhemo vi potitur. Hispani Stenium ad Rhenum deserunt: Lotharingi Wormatiam. Rex Moguntiam Hispanis extorqvet: Eosdem ad Mosellam malè mulctat: Et loca montana nonnulla, interq; ea Königstenum; Caubam item, Gudenfelsium, Palatinam arcem, per Hassum, ac suos, subjugat. Hispanus Wetteraviâ cedit. Spira Nemetum cum aliis ad Rhenum Urbibus, victoris arma veneratur: Ubi Regii cum Philippoburgi præsidiariis acri velitatione, sed ipsis tamen secundâ, collisi. Manhemum stratagemate ab iis interceptum. Rex de commerciorum usu reducendo mandatum promulgat. (52) Hornius, in Franconia relictus, Mergenthemum, Winshemum, Heilbronnam, alia loca, vi partim admotâ, partim ostentatâ, Regi subjicit. (53) Tillius, Hornii armis Wirtembergensi agro, qvem suis biberna destinârat, absterritus, Wiltzburgi arcem minis expugnat. (54) Ad mare balticum Regii, munimento, qvod Varnæ ostio incumbit, ad deditionem compulso, Rostochium obsidione cingunt; & in fidem, morâ aliqvâ interpositâ, accipiunt. (55) Virmondius, Rostochio excedens, Halberstadium adoritur: Mox Wanslebæ omnimodam militis jacturam facit. Calbæ & Mansfeldiæ arces à Regiis occupantur. (56) Wismariæ obsessæ deditionem Grammius certis legibus paciscitur: Qvas tamen non omninò servat; paremq; sortem subit. Domitzæ arx ad Dominos suos postliminio redit. (57) Inferioris Saxoniæ Ordines universim bello se accingunt, & Regiis conjungi paratos ostendunt. Singulatim autem ArchiPræsul Bremensis, fœdere inito, pridem cum Rege convenerat: Neqvicqvam ab his consiliis dehortante Tillio. Sed, bellum debito citiùs exorsus, destituitur successu. Georgius, Luneburgensis Dux, regiæ militiæ nomen dat. Dux Brunsvicensis ab Hasso suppetias flagitat; mox cum Rege fœdus percutit: Parte tamen provinciæ, ab hostilitate, per Neutralitatis pacta, utrinq; exemtâ. Christianus Luneburgensis Dux in fœdus cum Rege descendit. (58) Cum Electore Brandenburgico de fœdere, sed nullo exitu tractatur. Cæsariani utramq; Lusatiam hostiliter irrumpunt: Mox subitò se recipiunt. Hispanus Orator, Electoris Saxoniæ animum tentans, repulsam patitur. Electoris miles, impressione in Bohemiam factâ, magnam Regni partem, ipsamq; adeò Metropolim, Pragam, inundat. (59.) Cæsar Fridlandio summum armorum imperium iterùm defert: Qvod is ex parte recipit, & ad bellum summâ se vi præparat. (60) Rex Galliæ Cæsarianos Mojenvico exturbat.

1. Jam

Legati Brandenburgici ad Regem propositio.

I. AM ut cum ineuntis millesimi, sexcentesimi, tricesimi primi Anni auspiciis ad Regem ipsum stylum convertamus, Elector Brandenburgicus indignitate repulsæ, qvam, transitum ad Custrinum hostibus persequendis postulans, nuper passus fuerat, commotum intelligens, simul de juris, qvod in Pomeraniam, ab Rege Cæsari jam penissimè extortam, prætendebat, & aliarum qvoq; suarum dicionum, in qvas firmum jam pedem ille idem posuerat, conservatione non parum solicitus, Cancellarium Götzium ad eundem ablegaverat; occasione Pacis tractatus, cui reliqvi Electores pararium ipsum delegerant: Operam & interpositionem suam, ad componendos belli, inter Regem Cæsaremve exorti, motus, Pacemq; reducendam offerens, atq; à Rege efflagitans; *animi sui sententiam liberè exprimeret de condicionibus, in qvas Pacem cum Cæsare coire posse arbitraretur.* De transitu autem ad Custrinum ab eodem Legato propositum. *Electorem qvidem, transitu Regi permisso, culpæ haud facilè excusabilis affinem se facturum videri, ac malevolis, qvi aliàs omnia ejus consilia & actiones hactenùs in sinistram partem acceperint, seqvius de ipso cogitandi, proq; tacita cum Rege collusione, imò aperta contra Cæsarem hostilitate istud interpretandi, ansam præbiturum: Adeòve rationes satis prægnantes esse, qvæ disvadeant. His tamen neutiqvam obstantibus, & in præsentia, & imposterum, qvandocunq; Rex postularet, seu cum integro exercitu, seu parte ejusdem, transitum illi concedere, regiave arma, non hostilitate, sed omni potiùs favoris ac officiorum genere prosequi paratum: Modò Rex vicissim reciperet. Urbem, aulæ electoralis sedem, ac Spandoæ, Custrini, Peitzii, Drisenæ munimenta, nec oppugnaturum, nec qvicqvam adversus ea moliturum; alendorum qvoqve præsidiorum, &, qvæ conservandis munitionibus sint, comparandorum, deniqve aulæ qvoqve sustentandæ media Electori minimè erepturum; porrò nec ejus reditibus, juribus, regalibus, nec ministrorum & subditorum electoralium bonis injecturum manus: Sed, bello Pacis interventu sopito, qvæ jure ad Electorem pertineant, provincias, ab omni onere liberas, eidem restiturum.*

Ad hæc à Rege responsum. *Sibi nihil qvidem gratius, qvam amicâ compositionis viâ, non incerto armorum judicio, litem cum Cæsare componi; belli incommodis medicinam afferri, & humani sangvinis effusioni occasionem ulteriorem præcidi: Modò adversæ qvoqve parti seriò id cordi foret. De conditionibus autem Pacis sermonem jam tùm texere, rem videri superfluam, & adhuc immaturam: Qvippe hostis mentem & intentionem nondum constare; sed operam prius dandum, ut ad pacifica media amplectenda inducatur. Oblatum porrò liberi ad Custrinum transitus, gratissimum sibi, ut animi haud alieni symbolum, & propioris conjunctionis, amicitiæve in futurum contrahendæ pignus. Eodem vicissim benevolentiæ affectu in Electorem ferri, neqve transitu, nisi bona fide, ita ut ne munimento ipsi fraus fiat, usurum: Adeòq; nec inter transeundum, nec commorandum inter, qvicqvam in id attentaturum. Priusqvam tamen arctiori conjunctioni, amicitiæve Elector aures commodet, solum hoc transitus concessi beneficium, occasione hostis penitùs profligandi manibus jam elapsa, tanti haud ducere; ut eapropter in istis, qvæ mutua stipulatione exigat Legatus, fidem suam regiam obstringendum censeat. Qvamprimum autem Elector arma armis, & viribus vires conjungere animum inducat, ne in his qvidem desideriis eidem defuturum.*

Regis responsum.

Hoc ipso penè momento, qvo Electoris Legatus apud Regem Domini sui satagebat, Joachimus Mitslafius, Tribunus, à Rege ad Electorem missus, Berolini appulit: De armorum conjunctione adversùs Regis hostes cum illo acturus. Cui fini laudabilem Regis scopum, qvem bello intenderet, pluribus deduxit. *Eum, nempè, alium haud esse: Qvàm, ut injurias, ab adversariis hactenùs illatas, omnium primùm ultus, & propriæ securitati prospiciens, Consangvineos deinde, vicinosq; suos in pristinum statum reponeret; nec non, data demùm occasione, protestantibus Germaniæ Electoribus, Principibus,* Ordi-

Legati regii ad Electoré Brandenburgicâ propositio.

Ordinibus, iniqvo & crudeli jugo pressis, præsto esset, ac ad Imperii fundamenta, Religiosæ, nimirùm, atq; profanæ Pacis sanctiones, sarta tecta conservanda, absolutumq; Domus Austriacæ dominatum excutiendum cooperaretur. Unde Electori non modò non vitio vorsum iri, inferebat, *si pressuris his tandem aliqvandò subtraheret cervicem; verùm, tanqvam uni è primoribus Imperii columnis, & celiberrima ac præcipua Germaniæ familia oriundo Principi, incumbere potiùs: Ut, Reipublicæ salute ad animum revocatâ, divinitus submissam, Libertatis, jurium, privilegiorum adversus conturbatores tuendorum, occasionem avidis manibus arriperet. Qvo qvidem casu à Rege Electorem certo certiùs sibi debere polliceri: Non modò diciones ejus ab hujusmodi oppressionibus ac exactionibus immunes imposterùm fore; sed & Pomeraniam, maximam partem hosti jam extortam, casu vacantis successionis, Electori, ejusve hæredibus, restitutum iri.*

Electoris responsũ. Elector verò in responso, pridiè Nonarum Januarii ad propositionem hanc dato, excusatum ea in re se haberi petiit: *Tum qvod fides, qva Cæsari ac Imperio obstringeretur, aperta hostilitate Cæsarem impetentibus aggregari, & adversùs Cæsarem stare, neqvaqvam admitteret; tum qvod de tanti momenti negotio cum Electore Saxoniæ, non confraternitatis modò (ut vocant) sed interioris amicitiæ necessitudine insuper juncto, communicationem priùs instituere, par arbitraretur. Enimverò ægrè consensurum ejusmodi postulatis, qvæ à reliqvo Protestantium corpore aut penitus avellerent, aut certè ad communem causam coram Cæsare communi opera sustinendam ac urgendam, redderent inhabilem; prout conjunctione, qvam Rex qværat, in effectum deducta, necessum foret: Qvippè à Cæsare indubitanter pro hoste habitum & declaratum iri. Reliqvos Electores, Collegas suos, impetrasse porrò ab ipso: Ut Pacis tractatui, inter Regem Cæsaremve instituendo, se præberet Mediatorem: Sed & huic rei minùs idoneum fieri; si non ampliùs medius, verùm in Regis partes totus propendens, nomen hostis à Cæsarianorum parte induat. Nec per hancce unionem cum Rege, ob versatilis ac lubricæ fortunæ vicissitudines, de securitate satis ipsi prospectum: Qvin ipsam Regis personam subjacere humanis casibus, & mortalitati. Qvo casu, si nimis arctè regiis armis se illigaret, actum de fortunis suis fore: His maximè temporibus, qvibus ad transferendos in alias familias Principatus tantoperè promtus Cæsar, & bonorum confiscationes adeò freqventes; ut à nonnullis pro basi ac fundamento, qvo cæsareus status maximè nitatur, reputari velint. Tandem conjunctionem cum Rege, ob pauperiem & miserandam provinciarum suarum condicionem re ipsâ nullius pene effectus, parum Regi utilem, ipsi vero admodum nocivam existere; vim conscientiæ afferre; Cæsarem plane hostē conciliare; adeoq; aut omnium bonorum jacturam & discrimen minari, aut certè indubiam secum invehere terrarum vastitiem, ac extremam ruinam. Has ergò causas conjunctioni cum Rege intercedere, ne assentiri eidem Elector possit: Interim liberum præter loca præsidiis suis infessa iter, eundo, redeundo, Regi, qvandocunqve, necessitate exigente, id esset postulaturus, cum exercitu concessum iri. Certis tamen legibus*: Qvas paulò antè, à Götzio Regio propositas, expressimus.

Et sanè hac ratione via sensim sternebatur, ad arctiorem amicitiam, inter Regem Electoremve brevi ineundam; ni Svartzburgensis Comes varia huic rei injecisset obstacula: Is enim in Regis fraudem, nunc hoc, nunc illud machinari, & cum hoste colludere. Prout literæ, paulò post interceptæ, documento fuêre: Qvas Rex Electori transmisit; addens. *Siqvidem clam Electorē hæc talia patrarentur; exemplum eum habere, qvo à subdolis & noxiis ministris sibi cavere disceret: Sin conscio fierent; (meliora tamen de eo sperare) Regem fore excusatum, sicubi majori in tractando cautela imposterum usus, declarationem, qvam Elector ambierat, tantò magis in suspenso teneret.* Svartzburgensis Comitis ad hostem literæ, à Regiis interceptæ, Electori transmittuntur.

2. Qvod ad bellum in Pomerania & his oris, videbantur, postqvam Cæsariani, Gryphenhagâ expulsi, Garcium, & cum eo Colbergæ liberandæ, ulteriorisve provinciæ pedibus ac jugo ampliùs premendæ spem penè deseruerant, illic esse alcedonia: Belli, sub ineuntis Anni auspicia, status.

Nisi

Nisi excursiones malaciam aliqvantulum turbasſent, & crebræ imprimis, qvæ Croatis à Regiis ſtruebantur, tendiculæ. Croatæ enim bulgis, auro argentove ſignato refertis, circumcincti, ſaga, argenteis fibulis ac nodulis prætexta, induti, phaleris, ephippiis, ſclopetulis, acinacibus argento coruscantibus ſuperbi, qvin & integris auri argentive infecti laminis pectora tecti reperiebantur: Qvod gnaviter inſidiantium commodo cedebat & lucro.

Strenuũ regii Signiferi facinus.

Imprimis Signifer, è junioris Comitis Turnii legione, nomine Ulricus Braunius, audaci facinore, cum qvindecim ſclopetariis, id genus, cui non funiculo accenſo, ſed rotulâ è chalybe circumactâ & ſilici impactâ ignis cietur, Viadrum trajiciens, facto in Croatarum hoſpitium, ubi Tribunus, nescio qvis, cum ducentis circiter eqvitibus hiemabat, impetu, vexillarium eorundem in cænaculo poſt fornacem globo transverberavit; &, poſt alios non paucos, qvi ad tumultum accurrerant, trucidatos, cum præda haud vulgari, inter qvæ vexillum coloris albi, nigram & bicipitem Imperii aqvilam præferens, eminebat, incolumis ſe recepit. Id qvod dum Regi Beroaldæ offert, hic, ut ne militare & ſtrenuum facinus nudo tantùm applauſu decoraret, ſed aliis, præmio allectis, ſtimulum adderet ad paria audendum, aureo torqve hominem muneratus, cohorti inſuper ſclopetariorum ejusmodi, qvos diximus, præfecit.

Lökenitza Regiis expugnatur.

Lökenitzæ arx, tribus milliaribus à Sedino, UkerMarchiam versùs, ad Randoum ſita, hactenus in Cæſarianorum manibus, centum ſclopetariis inſeſſa, fuerat: Unde dicta Urbs, & regium Urbis præſidium non parum ſentiebant incommodi. Huic amoliendo Leslæus, Tribunus, impetum eò vertit: Qvinto Iduum Januarii, noctu, cum qvingentis delectis ſclopetariis, nec non qvatuor machinis Sedino progreſſus, deditionemq; fieri imperans. Et Nicolaus qvidem Grambojus, Centurio, qvi loco præerat, natione Gallus, arma primùm oſtentare, hoſtilemq; animum: Poſt octo tamen ictus in arcem diſploſos de alacritate hac tantum remittere; ut, ſine ulteriori mora ad pactionem descendens, loco ſibi concredito cederet. Qvem Leslæus, ut commodi ſitus causâ magni momenti, legionis ſuæ excubiarum Præfecto, Marnaiſio, cuſtodiendum commiſit.

Landsberga emi-nùs incingitur.

In nova Marchia Cæſariani Landsbergam, Vartæ tranſitu opportunam Urbem, cui haud ita pridem ungulas injecerant, tenaciter, Duce Cratzio Tribuno, ſervabant: Per emiſsos ſubinde Croatas, & levioris armaturæ eqvites circumjectum agrum freqventibus excurſibus inqvietantes. Inter alia Himmelſtetum, electoralis præfectura, direptum, & Electoris miniſtri hoſtiliter abducti. Qvibus de cauſis eqvitum aliqvot legiones circũ Landsbergam per hiberna hinc inde à Rege diſtributæ: Ad retundendam excurrentium Cæſarianorum licentiam. Nec parum huic rei contulit caſtellum, qvod è monte, propè Landsbergam ſito, Urbi imminet, Regiis feliciter ſatis expugnatum: Qva occaſione militum Cæſarianorum non infimæ notæ Dux (Tribunum Sackium, ſunt, qvi ferant) dum audaculus, intrepidum animi robur oſtentando, in prælium ruit, pilâ plumbeâ trajectus, occubuit.

Regis ad novæ Marchiæ incolas mandatũ.

Securitate regioni hunc in modum qvadantenùs partâ, Rex, affixo publicitus edicto, incolas admonuit. *Qvisqve ad ædes fundosve ſuos reverteretur, ſua qvisqve, ut antehac, ita imposterùm posſideret, ſuis frueretur, ſua coleret, & rei familiari incumberet; ſed militi qvoqve regio, ſi qvid annonæ aut pabuli ſuperfieret, communicatum iret: Emanſores, ut Patriæ hoſtes habiturum, igneq; ac ferro bona eorum depopulaturum, interminatus.* Hoc facto, complures in dies ſingulos inventæ, tam Nobilium, qvàm plebejorum familiæ; qvæ patrios, Cæſarianorum injuriâ antehac deſertos, repeterent lares. Nec diu poſt provinciales novæ Marchiæ Ordines in certa pecuniæ & commeatus ſubſidia, ad ſuſtentandum Regis exercitum contribuenda, conſenſère: Qvæ tamen, ſeqventi tempore, haud in ſolidum perſoluta.

Tractatus cum Gallo reſumtus,

Sub hæc Baro Charnasſæus, Galliarum Regis Orator, fœderis tractatum, qvem annò erat exorſus, reſumtum ac continuatum venerat. Nam tractatus ſanè hic, omnibus fœderis articulis utrinq; placitis, jam tum,

qvando

qvando primum sub incudem veniret, ad felicem exitum spectare, nec qvicqvam, nisi ut suprema imponeretur manus, deesse videbatur: Cum remora, à dicto Barone nec opinatò injecta, totius negotii cursum repentè sistit. Detrectabat enim admittere: Ut Rex scriptæ fœderis formulæ, qvam manu propriâ, sigillove roboratam, ut regiæ fidei, inviolatæ servandæ, pignus, fœderato Gallo erat traditurus, sveto eorum, qvi supremo regiæ Majestatis idiomate gaudent, more, nomen suum præscriberet. Indignum Regi istud visum: Qvi, priusqvam de regia dignatione vel digitum transversum cócederet, totum negotium ad irritum revolvi malle, apertè professus est. In suspenso igitur id temporis manserat cœpta cum Rege Galliæ fœderatio.

Fœdereq; initio absolutus.

Resumtum verò post reversionem Oratoris negotium facilem habuit exitum: Menseq; Januario Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi primi, Fœdus, *ad communium amicorum tuitionem, maris baltici & magni Oceani securitatem, libertatem commerciorum, oppressorum Romani Imperii Ordinum restitutionem, summatim, pristini status, qualis ante Germanicum bellum fuerat, reparationem*, Beroaldæ, ubi Rex Sveciæ tunc divertebatur, *in qvinqve annos* conclusum, & ad colophonem perductum est. Et *Rex qvidem Sveciæ validum in Germania alere exercitum; Rex verò Galliæ ad belli impensas certam pecuniæ summam qvotannis subministrare*, mutuo se nexu obligabant. Præter istud expressè provisum. *Milites & nautas conscribere, naves itidem & bello necessaria avehere, utriq; in alterius Regno liberum, hostibus verò utrobiqve prohibitum fore: Militaris disciplinæ temeratores militarem in modum puniendos; transfugas autem Dominis ad pœnam tradendos: Expeditione Regis Sveciæ ex voto successâ, omnibus locis, qvæ victoriâ sua complecteretur, Legum ac Constitutionum imperialium cynosuram ad ungvem observatum, nec pontificiæ Religionis exercitiũ, ubi id reperiretur, exterminatum, sed toleratum iri. Aliis qvoqve Regibus, Principibus, Rebuspublicis, tam intra, qvam extra Romanum Imperium, fœderi huic nomina dandi, facultas relinqvebatur. Si tamen pro opum suarum qvisqve modulo, & qvantum cujusqve interesset, subsidia in bellum unà conferrent. Ducem Bavariæ, & reliqvos pontificios Imperii Ordines, sub Ligæ nomine fœderatos, Rex Sveciæ aut amicos cognosceret, aut certè neutrarum partium, & non hostes: Modò & ipsi pari affectu responderent. Pacificatorio, si qvis futurus, tractatu nil, nisi communi consilio & operâ gereretur: Nec alteruter Regum citra alterius consensum ac voluntatem qvoqvo modo de bello transigeret.* Demum, qvia jam annò de sexenni fœdere actum erat, intereà autem Rex Sveciæ ingentes in bellum sumtus fecerat, conventum: *Galliæ Rex, pro anni jam elapsi demenso, pecuniæ qvandam summam dependeret; simul ut fœdus sigillo suo esset ratihabiturus.*

3. Jam intensissima erat bruma, qvo tempore, Majorum instituto, miles, post exantlatas æstivæ militiæ ærumnas, vires animosq; reficere in hibernis solet: Verum enimverò Regis haud fessa laborum aut fatigabilis unqvam mens, nec suos diu otio torpere, nec hostem interqviescere passa est.

Hornio itaq; Campiductori militiæ curam in nova Marchia ac ulteriori Pomerania demandans, copiasq;, qvot necessariæ videbantur, relinqvens, cum potiori exercitus parte & tormentis, decimo Calendarum Januarii, iter Dammum retrò flexit: Ubi lustratione habitâ, militeq; nonnullo Gryphenbergam, Colbergæ eò arctiùs incingendæ, misso, cum reliqvo exercitu Sedinum properatum.

Rex Megapolim, ac citeriorem Pomeraniã versùs movet.

Sedinensium autem munitione post reversionem suam solicitis oculis lustratâ, non in eum statum adhuc, qvem animo præceperat, perductam, Rex indignatus, Præfectum operis in vincula duci jussit: Sævitiam frigoris, qvo humus indurata ligoni non cederet, neqvicqvam excusantem. Asseverabat enim Rex. *Frustra excusatione palliari, qvæ necessariò facienda sint; sed qvò magis ardua, eò plus intendi oportere vires: Omnia vincere laborem improbum, & hominem id solum patrare non posse, qvod nolit.*

Sedino in UkerMarchiam Rex iter-

iter habebat: Prentzloæ mox Urbe illic potitus.

NeoBrandenburgũ capit. Ipsis Februarii Calendis in NeoBrandenburgi conspectum porrò ventum: Ubi Franciscus Marazinus, Tribunus, sexcentorum militum, eqvitum partim, partim peditum, præsidio subnixus, servabat. Huic proximâ statim nocte tormenta admota: Nec Regi multum negotii Præfectus facessit, sed, vix aliqvot tormentorum ictus sustinens, deditionem obtulit. De qva, post matutinas preces, adhuc ante meridiem, seqventi pacto, cui Regis nomine Teuffelius Baro subscripsit, conventum. *Præsidiarii cum armis & impedimentis loco excederent, sanctè tamen priùs polliciti; intra trimestre spatium contra Regem non militaturos: Porrò civibus parcerent, nec fortunis eorum rapaces injicerent manus, aut simile qvippiam attentarent; transfugas qvoqve traderent, nec ullo occultarent modo. Rex vice versa fide publica ad decimum milliare Berolinum versùs caveret discedentibus: Dummodò rectæ, qvæ eò ducit, viæ insisterent; incolis prædandi licentiâ, & aliis militaribus injuriis nullatenùs graves.*

Et alia nonnulla loca. Occupato NeoBrandenburgo, Clempenoa qvoq; pari felicitate ac celeritate in Regis potestatem transibat: Qvo tantummodò inaudito, Cæsariani, qvi Treptoæ ad Tollensœam commorabantur, aliorsùm dilapsi.

Interq; ea Loitzium Inde Loitzensis arx (nam oppidum nullius momenti) vi omni illuc versâ, per tubicinem, anteqvàm exercitus appropinqvaret, præmissum, Regis imperium suscipere jussa: Cujus Præfectus, cohortis peditum ductor, Petrus Peralta, natione Hispanus, heroicum qviddam ab initio spirans, respondit. Non futurum ejusmodi hominem nihili, qvales, qvi Treptoæ curârant, fuerint, sed, ut egregium ac militarem, Dominoq; suo Imperatori Romano, fidum hominem decet, dum suppeteret vita, dum spiritus duro militiæ operi devotos artus regeret, defensioni suæ institurum. Simul arma induisse, & nobili, qvod in arce erat, Gynecæo ita armatus ac totus ferreus, se ostentâsse scribitur. Ubi verò Regem cum exercitu & tormentis propiùs successisse vidit, blandis ejusdem Gynecæi exorabulis animum ad mitiora flecti perfacilè passus est: Adeò qvidem, ut, ad Regis postulatum, promptè, sine ulla tergiversatione, nondum pactus deditionem, sed pacturus, loco custodiæ suæ demandato exiret. Qvandò sanè Regi in proclivi fuit, qvas vellet, homini præscribere deditionis leges. Refertur autem, dum eundem, insigni aureo torqve redimitus, accedit, qvidam non obscuri nominis Dux, qvi regia castra, honorarius miles nulli certo muneri pro tempore innexus, seqvebatur, Regi supplicâsse de torqve ipsi detrahendo, idq; per Regis conniventiam factum: Hispano hoc thrasone velut attonito, nec ullatenus repugnante, aut Regis fidem implorante.

Rex Demminũ aggreditur. Loitzio dedito, generalis vigiliarum Præfectus, Cniphusius, cum copiis nonnullis, qvas è Stralesundæ & aliis citerioris Pomeraniæ præsidiis contraxerat, Regi se junxit: Nullâq; interpositâ morâ, Demminum statim totis viribus properatum.

Demmini Urbs ad Panim, ubi duo minora flumina, Tollensœam Trebelamq;, recipit ac absorbet, sita, à Cæsarianis, ob transitus opportunitatem, non mediocri curâ munita erat: Arx etiam, qvæ separatim ab Urbe in mediis paludibus fundata, angusto aggere, diversis fluentis interrupto, aditur, per æstatem idcircò accessu haud adeò facilis, suis munitionibus circumdata, crassaq; antiqvi operis turris, arci adjacens, castello terreo, seu Reductu, peculiariter inclusa reperiebatur. Curabat autem hoc loco ipsemet Savellius Dux: Duabus peditum legionibus, propriâ & Holckianâ, suffultus.

Ducis Savellii insolens hisoris executionis militaris genus. De qvo Savellio inter alias acerbas exactiones, qvibus Demminum ac circumjectam oram pressit, memoratur: Ubi incolarum habentiam cum pulvisculo jam everrerat, deniq; rusticos eqvos, qvi, ut colendi ruris instrumenta, novissimè supererant, militari subjecisse exsecutioni. Cumq; nec redimi à Dominis ob pauperiem possent, nec invenirent, qvi vel minimo liceretur, emtorem, carnifici, contractu cum eo inito, addixisse,

 & exi-

& exiguum prope pelle detrahenda recepisse pretium.

Arcis, Urbisve Demmini oppugnatio, & deditio

Vixdum Rex Demminum appulerat, cùm inumbrante vesperâ, parte, qva Panis Urbem præterlapsus defluit, tumuli à terra congesti, & collocata ad verberationem instituendam tormenta: Accessus qvoq; tanta sedulitate promoti, ut eadem adhuc nocte obsessorum munitiones subierint. Posterâ, sed dubiâ adhuc luce, Teuffelius, Tribunus, semilunulam qvandam subitaneo impetu aggressus, levi negotio occupavit, in ea nidulatus, gnaviterq; se muniens, regestâ Urbem versus humo. Et qvanqvam obsessi, ad Regios vi inde iterum dejiciendos, Urbe erumperent, frustraneus tamen hic conatus & infelix fuit: Qvippe cum, non sine clade repulsi, Regiis inseqventibus, traversarium insuper aggerem, defensioni suæ percommodum, qvem raptim extulerant, deserere cogerentur.

Ab altero latere, ad arcem impetum præcipuè vertere, Cniphusio mandatum fuerat: Cujus conatui frigus nondum omninò resolutum impensè favebat; dum paludes, adhucdum congelatas, non attentis pontibus, qvos Cæsariani intersciderant, pedibus transire liceret. Mox reparatis qvoq; istis, traducta tormenta nonnulla, & in arcem directa. Obscuro autem cœptæ lucis, post paucos tormentorum ictus, subcenturio cum qvaternis sclopetariorum contuberniis, rei periculum & aggressionem facere jussus. Qvos irruentes Cæsariani vix conspexerant, cum, omnis propugnationis obliti, arcem, igne supposito, pro derelicto habuêre: Intra vetustam, qvam diximus, turrim, & circumjectum castellum maturè receptum qværentes. Sed & castello, ut exiguâ, in qvadrum exstructâ, nec ullis eminentibus & latus subeuntis hostis ferientibus pugnaculis præditâ, munitione facilè pulsi, intra angustæ turris terminos coercebantur. Ubi, ut ipsi ab impressione Regiorum, ita Regii, qvi sub murum proximè successerant, ab ipsorum injuria non minus tuti: Nisi qvod lapidum jactu impeterentur. Qvia verò turrim aperire tormentis, ob crassitiem tenacitatemq; veteris structuræ, operosum nimis, nec condignum pretium videbatur, ideò Rex, compendiosiori via rem aggressus, sub ipsa fundamenta cuniculum egit: Obsessos, si defensionem obstinarent, pulvere subjecto unà cum turri in altum evibraturus. Id qvod simul ut his innotuit, Regis arbitrio se permiserunt: Septem Holckianæ legionis signis traditis.

Qvæ mox, ut victoriæ indicia, ante Urbem in tormentorum suggestu, tympani ærei murmure, ac tubarum clangore comitante, statuta, & freqventibus tormentorum tonitrubus in lætitiæ signum detonatum: Eoq; viso, etiam qvi in Urbe præsidium agitabant, animos remittentes, de deditione agere cœperunt; Decimosexto Calendarum Martii, signis explicatis, impedimentisq; & armis salvis, nec non honorifico duarum machinarum additamento, Urbe excedere permissi. Scripto tamen Savellius recepit; *contra Regem, ad Pomeraniæ & Megapoleos confinia, intra trium mensium curriculum, arma haud laturum*: Qva de re cæteri qvoq;, cum superioris, tum infimæ notæ Ductores, totius præsidii nomine, fidem interpositum ibant. Ita locus vix ultra triduum Regis arma remoratus est, qvo tres, ad minimum, integras septimanas distineri posse, senex Tillius crediderat: Cujus culpam omnem Savellio Duci imputans, ab exercitu remotum, Viennam ablegavit; in aula Cæsaris rei gestæ rationem redditurum.

Urbem isthanc belli arcem elegerat his in oris Savellius, & commeatu, armisq; ac omni belli instrumento validè communierat: Qvæ in Regis manus devenêre universa; & frumenti qvidem cori ad qvingentos, pulveris nitrati qvadraginta supra qvadringentos centenarii, triginta sex grandiora tormenta, tum aliarum rerum, bellicis necessitatibus inservientium, copia haud temnenda.

Proditor & transfuga Qvintius de Ponte, qvi Regis vitæ, ut diximus, insidiatus ad hostes, re detecta, transierat, & Ducis Savellii legioni, ut Legatus, seu ProTribunus præerat, Dem-

mini

mini paulò ante obsidium commorabatur; parumq; aberat, qvin, indagine cinctus, Regiorum casses incidisset: Sed Regis intentum paulò ante odoratus, qvàm aditus Urbis circumcircà insiderentur, ancipiti discrimini se subduxerat. Cujus tamen residua impedimenta, utut à Regiis agnita, non secùs ac reliqvorum militiæ Ductorum, intacta dimissa.

Malchinũ stratagemate ab exiguaRegiorum manu in potestatẽ redigitur.

Dum Rex ad Demminum hæret, Johannes Moltkius, eqvitum Magister, è Megapoli oriundus, exploratum, qvid hostis moliretur, cum triginta sex eqvitibus missus, rusticis aliqvammultis, ut ad conterraneum, cupidè se agglomerantibus, Malchimon, muris portisve satis munitum, & Pani, qvà in amplas paludes diffunditur, adjacens oppidum, astu tentare, animum fortè inducit: Freqventibusq; ignibus circumcircà, maximè in angusto, qvo id per paludes aditur, aggere excitatis, ac funiculis ardentibus ad arbores hinc inde appensis, validas militum cohortes ementitus, primulo diluculo, priusqvam nox omninò in diem iret, Regis nomine, qvem cum toto exercitu præ manu esse simulabat, deditionem imperat. Præsidio autem cæsareo, qvod binis draconum cohortibus constabat, animos ad hæc dimittenti, remisso statim tubicine significat. A Rege, ad recipiendum eos in deditionem, ablegatum: Deponerent itaq;, ni vitæ periculum adire vellent, arma, & ex Urbe sine mora prodirent. Parent illi, terrore correpti, multiq; à paucis Regiorum, sed inermes ab armatis, circumfusi, captiq; ad Regem deducuntur: Nec minori facilitate, qvàm loco sibi concredito exierant, in Regis stipendia mox transiêre.

Bannerius Gryphiswaldiam per literas tentat,

Capto à Rege Demmino, nullum in citeriori Pomerania cæsarei dominatus vestigium supererat: Gryphiswaldiam si exciperes, ubi Franciscus Ludovicus Perusius rerum potiebatur. Huic autem Bannerius, cui Rex Demmini, & ad citerioris Pomeraniæ fines militiæ summam commiserat, deditionem persvadere tentavit; ad animum revocans. *Non modò omnia ulterioris commeatus inferendi media intercisa, sed & spem subsidiorum, occlusis usqveqvaqve aditibus, omninò præreptam: Adeoqve ad deditionem loci, qvem jam necessaria qvæqve vitæ tolerandæ sensim deficerent, non vi & armis, sed brevi temporis mora compulsum iri. Maturè ergò morem ingruenti necessitati gereret, & honestas deditionis leges ne respueret, sed ultrò oblatas ambabus potiùs ulnis amplecteretur: Qvas, rem ad incitas redire passus, frustra postmodùm esset ambiturus.* Ad hæc sub finem literarum *à crudelibus populationibus & incendiis*, qvibus Cæsariani in populares grassari soliti, gravibus hominem verbis dehortabatur.

Ad qvas literas Perusius respondens, invictissimâ potentiâ Cæsaris, *qvi, sub clypeo bonæ, justæve causæ, semper hactenùs æqvalem belli fortunam, eamve nullibi dubiam, sensisset, aut fuisset expertus, omnesve motus hostiles, qvotqvot hactenùs insurrexerant, potenti manu fugasset, contudisset, radicitùs exstirpasset*, magnificè prædicatâ; *spem omnem in hac collocare* ostendit. *Non minùs præsidiario suo militi fidere; qvem sat copiosum, instructumve haberet: Sed multò magis causæ bonitati; pro qva asserenda ad extremum usqve halitum pugnare, certum ipsi & destinatum. Neqve ullam subesse causam, cur de subsidiis dubitaret, aut anxius adeò foret. Si tamen à Rege ablegandi qvempiam suorum ad supremum cæsareæ militiæ Imperatorem, Tillium, copia daretur, propiùs fortasse & expressiùs ad postulata responsurum. De incendiis & desolationibus non qvidem penitùs negare; sed necessitate, & belli ratione, si qvid horum factum, sat excusare: Qvicqvid etiam in populares inde damni redundarit, Cæsarem solita sua Clementia abundè compensaturum.*

Perusius abnuit.

Nec Perusius, ab hoc tempore, gnaviter Urbem munire destitit: Novis subinde, atq; adeò concinnis eam cingens operibus; ut, vel Rege ipso teste, similia horum Cæsariani in tota Pomerania nullibi exstruxerint. Cum verò pecunia numerata in auro, argentove signato ad usum minimè suppeteret, defectum hunc ingeniosè suppletum ibat, stanneam monetam cudi faciens; impres-

Et tolerãdæ obsidioni se præparat.

impresso lemmate: *NECESSITAS GRYPHISWALDENSIS.* Salis qvoq; penuriæ, per salariæ aqvæ scaturiginem, qvæ vetustate adobruta, & diu neglecta jacuerat, iterùm apertam, curiosâ ejus industriâ remedium qvæsitum: Ut non milites modò, sed & cives condimenti hujus affatim habuerint. Tandem penum, & qvicqvid commeatus, pecorisve in Urbe supererat, sobriè contentèq; dispensando, & superfluam ac inutilem turbam emittendo, ad diuturnum obsidium singulari diligentia se præparavit. Id his mediis consecutus honoris: Ut Gryphiswaldiæ inter omnia Pomeraniæ loca, adversùs Regem, pro Cæsare, ultimùm defensæ ac conservatæ lauream referret.

Colberga Regiis deditur.

4. Nam Hardeckianæ legionis ProTribunus, Franciscus de Mörs, qvi Colbergam pro Cæsare obtinebat, postqvam qvinq; mensium obsidium sustinuerat, gliscente sensim commeatus, rerumq; necessariarum angustiâ, liberationis autem spe penitùs evanescente, septimo Calendarum Martii, cum Tribuno Boetio, de deditione agere cœperat. Et licet initio res lentiùs processura videretur; Cæsarianis, post obsides utrinq; datos, trium septimanarum dilationem, anteqvàm Urbe egrederentur, postulantibus: Mox tamen, condicione isthac à Regiis rejectâ, frustrà se esse sentientes, postridiè tubicinem, ad resumendum tractatum, denuò misêre. Qvi resumtus, tertio Calendarum Martii, felicem exitum, usitatis communi militiæ more legibus, sortiebatur. Inter alia speciatim insuper conventum: *De eqvestri vexillo, qvod Cæsariani Regiis antehac ereptum iverant, reddendo, & prohibenda imposterùm à Civibus omni prædarum, violentæq; exactionis licentia, necnon resarciendo damno, si qvod à die conventionis initæ illatum foret.* Ecclesiastici qvoq; judicii, seu Consistorii (ut vocamus) à Duce Pomeraniæ Præses, D. Joachimus Naffin, mobilia sua, interq; hæc, libros & acta, qvæ haud deperdi, cum Ducis, tùm provinciæ totius intererat, hinc inde distracta conqverebatur: Ducis ergò & Ordinum provincialium monitu, regiarum partium Tribunus hostilis præsidii Præfectum compulit ad obstringendam fidem; *de restituendo à Ductoribus, imperio suo subjectis, si qvid horum superesse reperiretur.*

In has pactus leges, ultimo tandem Nonarum Martii, circa septimam matutinam, cæsareus miles, armis debito modo instructus, funiculis incensis, signis vexillisq; explicatis, & præter impedimenta, qvibus avehendis qvadraginta illi currus præbiti, duas campestres machinas secum trahens, Urbe excessit: Qvinqvaginta qvatuor tormentis, qvadringentis pulveris nitrati centenariis, centum septuaginta septem pilis granatensibus, ingentiq; majorum globorum, & minorum glandium, aliorumq; bellicorum instrumentorum copiâ post se relictâ. Exeuntes, ad sesqvimille capita, sub tribus eqvitum alis, & novem peditum cohortibus distributa, Sperreuterio Tribuno cum ducentis triginta eqvitibus in hosticum salvos deducente, ubi finibus suis propinqvi extra periculum jam forent, in deductores hos suos arma versuros, minitabundi jactare cœperant: Qvapropter ad Schifelbenum subsistere aliqvantisper jussi, mox tamen, simul ut Rex detentos comperit, ejusdem mandatu, ne sinistræ famigerationi locus daretur, ad suos dimissi. Interim nihilominus ad qvadringentos, maximam partem pedites, morâ fastidium ciente, in regia stipendia transierant.

Triduo post Colbergam deditam naves nonnullæ, commeatu omnis generis refertæ, & Rostochio, Wismariaq; subsidio missæ, ad maritimam Colbergæ stationem appellere visæ: Qvæ tamen, qvia ad tres tormentorum ictus, qvibus vicinam jam Urbem salutabant, duobus tantùm, Svecio more, respondebatur, post festum, qvod ajunt, se venisse conspicientes, in altum, unde venerant, velis expansis retrò discesserunt. Naves istæ, jamdudùm instructæ, in mari aliqvamdiu cum contrariis ventis colluctatæ fuerant: Qvæ etsi temporiùs venire potuissent, scopum tamen suum obtenturas, & penetraturas ad Urbem, vix nobis verisimile fit. Rex etenim, qvem nihil horum latebat, pro Thalassiarcham,

ſiarcham, Ericum Johannis Ullſparrium, & Boetium Tribunum, illum qvidem, collocatis in Colbergenſi oſtio duabus triremibus, hunc munitione, qvæ propè oſtii ingreſſum ſita erat, inſtauratâ, & valido præſidio munitâ, machinationibus hoſtilibus obviare juſſerat: Ita ſubſidiorum mari inferendorum opportunitate obſeſſos abundè interclusum iri ratus; nec opus, (qvod conſilii Boetius dederat) partum, molibus injectis obſtructum, omninò corrumpi.

Leges à Rege militi, in Pomerania hoſpitanti, præſcriptæ.

Qvò autem provincia in hac rerum metamorphoſi ſpem conciperet meliorum, & triennalium, à Cæſarianis exantlatarum, afflictionum levamentum ſentiret, Rex Sveciæ novas leges, qvibus tam milites, qvàm incolæ, durante hoc bello, viverent, hoſpitiis militaribus præſcripſit; ſeqventis tenoris. Primò. *DEO dicatas ædes, ſcholas, xenodochia, eccleſiaſticas perſonas ne qvis temerato, aut qvoqvo modo, ſeu hoſpitiis militaribus, ſeu exactione cujuscunqve generis gravato; nec cuiqvam, ſacris operanti, impedimento aut ſcandalo eſto: Sub vitæ & capitis pœna.* Secundò. *Militum per hoſpitia in Urbibus diſtributio Magiſtratui relinqvitor, nec tertius illi ſe immiſceto: Duces autem & milites, ultra modum à Rege præſtitutum, nil ab hoſpitibus exigunto, aut ſumunto.* Tertiò. *Hoſpites, ſive in Urbibus, ſive in pagis, Ducibus aut militibus, ſervitiorum (qvæ vocant) nomine, nil, præter ſtratum, ligna, candelas, acetum, ſal præbento: Inferioris autem notæ Duces (qvales ſatellites, Decani, ſimiles) hoſpitum igne ac lumine contenti vivunto, & negotia ſua expediunto.* Qvartò. *Honorarii, nullis ſtipendiis addicti, qvæq; Ducibus miniſterii gratiâ comitari ſolent, umbræ, civibus ne oneri ſunto, ſed illorum, apud qvos commorantur, ſumtu ſuſtentantor.* Qvintò. *Nemo Ducum, præter id, in qvo degit, ſubſidiarium ſibi hoſpitium aſſerito: Nec qvisqvam, ſub prætextu tuendorum ruricolarum, iis invitis, agros milite aut literis tutelaribus, pro lubitu, onerato; nec, ob tutelam præſtitam, remunerationis qvid exigito.* Sextò. *Qvi militum in agros, arcendæ militari injuriæ, diſtribuuntur, non ſecùs ac alii, intra præſtitutos hoſpitiis militaribus cancellos ſe continento.* Septimò. *Ducibus & militibus, niſi præſentibus, nil præbetor, alimoniæ causâ; eorum, qvi, præter cohortes ſingulas, cohortiumq; ductores, toti legioni præſunt, aut inſerviunt, Ducum miniſtrorumve nomina, ante luſtrationem inſtitutam, in diribitoriis ne attenduntor; Nec, niſi in loco, ubi hoſpitatur, qvisqvam qvid capito; ſin extorſerit, ceu indebitum reſtituito.* Octavò. *Nullus Ducum, militum, lixarum, peregrè euntibus, agricolæ vecturam, eqvos, alimenta ſubminiſtrare, absq; præſenti ære tenentor: Niſi Regis, aut ſupremi bellorum Ducis commeatu munitus.* Nonò. *Inter milites nemo absq; Tribuni ſeu ejus, qvi legioni inſtar Tribuni præeſt, permiſſu, cohorte ſua abſcedito, & in aliena hoſpitia, diribitoria, aut agros evagator: Qvi fecerit, ei manus injicere, &, inſtituendi examinis, ac infligendæ, ſi qvid deliqverit, pœnæ, ad vicinum Regis præſidium deducere, incolis & nulli non fas eſto.* Decimò. *Qvos Rex, aut ſummus belli Dux commeatu munierit, beneficio conceſſo ne abutuntor: Qvod ſi raptu pecorum, aut utenſilium impingant, incolis, comprehenſos dicto modo ad pœnam tradere, non minùs liceto. Si tamen literæ alicujus momenti apud eos reperiantur, has ad locum porrò deſtinatum iidem incolæ, nullâ interpoſita mora, properanto.* Undecimò. *Qvi commeatu ejusmodi muniti iter faciunt, jumenta, ultra locum proximum, ubi vectura mutanda, ne trahunto: Si per illicitum uſum depereant, Dominis pretium refundere certi. Id qvod ſimiliter, qvando integræ legiones aut cohortes tranſeunt, obtineto.* Duodecimò. *Principis ac Nobilium arces, domusve, niſi qvas præſidio teneri hoſtis causa interfuerit, ab hoſpitiorum militarium onere immunes ſunto.* Decimotertiò. *Principis Commiſſarios ac Miniſtros, tum Nobiles, Conſules, Magiſtratus Urbium, denique cives, & alios provinciæ incolas, ne qvis, manus injiciendo, detinendo, aut alio qvovis modo, injuria afficito.* Decimoqvartò. *Nec peregrè negotiorum causa proficiſcentes remorator qvisqvam aut offendito, ullave exactione gravato: Agricolas qvoqve, operi ruſtico incumbentes, protegito potiùs, qvam aliqvod iis impedimentum creato.* Decimoqvintò. *In præſidiis, diribitoriisve, nec milites, nec Duces ſub portis*

portis, aut à personis transeuntibus censum, aut à mercibus vectigal exigunto; in Magistratus, cui jure ea debentur, præjudicium. Decimosextò. *Post legionum aut cohortium discessum, illis, qvi in hospitiis residui manserint, ab incolis alimentorum nomine qvicqvam postulare, minimè liceto: Qvin potius moratores hi à Ducibus severè plectuntor.* Decimoseptimò. *Tandem, si qvid adversùs leges istas, aut alias contra militarem disciplinam peccatum à gregariis fuerit, Duces pro his in jure respondere, & incolis damnum, si qvod passi, resarcire tenentor.*

Hac salubri legum militarium sanctione, & regio militi, ut, si non superflua, necessaria tamen alimenta caperet, & incolis, ne penitùs eviscerati pessum irent, prospectum: Nec minùs tantâ moderatione amor & affectus hominum, qvo venientem Regem amplexi fuerant, in animis eorundem intemeratus permansit.

Oldenburgicus denuò, socio assumto Orientalis Frisiæ Comite, neutralitatis satagit,

Qva ratione Oldenburgicus Comes, per Frenckingium, Tribunum, belli oneribus ac incommodis, neutralitate concessâ, se eximi à Rege petierit, & qvibus legibus Rex preci ejus fuerit assensus, supra annotatum. Responso autem Regis accepto, & hic, &, hujus exemplo inductus, Orientalis Frisiæ Comes non destiterant, Electorum qvoq; intercessione ad eam rem usi; donec à Cæsare adipiscerentur rescriptum, *de milite ex utroqve Comitatu abducendo, & dicionibus suis hospitiorum, contributionum, aliorum militarium onerum incommodis neutiqvam imposterum gravandis: Modò priùs Cæsari ederent impetratam pariter à Rege cautionem; de vacua locorum, qvibus Cæsareus miles excessurus erat, possessione haud iterum occupanda.* Missi itaq; sub mensis Martii ingressum, eodem simul temporis momento, ad Regem ab utroq; Comite Legati, ab Oldenburgico, qvem diximus, Frenckingius, ab Orientalis Frisiæ, Dido Cniphusius, Dodonis, qvi sub Rege generalis vigiliarum Præfecti munus sustinebat, frater; Neutralitatis telæ, ab altero inceptæ, utriusq; nomine resumendæ & pertexendæ: Verùm, simul ac ad rem ventum, sufficienti mandato destitui reperti. Præcipuus enim nodus, qvem resolvi rei condicio & natura non postulabat, sed flagitabat, intactus in eo relictus: Qvo, nimirùm, modo Comites, à Rege hostilitatibus & armorum injuriâ exemti, vicissim cavere animum induxissent; idem neutrarum partium jus à se inviolatè servatum, nec qvicqvam è provinciis suis periculorum aut damnorum Regi, ejusve statui illatum iri. Ad hæc cæsareum rescriptum non, nisi Arnoldini à Clarstein, bellici Secretarii, subscriptione firmatum conspici; Qvo in fragili fundamento ne ipsi qvidem Comites, nedum Rex, solidæ aliqvid fiduciæ collocare poterant: Lubricam enim ejusmodi rescriptorum fidem esse, nec magnipendi, Stralesundæ, aliorumve in Imperio Romano exempla Regem edocuerant. Deniq; Cæsaris declaratio non absoluta, sed ad Regis cautionem restricta esse: Qvam hic, ut læsus & ad arma provocatus, ultrò aut prior offerre, habitâ dignitatis suæ ratione, prohibebatur.

Rex, non sine causa, assentiri detrectat.

His & aliis de caussis tractatum isthunc ad umbilicum haud perducere, visum Regi: *Donec, cùm à Cæsare, tum ipsis Comitibus, de Neutralitatis jure sarto, tecto conservando, ipsi sufficienter caveretur.* Spes tamen certa his facta: *Modò præscriptam ingrederentur viam, Cæsaris militem, semel è provinciis abductum, non ampliùs admittendo, tributis & collectis, qvocunq; tandem censerentur nomine, sublatis, nulla in futurum, durante bello, pecuniaria subsidia sub ullo prætextu hosti pendendo, cautionemve idoneâ de his omnibus Regi præstando; Regem qvoqve Comitatus & diciones ipsorum omni bellorum molestiâ exemturum, eoq; nomine scripto cavere paratum.*

5. Victricibus, & qvò diutiùs, eò latiùs se expandentibus Regis Sveciæ armis non habere Cæsar, post exauctoratum Fridlandium, sibi videbatur, qvem promtiùs opponeret, ac senem Tillium; exercitâ multorum bellorũ eventibus experientiâ Ducẽ, nullisq; ferè adversæ fortunæ ictibus concussâ hactenus felicitate: Qva omnem penè Germaniam, dum bella ex bellis oriuntur, non interruptâ victorũ serie adobruerat. Dignus ex eo æstimatus: Cui, amoto rerum summâ Fridlandio, cæsareæ militiæ gubernacula, prout in Pon-

Pontificiorum fœderatorum exercitu jamdudum ea tenuerat, traderentur.

Tillius de statu cæsariani exercitus certior fit.

Post Gartzensem autem receptum, Hannibal à Schaumburg, generalis rei tormentariæ Præfectus, concrediti sibi militis miserum & calamitosum statum ad senem hunc Tillium qveribundus detulerat: Discrimen animo præcipiens, qvod Francofurto & Landsbergæ haud obscurè immineret; nì pluribus & recentibus copiis, commeatu, pulvere nitrato, aliis necessariis, laboranti utriq; ocyùs succurreretur.

Francofurtum venit.

Qvapropter Tillius, cum acriore, qvam qvos hucusq; debellaverat, & forsan initio sibi fuerat imaginatus, hoste rem fore conspicatus, omni milite, qvi per Sveviam, Franconiam, Westphaliam, & alias Imperii provincias longè, latèq; dispersus hospitabatur, inde excito, & in Saxoniâ inferiorem cōvenire jusso, ipsemet, sub finem Januarii mensis, Francofurtū, qvatuor comitatus legionibus, venit, Urbisq;, ut & Landsbergæ situm collustrans, utrobivis, qvæ è re viderentur, mox ordinatum iit. Instituta qvoq; ab eo exercitus, per varios casus imminuti, lustratio; &, qvia Commissarius Ossa, hoc ipso tempore, ingentem pecuniæ summam collybo transcripserat, persolutâ stipendiorum parte, militi qvadantenùs satisfactum.

Hornius ab eo sibi præcavet.

Regius intereà Campiductor Hornius, cum attributis sibi copiis, Regis jussu, Soldini & locis circumjectis stativa habens, famâ de adventu Tillii sparsâ, pridiè Calendarum Februarii, mediocrem manum; ductu eqvitum Magistri à Platen, Landsbergam versus exploratum miserat. Qvæ milites aliqvammultos è Landsbergensi præsidio, in subjectis Urbi pagis ac agro palantes, offendens, trucidatis ultra qvinqvaginta, triginta captivos nacta, & ex his cognitum est: Crosnæ, Glogoviæq; abiectos magno numero sclopetarios, eqvis ferentariis impositos, dracones factos. Qvod verò Custrino simul certior redderetur Hornius, hosti, tramisso ad Landsbergam Wartâ, in ipsum ire decretum, ne ancipiti aleæ rei summam, inscio Rege, committeret, peditatum cum tormentis ac bellico instrumento maturè Piritzam retrò pedem ferre jussit; solum Comitem Turnium Soldini præsidio relinqvens: Cum eqvitatu verò primum inter Piritzam & Soldinum hospitatus, mox pabuli, qvod illis in oris à cæsariano milite planissimè absumtum erat, defectu versus Stargardiam reductum, in pagos, intra Plonam & Inam amnes sitos, distribuit, &, qvantum pote, constipavit; in hostis actiones ac motus toto animo intentus.

Tillius hinc retrò in Regem movet.

Qvi tamen spe prosperi successus hic loci Regiorum vigilantiâ evolutus, simul Regis progressibus, in citeriori Pomerania factis, retractus, consilium, qvod animo forsan conceperat, mutavit: Francofurto, qvinqve pedestribus Tribuni Fernamontii cohortibus, sub qvibus mille qvadringenta circiter capita recensebantur, firmato, cum copiis, qvas ab Albi secum adduxerat, omniq; ferè cæsareo milite, in Sternbergensi, Crosnensi, nec non Züllichoensi agro hactenus divertente, ipsis Nonis Februarii retrò movens; & Bescoam, Furstenwaldiam, hinc ad Bellinensem porrò transitum, mox Navium Rupinumq; iter intendens.

Qvo factum: Ut Hornius qvoq;, cum suorum plerisq; ulteriori Pomeraniâ à Rege evocatus, in citeriorem, Viadro tramisso, se contulerit.

Dum autem in itinere Tillius moram hinc inde trahit, renunciatum illi: Regem post alia loca, Demmini qvoq; insigni felicitate potitum. Qvo stimulo incitatus, ne inter imperii suscepti cunabula torporis aut formidinis argueretur, rectâ in Regem ducere, & NeoBrandenburgum, qvod inter vias primum occurrebat, vi adoriri constituit.

Et NeoBrandenburgum expugnat.

Inerat NeoBrandenburgo Cniphusius, cum propria, Scoticaq; Maccai legione. Et huic qvidem Rex, ut, loco, cui adversùs potentem adeò hostem defendendo par haud esset, deserto, in tutum se cum milite reciperet, mandatum scripto transmiserat: Qvod interceptum oppidi eò maturius eqvitatu usqveqvaqve cingendi ansam dedit Cæsarianis; ne bolus, qvem inhiabant, faucibus eorum eximeretur, solicitis. Eqvitatum Tillius ipsemet, Feldsbergâ prius arce, qvam

qvam Regiorum qvinqvaginta obtinebant, violentâ impresſione expugnatâ, & neci datis, qvotqvot inerant, qvarto Nonarum Martii, cum univerſo exercitus robore ſecutus.

Nec Cniphuſius ob id animum deſpondere, ſed fortiter & ſtrenuè cum ſuis ſe gerere, & aliqvot ſuſtinere hoſtium inſultus: Qvinimò, licet Tillius ad dedendum locum ter hortaretur, adhuc horæ qvadrantem antè, qvàm ultima fieret vis, ſalvam offerens vitam ac incolumitatem, ſpe tamen regiorum ſubſidiorum aures ad hæc occludens, deditionem renuere, & extrema præſtolari. Unde, ſeptimo Iduum Martii, univerſalis aggresſura tanto impetu, & animorum ardore ſuſcepta: Ut propugnatorum virtus ſuperata, oppidum captum, &, qvicqvid in armis repertum, ad internecionem cæſum fuerit. Inter alios Linſio ac Dienhemio SubTribunis ſupremus hic dies illuxit. Ipſe Cniphuſius cum omni familia, & nonnullis militum Ductoribus in hoſtium manus vivus devenit: Gregarii autem, qvibus parcitum, ultra ſexaginta haud numerati. Expugnationi Tillius ad qvingentos tormentorum ictus impenuerat: Neq; exercitus ejus cladis expers exſtitit; compluribus Ductorum ac militum deſideratis.

Durante obſidio, validum eqvitum agmen, Wingersckio Tribuno Duce, Roſtochio movebat, Tillianis ſe juncturum. Qvod Rhingravius, de improvisò propè Plaviam ſuperveniens, facilè disſipatum iit: Duce ipſo Roſtochium, unde venerat, egrè fugâ elapſo. Bannerius qvoq; Cronbergio, Cæſaris Tribuno, haud procul NeoBrandenburgo colliſus: Ubi pari penè clade, & æqvâ fortunâ diſceſſum.

Rex in citeriori Pomerania res ordinat.

6. NeoBrandenburgo laboranti Rex Sveciæ ſuccurrere in animum induxerat: Qvem in finem Paswalci exercitus convenire juſſus. Ubi verò, Tillianorum armorum violentiam ſuis prævertisſe ſubſidiis, fama tulit, mutato curſu, aliorſum directa velificatio. Relictus tamen ad citerioris Pomeraniæ & Panis fluvii defenſionem Hornius: Cui injunctum. Fridlandiam & Treptoam Urbes deſereret, & qvia fortunæ regiæ his in oris ſumma Demmini atq; Anclamiæ conſervationi innitebatur, Anclamiâ (huic, ut minùs firmæ, minùs fidebat Rex) ſe cum copiis ſuis conferens, Urbem adverſùs hoſtilem vim, promiſcuâ civium, militumq; operâ, raptim muniret; Clempenoæ, Landscronæ, Spantcoæ arcibus valido præſidio inſeſſis: Lucrando, nimirùm, tempori, qvò harum oppugnandarum morâ hoſtis interim aliqvamdiu diſtineretur. Ad Panis autem tranſitu arcendum hoſtem, genus naviû, ſtruthionum appellatione, Straleſundâ accerſitum: Qvod in flumine fungeretur caſtellorum velut mobilium vicem. Nec commoditas fluminis abhorrebat, inſigni per ſe profunditate, & paluſtri ripâ cincti: Ut ita ab hoſtiû inſultu ac vi naves ſatis esſent tutæ, &, ſicubi tormentis forſan impeterentur, de loco in locum transferri posſent. Ne porrò ad Stolpam aut Gutzcoam hoſtis tranſitum moliretur, in ripa interiori valida utrobivis caſtella excitata, impoſito ſufficienti militum præſidio. Tribſœæ etiam, qvà Trebela fluit, omnia ad excipiendum impetum proviſa: Ne hac parte perrumpendi rima pateret. Qvod ſi, difficultatibus, qvæ objiciebantur, inſuper habitis, Tillius violentum Anclamiæ obſidium animo obſtinaret, Rex, caſtris ad Cabelam poſitis, à tergo circumventum, ſubvectione commeatus, & pabulandi facultate intercludere, feroci imq; novi hoſtis, fatigando potiùs, qvàm pugnando, frangere decreverat.

Et Svetæ metatur.

Rebus ad citerioris Pomeraniæ limitem ita ordinatis, ipſemet verſùs Viadrum regresſus, & diverſâ iterùm parte hoſti tumultum exciturus, binos pontes navales, qvorum alterum majuſculum, alterum paulò minorem Sedini præparari fecerat, adverſo Viadro, Svetam deduci imperabat; Flumine his inſtrato, caſtrisq; ibidem poſitis: Qvæ foſſâ, & murulo terreo ſeu vallo, interjectis hinc inde Reductibus, probè circummunita.

Ejus mandatum ad ſingulos qvosqve Tribunos, de

Sub hæc freqventibus incolarum qværelis Regis aures pulſabantur, ob militum, cumprimis eqvitum, licentiam: Excusſo diſciplinæ freno, in prædas, direptiones, dira qvæq;, qvo lon-

conservanda militari disciplina. longiùs, eò magis se effundentium, nullo aut regiorum protectoriorum & tutelarium diplomatum, aut locorum divino cultui & juventutis educationi destinatorum habitâ reverentiâ; nihilq; eorum non perpetrantium, qvæ in hoste tantoperè hactenùs fuerant reprehensa. Insigni ejusdem cordolio: Qvi nefanda hæc unius, alteriusve nebulonis facinora toti exercitui maculam aspergere haud levem, saluberrimoq;, nec unqvam satis laudato militaris disciplinæ vinculo dirupto, propriam ipsius famam & existimationem, cùm apud amicos, tum hostes, non parùm sugillare noverat. Neq; latebant Regem pernitiosissimi, qvi ex enormis hujus licentiæ semine succrescerent, fructus: Nam & terras pulsis habitatoribus desolari; & incolarum animos alienari; & toti exercitui, dum paucorum ingluvies atq; insaturabile abdomen omnia absumit, necessaria vitæ sustentacula subtrahi; &, qvod caput rerum, iram divinam, Nemesinq;, scelerum ultricem, in Regem ac regii militis caput certo certiùs provocatum iri. Fama ad hæc erat: A Ducibus foveri gregariorum petulantiam, compluresq; excessus ab his ipsis committi: Et qvidem sub tutelæ, seu protectionis colore ac prætextu. Qvod ergò Rex, justam supremi Numinis vindictam à se & exercitu deprecaturus, conscientiamq; coram DEO omni exoneratus culpâ, barbariei huic nec vellet diutiùs connivere, nec posset, sed, qvantum in ipso erat, condignis, qvibus alii à similibus flagitiis deterrerentur, pœnis perseqvi illam, statum, fixumq; animo haberet, ideò, misso ad singulos qvosq; eqvitum, peditumve Tribunos edicto, *fidei & sacramenti, qvibus ipsi obstringerentur, propriæve famæ, honoris, & existimationis, qvæ, hactenùs fortiter ab iis defensa, jam non parum periclitarentur*, commonefaciens, graviter illos adhortatus est; *Ad cooperandum ipsi, & non tam publicatione hujus edicti, qvam severa exsecutione operam una dandum: Qvò prædarum, direptionum, aliorum excessuum licentiâ cohibita, miles, eorum imperio subjectus, necessariis alimentis contentus viveret, regia protectoria seu tutelaria diplomata debito prosequeretur respectu, nec miseros incolas, residuum, conserendis agris destinatum, frumentum extorqvendo, ad desperationem adigeret, & mortiferam deniq; inediam; Rebus ita attemperatis, ut appareret, militem regium, non barbarum, sed christianum militem, nec illegem planè esse, sed regii imperii moderamen æqvo animo pati. Sin verò ne nunc qvidem, id qvod Tribunis tamen & aliis militiæ Ducibus in proclivi foret, flagitia isthæc militaria coercerentur, ipsi, ad amoliendum à se, coram DEO & universo Orbe, cruoris, sudorisq;, vi miseris incolis expressi, opprobrium, exigendi à Ducibus ipsis (qvia, in prædones singulos qvosqve anqvirere, haud possibile) delictorum rationes, & in illos eo nomine animadvertendi, necessitudinem fieri; idq; animo stare decretissimum.*

Hic Regis erga Justitiam ardor disciplinam militarem, jam tum labascentem, si non in pristinum statum & firmitudinem erexit, certè ad tempus suffulsit; ne statim in præceps & pessum iret.

7. Tillius verò Regis, ad citerioris Pomeraniæ defensionem providâ se curâ accingentis, consilia & intentionem odoratus, rationibus belli supputatis, facilè in futurum prospiciebat: NeoBrandenburgi, utpote levidensi loco, adeò strenuè & acriter exceptum plus negotii manere, sicubi alia majoris momenti præsidia aggrederetur. Metuebat insuper, nec injuriâ: Annonam, & multò citiùs pabulum, numerosæ, qvam secum trahebat, hominum turbæ, jumentorumq; multitudini, incommodo hoc anni tempore defore in vasto ac desolato solo. Qvapropter ulteriùs progredi haud consultum arbitratus, direpto NeoBrandenburgo, & munitione ejus, qvantulacunq; erat, ad terram depositâ, Zechlinũ primis castris, inde Rupinum retrò se contulit. In reditu, pridiè Iduum Martii, Miroæ arx, qvam è Cniphusii legione Centurio cũ nonnullis militibus tuebatur, post tormentorum aliqvot ictus in deditionem ab eodem accepta. Tillius citerioris Pomeraniæ orâ degreditur.

Lubido qvoq; Tillio penè incedebat, tentandi castra, navalesq; ad Svetam constratos pontes: Num interscindi, Nec Regẽ adoriri ausus, ad Magde-

burgi obsidium redit.

scindi, & stativis his pelli Rex posset? Eapropter Comitem Coloredum, cum viginti qvinq; eqvitũ alis, Viadrũ versus, ad situm castrorum explorandum miserat: Re cognitâ, subsecuturus totâ Exercitus mole, & apertam vim Regi intentaturus. Intellecto tamen, operibus jam consummatis adventum suum intrepidè opperiri, propositum mutatum iit, & revocato Coloredo, Cæsarianisq; copiis Francofurti in oras, tuendæ Viadri ripæ, remissis, cum veteri suo milite ad Albim iter reflexit; Magdeburgi Urbem toto impetu adoriri certus: Qvò Regem Sveciæ, viribus & militiæ robore imparem æstimatum, in apertum campum eliceret, &, nî Magdeburgi, omni ope destituti, exitium fusq; deq; habuisse videri vellet, subeundæ aciei aleæ vel invito imponeret necessitatê.

Mitslavius Tribunus Arenswaldæ ab hoste opprimitur.

Qvod autem, præter Francofurtum Landsberga qvoq; Cæsarianis adhuc teneretur, Wartæ transitu in novam Marchiam percommoda, Regis ad Svetam castra furtivis à tergo infensare excursibus &, si qvi, in nova Marchia hospitantes, hostium securi negligentiùs agerent, opprimere ex facili fuit. Qvemadmodùm, vergente ad finem mense Martio, Arenswaldæ, ubi Mitslafio Tribuno diribitorium à Rege assignatum erat, contigit: Disturbatis, qvi illic coire cœperant, novis delectibus. Id qvod ipsius Tribuni, & Ducum culpæ imputatum: Qvi portas adversùs crepitaculi seu petardæ convulsiones munire neglexerant.

Rex Francofurtum iter instituit.

8. Nec horum tamen locorum possessione diu lætari hostis potuit. Rex etenim, cujus progressibus Tillius discessu suo latissimum aperuerat campum, Hornium Campiductorem, eò qvod discrimen citeriori Pomeraniæ imminens cessaret, revocans, coadunatisq; omnibus viribus castra ad Svetam mox deferens, bipartito cis ac ultra Viadrum Exercitu, rectà Francofurtum versùs pergebat: Tormentis gravioribus & pontibus resolutis adverso flumine subvehi jussis.

Croatæ Monchebergæ mactati.

Inter viam, Regis mandatu, Tribunus Hallius, ProTribunum suum, cum dimidia legionis parte, Monchebergam præmisit: Cui à Baudisio centum dracones additi, & de Croatis, qvi illic commorabantur, subito opprimendis, in mandatis datum. Sed præsenserant imminentem tempestatem, & dicto ProTribuno cum suis per alteram portam irrumpente, per adversam se proripiebant: Francofurtum citato cursu contendentes. Qvos pari eqvorum pernicitate inseqventes Regii, aliqvammultis, trucidatis, non paucos ceperunt: Impedimentis universis, interq; ea Tribuni pampillo, qvod sejuges candore insignes trahebant, potiti.

Et Zedenici.

Non longo post intervallo Furstenwalda qvoq; & Zedeniccum Regiis patuit: Nec ultimum hoc sine Croatarum itidem strage. E qvinq; enim turmis, qvæ illic hærebant, centum qvinqvaginta capite luerunt: Reliqvis fugâ elapsis, & impediméta, perinde ut superiores, hosti in prædam relinqventibus.

Qvibus diversarum cladium exemplis territus Cratzius Tribunus, à Tillio hinc digresso, cum nonnulla copia, Regis actiones speculatum relictus, traducto Ferbellini transitum milite, in aversam Provinciæ partem & tutiora se recepit.

Francofurtum, hoc temporis statu, integro aliqvot millium Exercitu, sub Hannibalis à Schaumburg, generalis rei tormentariæ Præfecti, imperio castra illîc habente, defendebatur: Qvi, adventu Regis cognito, ad repellendum hostilem impetum, qva poterat diligentiâ, se præparare non intermiserat.

Calendis Aprilis, ominosâ & veteri Germanorum consvetudine ludibrii plenâ die, Baro Tiffembacchius, Cæsaris Campiductor, eòdem venit, & rerum summam suscipiens, domos, casas, torcularia, cum suburbiis & ædibus sacris extramuranis, injecto igne consumsit: Portis Urbis obserari jussis.

Francofurtũ obsessum Rex impetu capit.

Postridiè Rex Urbi propinqvans, exstructarum nuper à Cæsarianis munitionum statum, & qva ratione qvàm commodissimè invadi possent, ipsemet è vestigio speculatum ibat. Eâdem vesperâ hostis, eruptione per portam Gubenensem factâ,

cum

cum Regiis aliqvamdiu velitatus, non sine jactura retro demùm in Urbem compulsus. Sub noctem verò regius miles, insessis suburbiorum ruderibus, propè Urbem se communire cœpit, operas, Cæsarianis jugi plumbearum glandium nimbo neqvicqvam interturbantibus, indefesso & nunqvàm intermisso labore continuans: Adeò, ut, illucescente die, humo satis superq; tectus, impetentium ictus securè sperneret. Tertio Nonarum Aprilis, qvi dies dominicus Palmarum, post preces matutinas & concionem habitam, tormenta in suggestus hinc inde exstructos collocata: Qvo in opere militari Rex, vultu, voce, manu præsens, nec labores ullos subterfugere, nec discrimine absterreri visus. Qvod tamen illorum vis aliqvantulùm differretur, obsessi animosiores facti, non creberrimâ modò tormentorum & longiorum tuborum procellâ in Regios detonare, sed &, suspenso per ludibrium è murorum corona ansere, contumeliosis verborum scommatibus in eosdem debacchari. Regii econtrà, verborum opprobria factis hostilibus pensaturi, humo magis magisq; versùs hostem emoliendæ acriter insistere: Qva enexâ diligentiâ effectum, ut circiter meridiem, accessibus ad Gubenensem portam in nosocomii hortum usq; promotis, hostes munitione, Urbi præstructâ, ejicerentur. Et tunc demùm Rex, commodum tempus venisse ratus, vehementissimo duodecim grandiorum tormentorum impetu in portam isthanc, ruinæ aperiendæ, incubuit. In qvo tumultu, vergente jam ad occasum sole, & hostibus validæ eruptioni bis mille peditibus, & mille eqvitibus eo ipso momento se accingentibus, desubitò sclopetarii nonnulli (qvibus SubCenturio, Andreas Aner nomine, Pegaviâ Misniæ oriundus, admotâ scalâ præiit, mille ob strenuum hoc facinus Joachimicis, & pedestris cohortis præfecturâ à Rege donatus, impressionem magnâ animorum alacritate, præter Regis, qvi vim facere nondum constituerat, mandatum tentant, dumq; propugnatorum oculi & aures, fumo fragoreve circumfusi, officium minùs faciunt, valli levi negotio potiuntur. Rex verò, occasionem rei bene gerendæ fortuitò oblatum cupidè amplexus, cum subsidiario milite suis illicò suppetias accurrit: Cæsarianiq;, vallo ita dejecti, in pomœrium, qvod extimam & interiorem Urbis portam interjacet, mox, invalescente Regiorum vi, hinc qvoq; in ipsam Urbem cedunt. Sed & portæ interioris valvæ à Regiis, successum urgentibus, facilè refractæ, nec hoc modò loco, sed per minus qvoq; ostiolum ad Lebusiensem portam, imò circumcircà muris superatis in Urbem summis viribus facta irruptio. Suborto enim ad Gubenensem portam strepitu, aggressioni signum ubivis datùm illicò erat.

Inter hæc militiæ hostilis Duces ad viriliter resistendum animare suos haud destiterant qvidem: Immissis etiam nonnullis eqvitum alis Regios Urbe iterum exturbare cònnixi. Vana tamen hortamenta omnia, vani conatus ac irriti: Baudisius namq;, cum sua legione, per patentem jam Gubenensem portam, in eqvitem eqves invectus, attonitum successu victoriæ ferox facilè impulit. Ex qvo Cæsariani, hosti ab omni parte irruenti jam manifestò impares, abjectis animis & armis, nil nisi fugam meditari: Regii verò à pugna ad cædem converti. Cum enim illorum pro se qvisq; versùs pontem, qvo Viadrus sternitur, gradum acceleraret, & impedimentorum qvoq; currus magno illuc numero tenderent, omnia trepidâ & cœcâ confusione misceri: Currus, inter sese impediti, fugienti militi viam angustare, tantumq; non obstruere; &, dum prævertere alter alteri nititur, sibi invicem esse obstaculo. Regii autem fugientium vestigiis ferociter inhærere, terga cædentes, &, qvoscunq; offenderent, nullo habito respectu, in primo fervore mactantes: Adeò ut in vicis, ad pontem ducentibus, cadaverum, qvorum unum alteri incubuerat, acervi & tumuli reperti transitum penè inhibuerint. Plurimos qvoq; inter fugiendum à ponte in Viadrum detrusos, dum ferrum evadere satagunt, mortifera non minùs unda hausit.

Ultra pontem, illi defendendo, munimentum Cæsariani excitaverant: Qvod tormentis, qvæ inerant, in flumen projectis, ponteq; cum vicinis ædificiis ac horreis igne priùs corrupto, pariter eodem momento, fugâ dilapsi, deseruêre.

In medio aggresfionis fervore, pulsato bis tympano, bis deditionem obtulisse feruntur; sed à Regiis, qvi ad vim faciendam animis incaluerant, victoriamq; manibus penè jam tenebant, nullam impetrasse audientiam: Qvin etiam misericordiam implorantibus & vitæ veniam orantibus ab neo-Brandenburgicæ cladis memoria irritatis, parcitum iis iri, prout suis illic loci parcitum fuisset, responsum, &, qvicqvid obviam primo impetu venit, neci datum. Tandem octingenti tamen circiter capti: E qvibus insigniores, Tribuni, Sparrius, Morvallius, & Butlarius junior. Numerum interemtorum, qvorum Magistratus Urbis ultra mille septingentos, Regis jussu, terræ mandari fecit, Hedonius Tribunus auxit, cum aliis nonnullis haud infimæ notæ Ducibus. Regii trecentorum militum jacturam passi: Qvasi centum autem, & nominatim Tribuni, Teuffelius brachium, Dargitzius latus, vulnerati. Tormentorum hostilium viginti unum, interq; hæc duo grandiora, Cæsaris Rudolphi nomen & insignia præferentia, tum nongenti pulveris nitrati, mille ducenti plumbi, septingenti funiculorum centenarii, aliaq; belli instrumenta, cum viginti qvatuor signis, & opimâ prædâ in Regis ac regii militis manus devenêre. Cæsarianorum septem pedestres Legiones, una eqvitum, Hedonii Tribuni, hic afflictæ, & tantum non excidium passæ: Qvicqvid verò copiarum trans pontem reliqvum erat, unà cum Campiductore, Barone Tieffenbacchio, Glogoviam Silesiæ majorem, septendecim milliarium tractu, grandibus gradibus, & nullo ordine se recipiens, illic demum, recollecto animo ac viribus, stitit fugam, pedemq; denuò fixit.

Rex victoriam Protestantibus, Lipsiæ congregatis, denũciat: Victoriæ hujus, divinitùs sibi concessæ, Rex Sveciæ protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines, Lipsiæ tunc temporis congregatos, postridie faciebat certiores; eosdem adhortatus: *Arriperent oblatam occasionem, & consilia illi accommodarent. Medios sanè inter hostes de communi Protestantium bono ingenti animo deliberare ausos: Pergerent porrò, &, opportunitate temporis usi, quæ providè deliberaverant, intrepidè in effectum conferrent. Ipsum, qvi ad eluctandum è diutinis malis stravisset viam, neque imposterum defuturum ipsorum necessitati, sed, collatis omnibus viribus, ad eundem finem strenuè iis cooperaturum.*

Separatim Electori Saxoniæ. Separatim autem Rex Electori Saxoniæ, qvi clavum Lipsiensis conventus dirigebat, scripsit; officii illum sui admonens: *Ne Patriæ, corporum animarumq; pressuris eripiendæ occasionem præterlabi pateretur; sed, qvandò viribus cæteris præpolleret Protestantibus, potentiam hanc suam Patriæ commodaret, pulcherrimumq; Religionis simul ac vitæ libertatis assertæ titulum opportunè capesseret.* De se verò Electorem securum esse jussit: *Non ambitione, aut finium propagandorum cupidine stimulantibus, sed gloriâ Dei, propria securitate, & tot millium christianorum salute exigente, arma induisse. Hoc animi hactenùs fuisse propositum. In qvo, quantum ad se, & qvousq; summo Numini conatus suos secundare libitum foret, constanter perseverare, ejusdemve Numinis favore aspirante, ad optatum rem exitum deducere, certus sit.*

Nec non obsessis jam Magdeburgẽsibus. Non minus qvoq; Administratori & Civitati Magdeburgensi, qvorum res sensim in arctum redigebantur, insignem armorum suorum successum significandum duxit, simulq; de Landsberga vi invadendâ conceptum jam animo consilium: *Qvo hostem aut statu suo his oris omninò dejicere, aut à Magdeburgi obsidio abstrahere intenderet.* Eosdem obsecrans: *Ne ægrè ferrent, aut in seqviorem acciperent partem pauxilluli temporis moram; qvam expeditioni huic impendi, & liberationi ipsorum interponi necessum foret. In re enim hac magni momenti & ancipitis aleæ, unde totius belli summa, & omniũ, quorum interfit, salus dependeat, maximâ circumspectione meritò utendum: Imprimis, qvia universæ copiæ, quibus ad hostem aperta vi obsidio Urbis depellen-*

lendum opus, nondum in unum convenerint. Interim animis ne laberentur, sed ita defensionis suæ satagerent: Qvò ipsi bimestris adhuc temporis concederetur dilatio. Spe enim certa niti: Viribus omnibus intra hunc terminum congregatis, Jehovâ, qvi hactenus mirabiliter, præter hominum opinionem & vota bello huic moderatus sit; auspice, data promissorum fide se exsoluturum.

Tillius serò, urbi obsidio levandæ, veniens, retrocedit

9. Et sanè Tillius, de Regis suscepta adversus Francofurtum expeditione admonitus, cum potissima copiarum parte, suis suppetiatum, Regis intentionem sufflaminatum, ab Albi statim movebat. Jamq; Cratzius Tribunus, viginti eqvestribus alis, qvas inter decem Croatarnm, una draconum numeratæ, nec non denis Lichtensteinianorum peditum cohortibus præmissus, septimo Iduum Aprilis Saarmundæ, postridiè Mittenwaldæ fuerat hospitatus; Jam ipse Tillius, qvi militari gradu cum reliqvo Exercitus robore seqvebatur, Guterbocum attigerat, eqvitum ad sexcentos Fürstenwaldâ usq; excurrentibus: Qvandò Regem, expugnato Francofurto, Landsbergæ occupandæ intentum, ad vim, seu excipiendam, seu eludendam interim, abundè se præparâsse, intellexit.

Is enim, de adventu Tillii inaudiens, nec parum solicitus, ne, dum ipsemet Landsbergâ oppugnandâ detinetur, hic aut Francofurtum denuò tentaret, aut, Viadro tramisso, suorum, ad Landsbergam trans Wartam hærentium, tergo incumberet, utrobivis providerat. Francofurti enim munitiones, qvantum festinatio permitteret, magnâ diligentiâ reparatæ: Vallo tigna, qvalia in hostem propius subeuntem devolvi solent, ubivis imposita: Cippi, solo defossi, terrâ altiusculè aggestâ, ac cespitibus præstructis, in loricæ formam redacti; protegendis, qvi ponè stabant, sclopetariis: Et, qvia Bannerium Rex inde avocârat, operâ ejus ad Landsbergam usurus, Teuffelius verò, accepto nuper vulnere tardior, ingruenti necessitati superesse non poterat, cura tuendæ Urbis Leslæo commissa. Porrò ripæ, qvâ Viadrus Crosnâ Francofurtum defluit, cymbis & aliis transmittendi fluvii instrumentis nudatæ, eaq; cuncta Francofurtum abducta: Qvò hostilis Exercitus omni fluminis transeundi commoditate intercluderetur.

Tillius ergò exiguam admodùm prosperorum successuum spem, contra Regem Regiosve, in hoc statu ipsum operientes, superare cernens, mutato consilio ad Albim, qvà venerat, pedem retulit: Magdeburgum vivido impetu aggressurus, Regemq; à Silesia, ac reliqvis hæreditariis, ut vocant, Cæsaris dicionibus hac via aliorsùm retracturus.

Landsberga oppugnata in Regis manus venit.

Rex, ut attigimus, occupato Francofurto, fortunâ, qvæ cœptis ejus mirificè applaudebat, utens, contra Landsbergam arma verterat: Ut transitu hoc Vartæ hosti erepto, ulteriorem Pomeraniam & novam Marchiam hostilium incursionum metu exsolveret, sibiq; magis ac magis redderet obnoxiam. Infessa autem erat Landsberga tribus peditum Legionibus; rubrâ, nimirùm, Saxonicâ, Donavianâ & Wallensteinianâ, nec non undecim alis, & qvatuor ablectorum eqvitum turmis: Qvibus omnibus Præfectus, Cratzius junior, Tribunus, dum intempestivè eruptionem tentat, interemtus, loci deditionem non parùm maturum iit. Omnium primùm ultra Wartam, qvà in Sternbergensem agrũ itur, ad castellum, à vaccis cognomen habens, accessus promoveri cœptus; &, tumulo congesto, duobus semimuralibus tormentis instituta verberatio. Exinde ab altera fluminis parte, præeunte & viam monstrante fabro qvodam, cive Landsbergensi, Cæsarianorum injuria Urbe pulso, & hinc ad hostem profugo, cæteroqvin palustris hujus oræ callidissimo, Warta, commodo loco, ponte è ratibus compacto stratus: Qvem cum ducentis sclopetariis, & totidem Finnonicis eqvitibus tramittens Rex, viaq; hunc monstratorem per uvida &, Cæsarianorum opinione, inaccessa loca secutus, inter dictum castellum ac Urbem medium se stitit, utriq; se interponens, & istud ab hac sejungens. Dum autem in eo est, hostes ex Urbe acriter qvidem erupêre: Sed, utut eqvitatus, ob paludum uliginem, & status angustiam

ad

ad pugnam ferè esset inhabilis, acriùs adhuc à Rege, cum dimidia sclopetariorum parte obviam se ferente, exceptus, cum clade in Ubem rejecti. Reliqvi interim sclopetarii, Regis jussu, Tupadelio Tribuno Duce, in castello vaccino servantibus, à tergo se ostentantes, tantum intulerant terroris: Ut, armis abjectis, ad trecentos, decimoseptimo Calendarum Maji, Regiorum arbitrio se dederent. Nec diu post Urbis qvoq; præsidium, Rege deditionem imperante, ad pactionem, æqvis condicionibus ineundam se obtulit; & obtinuit: Ut postridiè, horâ octavâ antemeridianâ, qvatuor campestres machinas secum trahens, dimitteretur; ad qvintum à Glogovia majori milliare justâ militum manu, inde porrò in ipsam usq; Urbem duorum militiæ Ductorum comitatu rectâ deducendum. Relicti tamen apud Regem bini, è Ducum haud infimæ notæ numero: Qvi & securitatis deducentium, & restitutionis curruum, impedimentis avehendis à Rege præbitorum, & damni injuriarumve ab incolis in itinere abstinendorum prædes existerent. Fidem insuper exeuntes dedêre: *Intra octo mensium spatium arma adversùs Regem haud laturos.*

Obsidium hoc & deditionem insignivit: Qvod obsessorum in Urbe longè plures fuerint, qvàm ipsorum, qvos Rex ex omni Exercitu delectos non adeò magno numero, & vix ultra bis mille secum habebat, obsidentium. Unde, dum exspectatione celeriùs ad pactionem descenditur, non minima Regis cura fuit: Qvomodò præsentes copiolas disponeret, & qva ratione expanderet frontem; ita, ut ne Cæsarianis discedentibus ordinum raritudo, & militum paucitas proderetur? Qvanqvam paulò ante hostis excessum, dum reculis suis convasandis moram trahit, diversarum Legionum, raptim accersitarum, adventus hac eum solicitudine exoneraverit.

Lipsiensis conventus.

10. Haud dudum Lipsiensis conventus mentionem fecimus: Cui qvia sub hoc tempus, dum Regi circa Viadrum ad vota res fluunt, protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines colophonem imposuêre, necessitas exigit, ut, qvid consilii illic cursum, paucis & summatim perstringamus.

Ejusq; causæ.

Qvem in modum dicti Electores, Principes, Ordines prægravibus, militum hospitiis, enormibus exactionibus, & excessibus non ferendis à Cæsaris ac Pontificiæ Ligæ, ut vocatur, Exercitu pressi hucusq; & tantùm non ad incitas redacti fuerint; qvomodò tandem his omnibus ultima pestis, & velut malorum coronis, qvâ funditùs exscinderentur, Edictum, nimirùm, Anno millesimo, sexcentesimo, undetricesimo promulgatum, ejusq; severa, nec ullis mediis sufflaminanda, executio successerit; tum qvæ insignis, ad desperationem penè vergens, diffidentia in hominum animis inde suborta sit, jam superius tetigimus, nec in re toti Imperio manifestâ multiloqvio opus.

Diffidentia hæc non parum incrementi ceperat, postqvam in conventu Electorum, Ratisbonæ Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo habito, illis fuerat perspectum: Cæsarem intentioni suæ tenaciter inhærere, nec ab Edicti rigore ullatenùs posse diverti. Econtrà adversùs Cæsaris & Pontificiæ Ligæ molitiones ne verbulo mutire qvidem, nedum arma opponere ausis, redibat appulsu Regis in Germaniam animus, & spes à malis præteritis respirandi, emergendive ex incumbentibus difficultatibus.

Unde primorum protestantium Electorum, Principum, Ordinum Legati jam tùm, capitibus inter se collatis, amicæ compositionis, qvæ in omnium ore versabatur, cum Pontificiis ineundæ prætextu, de Protestantium aliqvâ congregatione, arctioreq;, tum animorum, tum armorum conjunctione, clàm consultare cœperant.

Elector qvoq; Saxoniæ, qvemadmodùm suprà diximus, ad spartam hanc suscipiendam induci se passus, durante adhuc Ratisbonensi conventu, Cæsari, Edictum præfractè obstinanti, nec ullis humanioribus mediis aut remediis locum relinqventi, scripto intimatum ierat. *Majorum exemplo sibi fixum animo; cum reliqvis protestantibus Electoribus, Principibus, Ordinibus certo atqve commodo loco conveni-*

venire, & deducere in disquisitionem: *Qvanam via, salebroso hoc rerum statu, Patriâ, conscientiâ, fama & honore salvis, capessenda foret; ut nec in DEI Opt. Max. cultum, aut Ecclesiæ orthodoxæ laborantis commodum, & subsecuturæ posteritatis memoriam impingeretur, nec in cæsaream Majestatem?* Ad hæc, qvia Cæsar nuperis literis subsidia adversus Regem Seciæ postulârat, recensitâ prius & Cæsari velut exprobratâ militis petulantiâ, qvâ Germaniam hucusq; afflixerat, tum vecordiâ, qvâ Regi irrumpenti aditum reseraverat, *qvicqvam pecuniæ, commeatus, aut rei tormentariæ, qvo hactenus ab Electoribus, Principibus, Ordinibus exacta erant, modo, ad bellum conferre, aut in suis dicionibus Cæsaris militi hospitia concedere*, expressis & satis aculeatis ac penetrantibus verbis, renuebat; paulò contumaciùs, qvàm ut deprecari videretur: Alterationem affectus, qvam corde fovebat, non premens jam ampliùs, & diversa à prioribus consilia volutare, haud obscurè demonstrans.

Nec minùs, regiis armis, qvò longiùs, eò magis magisq; invalescentibus, in apertum (qvod hactenùs nondum ausa) proruperat Electoris Brandenburgici, ob cæsarianorum militum insolentiam & excessus concepta animo, indignatio: Minimè ulteriùs illis connivendum censentis, sed, *qvicunq perpetrarent, persequi, manu injectâ comprehendere, imò resistentes interimere, adeoq vim illatam vi contrariâ repellere*, Subditis, affixo publico diplomate, injungentis.

Color tamen & prætextus Protestantium conventui ab amicabili, qvi cum Pontificiis præ foribus erat, tractatu & transactione de bonis ecclesiasticis ineundâ, unicè qvæsitus. *Necessarium*, nempè, *videri; ut Protestantes priùs inter se, tractatui maturando, coirent, amicè de instanti negotio collocuturi, & consilia invicem collaturi: Ne rem tantam illotis, qvod ajunt, manibus, & imparati, aut dissona intentione postmodum aggrederentur.*

Indictio. Sub hoc ergò prætextu, & hac causâ literis solummodò expressâ, ab Electore Saxoniæ, universis & singulis protestantibus Imperii Romani Electoribus, Principibus, Ordinibus, ad ultimum Idûs Februarii, Lipsiam dies, qvâ convenirent, dicta: Nec, qvos reformatæ Religionis vocamus, utut Saxoni cum illis parum hactenùs convenerat, oblivione tramissi; sed ut communis necessitatis & negotii, universos concernentis, onus humeris & ipsi suis succollarent, similiter invitati.

Qvi etiam ad terminum præfixum, pars ipsimet, pars per Legatos, sine mora, insigni numero comparuêre.

Ut autem paucula, & proposito solùm nostro inservientia, de communibus conventus hujus actis delibemus, totius consultationis cardo in duobus maximè articulis versabatur. Primò deliberatum de dissidiorum, qvæ inter Protestantes & Pontificios suppullulârant, seminibus, variisq; ex Edicto Cæsaris, Anno millesimo, sexcentesimo, undetricesimo promulgato, in Protestantes restagnantibus gravaminibus ac incommodis. Tum secundò, de inauditis antehac, nec ferendis diutiùs pressuris, tributis, exactionibus, hospitiis militaribus, vago & inordinato militum transitu, aliisve belli ac militaris licentiæ fructibus, sat acerbis: Qvæ contra Legis regiæ seu cæsareæ capitulationis tenorem, Imperii Constitutiones atq; Recessus, Ordinum immunitates & privilegia, avitam Libertatem, servariq; olim svetum ordinem tot annorum protelo, sine ulla intermissione à Cæsarianis continuaverant. Acta cômunia.

Utrobiq; amicam viam armis præferre, & in primo qvidem articulo, *ad tractatum, qvi cum Pontificiis hac de re instabat, se sistere, deq temporis ac loci, qvibus conventus partium indiceretur, designatione eorundem arbitrium præstolari*, visum. Ut ne Protestantium tamen commodum interim haberetur insuper, sed, molestissimâ cæsarei Edicti executione sublatâ, ad pristinum omnia statum reducerentur, ac ita dicto tractatui eò commodior sterneretur via, unanimiter inter protestantes Electores, Principes, Ordines conventum: Tàm Cæsarem, qvàm pontificios Imperii Electores literis comiter compellandum, petendumq;. *Sustinerent manum à decernendis, vi memorati Edicti, ulterioribus*

ribus commissionibus & executionibus; imò earum, qvæ in via jam erant cursum sufflaminarent potiùs, & omnia in antiqvam faciem, cumprimis autem protestantes Civitatis Augustanæ incolas in pristinam Religionis restituerent libertatem.

Qvoad alterum articulum, similiter, qverelas suas in Cæsaris sinum deponere, & ad cæsareæ protectionis aram confugere, decretum.

Qvæ literæ, maximæ illæ ad Cæsarem, licet, qvantum ad consveta solennia, humaniter & debitâ reverentiâ conceptæ viderentur, acerbis tamen ac dentatis verborum formulis, qvæ teneras aures facilè læderent, prætereà refertæ reperiebantur. Inter alia Cæsari oggestum: *Avitam Germaniæ Libertatem impensè ac sine intermissione pressam, cangustatamve; valida religiosæ profanæq; Pacis fulcra subsedisse impulsa, & vitium fecisse; Imperii constitutiones, Circulorum placita, alias Ordinationes, Leges, obnubilata, spreta, planissimève à Recessuum, qvæ vocantur, præscripto, recessum.* Hæ & similes formulæ animi dolorem atq; ægritudinem, ulteriori mentis involucro altè repôstam, luculenter prodiderunt.

Non minùs Decretum; qvo inter se pacti: *De milite, secundùm circularium Legum tenorem, conscribendo, nec non nobilium vasallorum servitiis eqvestribus & provincialium delectu innumerato habendis; de belli ærumnis & molestiis, qvas hactenùs devoraverant, haud ampliùs tolerandis, sed, si miles cæsareus vim intentaret, subditis, qvorum curam summus rerum arbiter unicuiqve demandasset, adversùs hanc, utpote Legi regiæ, Imperii constitutionibus, & Paci publicæ contrariam, pro virili parte tuendis; deniqve de mutuis suppetiis, ad præcedentem unius aut alterius, ab hoste laborantis, instantiam, ferendis.* Qvæ omnia in literis ad Cæsarem adeò non dissimulatione tramissa, ut potiùs expressissimam eorum mentionem fecerint.

Electoris Saxoniæ fervor, & pro re Protestã-tium publicâ impensa cura.

Saxoniæ verò Elector in consultationibus his singulari ardore ac zelo ferri visus. Dum enim nonnulli protestantium Ordinum planè non comparent, aliorum, maximè Civitatum imperialium, Legati de sciscendo militum delectu, qvicqvam in mandatis sibi datum negant, nec, nisi ad referendum, qvod agebatur, suscipiunt, ipse, minimè cunctabundus, in hanc prorurupit sententiam: Ut, *copias aliqvas contrahere, &, adjuncto provincialium delectu, (qvem, necessitate exigente, augere in animo haberet) se ac suos, contra injustam vim, qvantum in ipso foret, defendere,* animo sibi constitutum declararet. *Aliis qvoqve superioris Saxoniæ membris, si infestarentur, maneris sibi, ut summo Circuli Duci, incumbentis ratione, haud defore* pollicitus: *Hac tamen lege, ut, pro virium suarum modulo, defensioni æqvè se accingerent.* Qvin *finitimis qvoqve Circulis, dummodo, suo qvisqve loco, arma pariter induti, mutua repromitterent auxilia, subsidiorum, qvatenùs circularibus placitis, & executionis* (qvam vocant) *ordinatione ad ea præstanda obligaretur,* certam spem faciens: Demùm, *si qvis doctrinam, qvam Majores ante seculum Augustæ Vindelicorum confessi & professi fuerant, exstirpare conaretur, eo casu oppressos minimè deserturum, sed qvicqvid divinæ gloriæ asserendæ, & divino verbo conservando faceret, summis viribus operam daturum, summâq; in eo perseveraturum constantia, disertè testatus.*

Qvod tamen crebri tot Ordinum conventus, & lento gradu procedant, & ingentes absumant impensas, & consultationes, in qvibus mora sæpè nociva, in longum extrahant, ideò, ad expeditiorem armaturæ rationem ineundam, *certos ex omni Ordinum numero eligi,* decretum: *Qvi, à reliqvis sufficienti mandato instructi, qvandocunqve opus foret, inter se coirent; occurrentium rerum momenta ponderaturi. Hi qvicqvid è re omnium arbitrarentur, omnes ratihaberent: Communibus consiliis ac viribus ad ejus executionem sine fraude & effugio ullo collatis.*

Toti autem actui solennnissima protestatio, *Conventum & armaturam Protestantium in Cæsarem, ut supremum Ordinum Imperii caput, nil hostile machinari,* annexa: *Hunc enim debitâ protestantes Electores, Principes, Ordines reverentia colere, nec ab ejus obseqvio unqvam discessuros.*

Elector Saxoniæ decretum cōventus Cæsari transmittit.

Ea propter qvoq; Saxoniæ Elector, ut conventus moderator, Decreti, de qvo convenerat, exemplar descriptum Cæsari, tanqvam supremo omniū Domino, honoris & observātiæ ergò transmisit; adjectis precibus. *Ne Protestantium querulis & justis suppliciis obturaret aures; sed, absq; ulteriori procrastinatione, pressuris eorum mederetur, avitaq; Libertate in priorem gradū reposita, eò consilia ac autoritatis suæ aciē intenderet: Ut Electorum, Principum, Ordinū dignitate, honore, eminentia, juribus, privilegiis, immunitatibus sartis, tectis, Imperii etiam Constitutionibus atque Legibus, qvibus id velut fundamēto nititur, inconcussis, omnis inter Ordines diffidentia tolleretur è medio, & dissidia, qvæ bonorum ecclesiasticorum causa irrepserant, amica via componerentur.*

Theologorū, Lutheranæ & reformatæ doctrinæ colloqviū.

Durante conventu, qvia congregati Electores, Principes, Ordines non unius omnes Religionis, sed maxima pars Lutheri nomen professi, nonnulli autem reformatæ (ut appellitant) doctrinæ addicti, qvos commune discrimen in unū hac vice compulerat, inter Theologos qvoq; amicum colloqvium institutum. Ansam ei reformati dedêre, Electoris Brandenburgici, & Gulielmi, Hassiæ Landgravii, Theologi ac Concionatores aulici, D. Johannes Bergius, D. Johannes Crocius, & Theophilus Neubergerus; Electoris Saxoniæ protoMystam, D. Matthiam Hoe ab Hoeneck, ambosq; primarios in Academia Lipsiensi Theologiæ Professores, D. Polycarpum Leiserum, & D. Henricū Hopffnerum, ad placidam controversorum articulorum disqvisitionem invitantes: Nec hi, Electoris tamen Saxoniæ, ejusq; secretiorum Consiliariorum auctoritate ac consensu accedente, eam detrectârunt Provinciam. Congressi itaq; inter se à qvinto Nonarum Martii, ad decimum Calendarum Aprilis: Non eâ qvidem mente, ut summo Magistratui, aut aliis, qvorū interest, Theologis, multò min⁹ toti utrinq; Ecclesiæ aliqvod crearetur præjudiciū; verùm ut patesceret saltem. An, & qvatenùs utriq; in viginti octo articulis confessionis Augustanæ convenirent? Et num sperandum foret? Accedente aliorum Theologorum suffragio, imprimis autem Christiani & summi Magistratus auctoritate, doctrinæ divortia tolli, arctioremve aliqvam unionem uniri posse: Ut hac ratione constabiliretur vera DEI Ecclesia, & Pontificii spe secundorum successuum, qvam non magis in propriarum virium fiduciâ, ac adversariorum dissidiis collocârant, evolverentur. Qvousq; jam inter eos conven rit, percensere nostri instituti non est; Utut verò per omnia in unam non potuerint conspirare sententiam, attamen, *semotis affectuum aculeis, christiana charitate alter alteros complexuros*, sanctè invicem repromisisse, ex actis constat.

Clancularius Regiorum tractatus cū Protestantibus.

11. Et hæc qvidem inter protestantes Electores, Principes, Ordines, communiter atq; palàm Lipsiæ gesta. Clanculum insuper Rex Sveciæ suarum partium eò miserat: Ordinum indignationi adversùs Cæsarem conceptæ stimulum addituros, eosq; singulatim, præ aliis verò omnibus Saxoniæ Electorem, qvi vel huc, vel illuc propendens maximum rebus poterat adjicere momentum, ad percutiendum arctius cum Rege fœdus animaturos.

Regiorum postulatorum tres fuêre gradus: Qvorum supremus omnium in aperta ac omnimoda conjunctione consistebat. *Protestantes*, nimirum, *Electores, Principes, Ordines bello, pro defensione Libertatis gerendo, se, qvàntū qvisq; polleret, accingerēt, regiisve armis jungerent arma: Regem igitur omnibus suis viribus accedere iis paratum, & extremam fortunarum vitæqve aleam pro aris, fociscque ipsorū subiturum. Requiri autem hoc casu: Ut in scriptum redigeretur de hac conjunctione certo pacto inita conventio; tum ut Protestantes belli fundamenta, seu armorum suorum viriumqve conditionem ac statū Regi, candidè, sine fuco retegerent; deniqve, ut consilia qvoqve fideliter cū eo communicarēt, animi sui sententiam expromendo. Qvò locorum regia arma transferri, & sedem belli porrò figi, è re communi, qvàm maximè arbitrarentur?* Qvod si hîc scrupulum aliqvem haberent Protestantes, alter gradus priori inferior erat: *Ut, societate cum Rege propalam qvidem haud initâ, arma nihilo seciùs induerent; conscripto, Libertatis tuendæ, Exercitu. Regis interim conatus,*

P

tus, certâ qvotmensibus pensitatâ pecuniæ summa, clam jussulcirent: Eosdem si non palam approbantes, certè nec improbantes; Sed, tum libero transitu, tum commeatu & pabulo, qvin etiam, si necessitas exigeret, receptu in Urbes & munimenta sua præbitis, omni favoris genere prosecuti. Hostem econtra, nec tributo imposterùm collato, nec diribitoriis, hospitiis, transitu concesso, ullatenùs foverent. Sin nec id ad eorundem gustum: In speciales tractatus cum unoqvoq; Ordinum seorsim descendere, *arctiorisq; amicitiæ cum Rege ineundæ, atqve pecuniarii subsidii, clanculùm impetrandi,* Delegati satagere jussi. Et qvia certa magnæ dignationis persona receperat, persvasuram Electorem Saxoniæ, ad mutuò dandum ingentem præsentarii argenti summam; belli hujus, in qvo omnium salus & ipsius veræ Religionis cardo vertebatur, usibus impendendam: Ideò iisdem injunctum, *collato cum dicta persona sermone de mutuatitio hoc argento, cujus summa vel ad millies mille Joachimicorum, si impetratu possibilis, extendenda foret, certis legibus convenire, concepto contractus instrumento; qvod Rex postmodùm, re ad ipsum delata, ratiesset habiturus.* Non minùs Rex suis, de Magdeburgensium Urbe, qvam Tillius, qvò diutiùs, eò validiùs premebat, cum Electore Saxoniæ, ut vicino & flammæ proximo, speciatim tractare, in mandatis dederat: *Ut, delectu militum habendo, & commeatu, pulvere nitrato, aliis, ad defensionem necessariis, introducendis, illi subveniretur.*

Qvantum jam ad Electorem Saxoniæ, qvem in partes traduci Regis maximè intererat, is sanè tractatum hunc, inter ipsum & Sveciæ Regis ministros vario motu agitatum, adeò secretò haberi voluit; ut neminem natum hominem, & ne interioris qvidem admissionis Consiliarios (ipsius Electoris opinione, Cæsari ultra modum obnoxios) ejus participes fieri pateretur: Theodorico à Tauben, supremo stabuli Magistro, excepto; in qvo tantum fiduciæ reposuerat, ut admitteret ad arcanorum hæc adyta.

Nec, qvi pro Rege apud Electorem desudabant, officio suo deerant: Variis ac validis rationum momentis ejus animum, jam vacillare visum, sententiæq; incertum, in regias partes impellendo, ac genuinam imprimis Regis intentionem, ad qvam armis suis collimâsset hactenùs, & adhucdum collimaret, ob oculos eidem ponendo. *Regem,* nimirùm, *non alio fine induisse arma: Qvam ut illatas multimodis à Cæsare injurias & hostilitates, ferro vindice perseqveretur, mediisve imposterum nocendi præcisis, ac formiduloso hoc vicino longiùs submoto, suas, Regnive sui rationes in tuto collocaret; tum deniqve summa iniqvitate oppressis consangvineis aliqvam adjutabilem ferret opem. Nec adeò longulè sanè à scopo privatæ utilitatis abesse videri, eumve propriis viribus, nullo aliorum auxilio accidente, attingere certum: Qvippe qvi littoralem Germaniæ oram firmo jam vestigio premat, & primarias qvasqve Urbes, locave, maximè Viadri in mare se exonerantis caput armis amplexus, commoditate insuper maris baltici potiatur. Per hoc enim è Regno & dicionibus, à tergo jacentibus, militem, commeatum, pecuniam, aliave belli, seu statim gerendi, seu ducendi instrumenta, brevi trajectu nunqvam non suffectum; & sic armorum hanc telam aliqvammultos in annos haud difficulter continuatum iri: Donec adversa pars, tædio belli, æqvæ ac tutæ Paci præberet aures. Id verò Regi solùm esse cordolio; qvod moles bellicorum incommodorum in neminem magis, qvam Protestantes & amicos suos redundet: Qvorum provinciæ partim sedem & domicilium bello præbeant; partim continuis exactionibus, tributis, diribitoriis, militum transitu, hospitiis, hibernaculis, similibus, ab hoste emacientur, magnove cum præjudicio rei Protestantium publicæ, tantùm non pessum eant. Hinc ob causæ similitudinem & continentiam, metuve periculi, qvod, post oppressos Imperii Ordines, & sub absolutũ dominatus jugum redactos, vicinis qvoq; Regibus, Principibus, Rebuspublicis immineat, eidem, data occasione, gratissimum fore: Si arma ejus, in Pontificiorũ terras translata, commodo potius Protestantiũ, ac oneri cederent. Ejus autem nullam expeditiorẽ reperiri viam: Qvã Protestantibus, & vel maximè Saxoniæ Electore, communi operi unanimi consensu pariter manũ admoventibus.*

Nec tamen Regem, de Imperii statu alterando, aut in aliud Rerumpublicarum genus transformando, qvicqvam agitare; nec cum Imperii Ordinibus, nisi ut amicus, qvicqvam ei negotii: Et nihil æqviore animo passurum; qvam ut, pristina administrationis forma sarta, tecta manente, secundùm fundamentalium Legum, Capitulationis cæsareæ, & Constitutionum imperialiũ, cũprimis religiosæ & profanæ Pacis regulã id gubernetur imposterùm. Multò minùs sibi ascribere, aut imaginari Religionis & verbi divini armis propagandi facultatẽ. Verùm hoc unicè qværere: Qva ratione vicini, ejusdem Religionis cõsortes, bonis fortunisq; suis relicti, fida deinceps qviete & securitate fruãtur; religiosa ac profana Pace, velut solidis hujus securitatis fundamentis, minimè convulsis & incõcussis.

Electoris Saxoniæ subhoc intentio. Ad hanc Regiorum Legatorum propositionem, & rationum adductarum pondera Elector Saxoniæ generatim qvidem amore & benevolentiâ non mediocri Regem se complecti ostendebat: Pium & laudabile ejus propositum summis in cœlum laudibus efferens; simul, ut devotum, Patriæq; amantem Principem decet, Religioni veræ ac incorruptæ, tum avitæ Libertati conservandis, tuendisve, nec non stabili Paci atq; pristinæ securitati reducendæ, fideliter cooperaturum, largiter pollicitus. Qvandocunq; verò regii Ministri, aliqvantò instantiores, ad rem ipsam propiùs descenderent, & specialem declarationem urgerent, semper hæsitare deprehendebatur, nec qvicqvam certi aut constantis responsi ab ipso elici poterat: In qvo, velut stabili solo, firmum rerum suarum fundamentum Rex collocaret. Et qvanqvam, intervenientibus crebris Cæsarianorum offensiunculis, injuriisve, sæpiculè, effervescente bile, dira & extrema qvæq; iis minitaretur: Detumente tamen mox irâ, refrigescebat hic qvoq; impetus. Summatim ut dicamus, & qvod res est, Elector Saxoniæ consilia sua eò dirigere visus: Ut & amicum retineret Regem Sveciæ, auxiliorumve ab eo spem, sicubi opus forsan iis foret, sibi minimè præcideret; nec Cæsarem tamen offenderet, aut, nisi extrema necessitate adactus, haberet hostem. Mutuatitiâ verò pecuniâ qvod attinet, oleũ & opera omnis frustrà impẽdebatur; nec expectationi ullâ parte respõdebat evẽtᵘ.

Elector, Magdeburgo cõmeatum & nitratũ pulverem per fines suos inferri, patitur. Qvoad Magdeburgenses nihilominùs consenserat Elector: Ut, qvicqvid in eorum usum nitrati pulveris comparabatur, sub nominis sui umbrâ in præfecturam Gomern, Magdeburgo proximam, deveheretur: Unde postmodùm, datâ commodâ occasione, unico celeri tractu, priusqvàm hostis, aut resciret, aut se interponeret, in Urbem inferri poterat. Qvinimò, clanculario ipsius permissu, frumenti non mediocris copia, Barbyæ repósita, à Magdeburgi præsidiariis, munitiones suas egressis, Urbi importata.

Qva occasione Comes Ladronius à Regiis oppressus. Inter qvæ res, notatu non indigna, contigit. Ducenti sclopetarii & totidem pulveris centenarii Magdeburgũ destinati erant: Jamq; pulvis in præfectura Gomern paratus stabat, à dicta militum manu, raptim illac transeunte, deducendus; consilii executione Gugelio cuidam, Noribergensi, Falckenbergii Præfecto rei familiaris, unà cum aliis militiæ Ductoribus, demandatâ. Gugelius autem hic inter vias, Comitem Ladronium, adversæ factionis Tribunum, in Witebergensi suburbio hospitantem, offendens, explorato ejus itinere, qvod, paucis comitatus, ad castra Cæsarianorum, qvibus Magdeburgum clauserant, naviculâ, secundo Albis flumine, tenderet, rem, curæ suæ commissam, insuper habuit, & Comiti struxit insidias. Lembum enim nactus, ac viam cũ nonnullis, qvot visum, sclopetariis, anticipans aliqvantulùm, propè Dessaviense munimentũ, in conspectu penè excubitorum, imparatum, & nihil minùs, qvàm vim hostilem jam ampliùs timentẽ, occupavit, cumq; omni comitatu occidione occidit: Opimam prædam, & qvia Monachio Bavarorum veniebat Padronius, aliqvid secretiorum forsan literarum se inventurum ratus. Sed qvoad literas animo omninò fallebatur; & ne præda qvidem spei præceptæ per omnia par erat: Interim occasio cõmoda, militis & pulveris nitrati Magdeburgo inferendorum prælapsa, calvitium ei ostenderat. Nec diu post, Lipsiam redux, & acriter eâ de re increpitus, pestilentisq; febris, qvâ animam efflavit, contagio correptus, in

P 2 delirium

deliriū simul, & vehementissimas animi tentationes incidit: Comitis Ladronii & reliqvorum, qvos injussus neci dederat, capitibus, velut sphæris ad conos projectis ludere, sibi visus. Maximè tamen illum angebat: Qvod, mandati præscripti carceres transiliens, si Magdeburgi Civitas, pulveris nitrati militumve defectu hostium potiretur, magnam partem culpæ hujus reus foret. Qvæ tentationes adeò invaluêre; ut vix ullam consolationem admiserit: Cessêre nihilominùs circumstantium tandem precibus, animaq; jam vasa colligens, in se rediit; placitum & christianum exinde sortita exitum.

Idem ad regiorum delectus connivet, Ultra hæc connivit Elector Saxoniæ: Ut delectus, qvi, Regis nomine, ad Magdeburgensium usum habebantur, clanculùm & sparsim in dicionibus suis, hinc inde, hospitarentur. Dissimulatione insuper tramittens, sicubi in Cæsarianos excurrerent, prædamq; de illis agerent: Eâ tamen cautelâ, ne intra finium suorum ambitum eos aggressi spoliarent, aut trucidarent.

A qvibus SubTribunus Chiesa interce-tus. Parum autem abfuit, qvin, improvidè se gerentes Regii, plaustrum perculerint, & Electoris indignationem provocârint; Chiesam SubTribunum, qvi, ob expugnationem Urbis Mantuæ, muralis coronæ loco, eqvestre à Cæsare decus, strenuè navatæ operæ præmium, retulerat, ex ArchiEpiscopatu Magdeburgensi Viennam properantem, & in molatrina, Bohemiæ confiniis proximâ, interqviescentem, opprimendo: Qvanqvam, mandatorum electoralium velut memores, hoc loco captum, paulò ultra limitem in Bohemiam abduxissent, ibiq; demùm mactassent. Id qvod ab ipsis factum; qvia eqvos, pernicitate insignes, alere noverant: Verebantur ergò, ne, si, luce exortâ, qvempiam illorum conscendere, & confinia, ex Electoris mandato, transire virum militarem paterentur, manus eorum evaderet. Sed non omninò Electori hac ratione satisfactum: Qvi à Cæsarianis, de injuria, & nece hominis non protectarii vindicandâ interpellatus, in Regios acriter stomachabatur, propèq; erat, ut fines suos iis interdiceret.

Literæ in Electorē, & alios Literæ tamen apud eundem SubTribunum Chiesam repertæ: Qvibus non modò insolentes Cæsarianorum in Burggraviatum Magdeburgensem, Wolffgango Mansfeldiæ Comiti ambitum, molitiones, sed & aculeata in Electorem ipsum, & reliqvos Protestantium Procerum ac Ordinum dicteria continebantur. Hæ Electori oblatæ tranqvillârunt ortos motus, & mitigârunt ejus iram; isthac vice Regiis veniam dantis: Ita tamen, ut cautiùs imposterùm mercarentur. Protestantes aculeatæ apud hunc repertæ.

Publicè & propalàm Elector Magdeburgensibus opitulari detrectat. Et, in hunc qvidem modum clanculario, sicubi occasio erat, favore Magdeburgensium necessitatem sublevabat Elector Saxoniæ: Ulterius autem ut progressus, Rubiconem transiret, Regi Sveciæ copias suas ad liberandam Urbem conjungendo, aut saltem ttansitum per dicionem suam & trans Albim concedendo, commeatuve, ac aliis rebus necessariis adminiculando, neq; hoc tempore, neq; postmodùm, finito Lipsiensi conventu, discrimine indies augescente, & interitu Civitatis sensim magis, magisq; appropinqvante, licet seriò à Rege flagitatus, induci potuit.

Aliorum Protestantium ad Regis postulata declaratio. Præter Electorem Saxoniæ, inter Protestantes, qvi Lipsiæ convenerant, Electores, Principes, Ordines, Gulielmus, Hassiæ Landgravius, jam ante menses aliqvot cum Rege peculiarem necessitudinem contraxerat. Reliqvorum pleriq; in Saxonem, diversis tamen affectionis gradibus, converterant oculos; ad ejus nutus consilia sua aptaturi: Nec à Regis tamen mente alieni reperiebantur; si modò per hostium vim liceret, cum Rege, & amicitiæ jura sarta, tecta conservare, & fœdere qvoq; jungi, paratos se professi. Interim, dum occasio ad hoc aperiretur, arma induere, & bello se accingere pollicebantur: Calculo in qvadragies mille bellatorum, totidemq; penè provincialium, qvi in subsidium armari debebant, subducto, rationem militiæ satis amplam ineuntes. Qvæ tamen à Cæsarianis dispuncta, & ingens illa armatura maximam partem levicuło exitu, ut inferius patescet, terminata fuit. De subsidiaria autem pecunia impetranda in cassum apud Ordines laboratum: Ærario plerorumq; vacuo, & tributis, extra ordinem mox imperandis, vix militiæ, qvam agitabant,

bant, instruendæ ac alendæ suffecturis. A privatis tamen nonnullis, Religionis ac Patriæ amore, summa haud temnenda, mutui titulo, subministrata: Qvam novi Schlammerstorffianæ & aliarum Legionum delectus partim absumsêre.

Inferioris Saxoniæ Circulus Lipsiense decretum amplectitur.

12. Peracto Lipsiensi conventu, inferioris Saxoniæ Proceres ac Ordines, haud longo intervallo post, seqventi, nimirùm, mense Majo, separatim coiêre in unum, nec obstantibus Tillii, qvi à proposito eos divertere satis anxiè laborabat, monitis, Lipsiensis conventus acta & decretum, tanqvàm Imperii Recessui, Anno millesimo, qvingentesimo, qvinqvagesimo qvinto, placito, consona, calculo suo per omnia comprobârunt; sancientes: *Ut, secundùm circularium Legum tenorem, & executionis*, qvam vocant, *ordinationem, miles aliqvis, ad qvinq; circiter mille capitum, conscriberetur.*

Pontificii, fœdere juncti, nova arma expediunt

E contrario Pontificii, qvos Religionis necessitudo in fœdus jampridem coegerat, ipsi qvoq;, conatibus Protestantium infringendis, Dünckelspülam, ad eundem mensem Majum, diem conventui edixerant: Decretumq; inter istos. *Hæc, qvam Protestantes in literis, Lipsiâ ad Electores Pontificios datis, innuerant, intentione neutiqvam in tractatus ullos cum iis descendendum; nec novam Religionis Pacem* (qvorsum Protestantium postulata trahebant) *sanciendum, aut plus, qvam Passaviensis compositio* (ipsorum scilicet opinione) *in ore ferret, Protestantibus indulgendum: Qvin potiùs bello gerendo acriter intendendum animos, viresq;, &, qvia Cæsar de ulterioribus subsidiis præstandis scripto eos compellârat, reliqvo Exercitui, qvi jam in procinctu stabat, tres adhuc peditum Legiones, eqvitesq; bis mille, novo acto delectu, adjiciendum.*

Et tantum de conventu Lipsiæ, à protestantibus Imperii Electoribus, Principibus, Ordinibus habito; qvæq; indidem dependent.

13. Jam ad Regis expeditiones regrediamur: Qvi, Landsbergâ in potestatem redactâ, è vestigio Francofurtum se retrò contulerat. Nihil autem post tot prosperos successus, illi curæ magis aut cordi, qvam obsidio liberare Magdeburgum; cui disperdendæ Tillius totâ virium mole jam incubuerat: Hoc dies, noctesq; agitare; hæc consiliorum ipsius, pro tempore summa, hæc prora ac puppis esse.

Ultimæ Regis ad Magdeburgenses literæ.

Nec ipsis Magdeburgensibus, qvò jam penè fatiscentes animaret, dissimulavit: Datis ad eos literis, *in eo se totum* ostendens; *ut viribus* (*qvanqvam labore continuo attritæ intermissa potiùs qviete opus habere viderentur*) *in unum, nullâ interposita mora, contractis, spe auxiliorum, à Saxoniæ Electore impetrandorum, ad ipsos liberandum rectà properaret. Sustentarent itaqve adhuc per tres saltem hebdomadas; nec, præcipiti deditionis consilio, intentionis suæ præverterent maturitati, & sibimet pœnitentiâ adsciscerent comitem. Enimverò certam fovere fiduciam, modò alii qvoqve officium suum facerent, omnia prosperè & ex voto successa.*

Regis Spream, Havelâq; vers⁹ iter, & primus cum Electore Brãdenburgico tractatus.

Ea de causa cum Saxone etiam & Brandenburgico, Electoribus, summâ industriâ tractare utrinq; institerat; & cùm hoc imprimis, de munitionum, qvæ Viadrum ac Havelam velut compedibus illigant, Custrin, scilicet, & Spandoæ, traditione: Qvod iter Magdeburgum versùs, ut periculosæ plenum aleæ, nisi tuta omnia à tergo relinqverentur, & de receptu sibi esset cautum, minimè gentium tentandum videretur. Hæc ergò, aut in potestatem suam omninò redigi, Rex allaborabat, aut certè militem aliqvem à se intrò admitti: Qvi junctim, unà cum Electoris præsidio, loca tueretur; uterq;, tam regius, qvàm electoralis, utriq;, & Regi & Electori, sacramento addicendus.

Elector qvidem per Delegatos suos, Sigismundum Götzium, Cancellarium, & Conradum Bertramum Phulium, sexto Calendarum Maji, qvoad Custrinum, sententiam suam Regi aperuerat; ab ejus desideriis non adeò abhorrentem, & in eum ferè sensum, qvo deinceps conventum: De Spandoa verò in impedito res adhuc erat. Noluit ergò Rex diutiùs tempus inutiliter terere, sed Francofurto & Crosnâ, qvæ Francofurtum, procestriorum instar, eminùs præmuniebat, præsidio

sidio firmatis, parteq; copiarum, Viadro ac Pomeraniæ tutandis, ad navalem pontem Schaumburgi relictâ, versùs Spream cum potiore Exercitus robore iter arripuit: Inter viam & in proximo expeditiùs cum Electore conventurum, ratus.

Copeniccam simul ut ventum, id qvod Calendis Maji accidit, Campiductorem Hornium, & Stenbergium, à secretioribus consiliis aulicis, iter antecapere ad Electorem jussit: *De animorum, armorumve conjunctione cum illo acturos.* Qva in re nedeviarent, *fœderis, cum Gulielmo, Hassiæ Landgravio, in ratihabitionis eventum non ita pridem contracti, formula, qvam velut cynosuram & normam seqverentur, ius præscripta*: Addito, ut, *si in condiționibus fœderis librandis longiorem, ac Magdeburgensis Urbis necessitas ferret, moram fieri animadverterent, articulum de tradendis supra memoratis munitionibus omnium primò urgerent, maturarent, ad ulteriorem tractatum promtos, paratosve se offerentes.* Ut autem Elector postulato faciliùs assentiretur, securum esse juberent: *Dicta loca, cessante discrimine, sine tergiversatione restitutum, in ipsius statu nil qvicqvam mutatum, sed suam sibi electoralem dignitatem, eminentiam, sua jura, potestatem, jurisdictionem, intacta à Rege ac illibata relictum iri.*

Ad hæc Regis postulata Elector, per Cancellarium, Sigismundum Gœtzium, Consiliariosq;, Levinum à Cnesebeke, & Conradum Bertramum Phulium, qvantum ad hunc articulum, respondit. *Haud qvidem repugnare, qvò minùs reliqva, ad transitum fluminum sita, loca, Custrino & Spandoâ exceptis, Rex præsidio suo muniret: Duo verò isthæc munimenta sibi omninò reservare, proprio milite tuenda. Spandoæ nihilominùs Urbem Regi traditurum, insuperq; electorali fide scripto data, imò juramento conceptis verbis præstito, obstricturum: Ne dicta qvidem munimenta Regi in universum præclusa, sed, exigente necessitate, si fortè viribus inferior ab hoste urgeretur, aut prælio succumberet, ad receptum, cum exiguis vel magnis copiis, secundum placitum ejus, aperta fore.* Vice versa Rex Electori repromitteret: *Subvectionem, avectionemve ubivis futuram liberam, & finito bello, ac discrimine cessante, Electori, aut ejus Successori loca hæc promtè, absqve ullo onere, in manus iterùm consignatum iri.*

Non contentus Electoris responso Rex erat: Ad colloqvium ergò inter duos hos Magnates postridiè deventum. Rex etenim qvinq; eqvitum alis, mille sclopetariis, & qvatuor legionariis machinis comitatus, Copeniccâ Berolinum versùs movit: Cui Elector ad qvadrantem milliaris extrà Urbem obviam factus, & in sylvula qvadam propter viam aliqvamdiu amicè inter eos de omni re disceptatum. Tandem Elector, paululùm abs sistens, negotium cum Consiliariis suis ulteriori deliberatione discutiendum sibi sumsit: Rege interim ad Gynecæum, qvod & ipsum ejus salutandi in campum prodierat, deflectente, & cum Palatina maximè vidua, qvam provecta senectus venerabilem reddebat, familiarem sermonem miscente. Regresso autem, post deliberationem terminatam, ad Regem Electore, cum inter eos hac vice conventum iri haud videretur, Rex in hospitium qvidem suum retrò se conferre instituerat, sed Gynecæum electorale precibus eum flexit: Ut in Urbem secum ac vicinam Arcem, mille, qvos diximus, sclopetariis stipatus, pernoctatum iret. Qvarum desiderio Regi, ne tractatus tela, interrupta digressu suo, difficiliùs iterum coiret, eò promtiùs ac lubentiùs indulgere visum.

Qvarto Nonarum Maji, qvi Mercurii erat dies, resumta tractatio: Qvæ magna tamen cum difficultate procedebat, & Elector, ad morem gerendum Regi de Spandoæ castro, ægerrimè induci poterat. Tandem nihilominùs, totâ penè die hoc negotio absumtâ, Regis postulatum prævaluit; Electore consensum, de arce Regi ad tempus tradenda, præbente: Cui subseqventes tamen annexæ condiciones. *Traditio Electoris dignitati, juribusq; neutiqvam derogaret. Ministri ejus in castro remanerent, nec qvicqvam illis, in muniis suis exercendis, injiceretur impedimenti. Qvin etiam, si Electori aulam, aut omninò, aut ex parte eò transferre in mentem veniret, in ipsius* Regis prima cum Electore Brandenburgico de castro Spandoæ trãsactio.

id

id staret arbitrio; dummodò tamen ut in fraudem regii præsidii ne fieret, nec huic inde crearetur periculum. Rerum suarum expediendarum qvisque, ostensô priùs Electoris diplomate, sine mora intromitteretur; hac tamen cautela, si legitimo & solito accederet tempore, minimè clausis portis: Electori verò, urgente necessitate, etiam noctu pateret receptus & introitus. Commeatum, qvi in arcem ac Urbem subjectam convectus reperiebatur, ne qvisqvam attrectaret, absqve Electoris consensu: Electori autem, nonnihil ejus exportare, liberum foret; ita tamen, ut certum & determinatum penus, ad sustentandos, ingruente obsidio, præsidiarios milites, in arce relinqveretur. Pulveris, similiumve, rei tormentariæ ab Electore præpositus, regio præsidio porrigeret, qvantum ad defensionem loci sat esset; præter id, nil qvicqvam à Regiis, nisi assentiente Electore, eveheretur: Electori verò in proprios usus aliquid horum inde extrahere liceret. Reparatio munitionum conscio Electore, ejusdemq; & provinciæ impensis fieret, militaris disciplina strictè in castra servaretur, nec miles præsidiarius populabundus excurreret in agrum: Econtra Elector militi usitatas singulis decendiis exsolveret pensiones. Discordias, inter militem ac Urbis incolas suborientes, regius Gubernator, & summus Electoris Præfectus, sociatâ operâ, sedarent terminarentve. Rebus eò à belli injuria, velut in tutum, illatis rapaces manus injicere ausus, capite lueret, nec qvisqvam, Electoris diploma præferens, qvod suum, inde iterùm exportare prohiberetur. Qvamprimùm Magdeburgum obsidio solutum, Albis hac ratione hosti occlusus, Regive parta foret securitas, ita ut receptu in hunc locum non ampliùs haberet opus, castrum cum omni causa, regio præsidio educto, Electori absq; ullo onere restitueretur. Qvod si humanitùs qvid contingeret Regi, hoc casu præsidium in Electorem, ejusve posteros unicè haberet respectum, & Duces, aut nunc, aut imposterum castro præficiendi, pactis his conventis se staturos, moremve gesturos, jurejurando sancirent. In hos articulos Rex Electori dedit syngrapham: Qvam, majoris in posteriori casu cautionis ergò, unà cum Rege, ejusdem Campiductor, Gustavus Hornius, & generalis peditum id temporis Præfectus, Johannes Bannerius, manu ac sigillo suo firmarunt.

Negotio sic transacto, tertio Nonarum Maji, regius Exercitus Spandoam iter habuit, ibidem in campo, ultra Spream arci subjecto, castra metatus. Electoris qvoq; præsidium, admissis sub Tribuno Axelio Lillio Regiis, arce egressum, pacta conventa eodem temporis momento consummatum ibat. *Castrum Spandoæ a Rege præsidio firmatur.*

Pridiè Nonarum Maji castra Potzdamum promota: Qvo comperto, adversæ partis præsidia, qvibus vetus Brandenburgum, Ratenoa, alia cis Albim loca tenebantur, ut & Cratzius Tribunus, qvi cum parte eqvitatus hostilis non exiguâ Servestæ hactenùs procubuerat, stationibus suis relictis, ad Exercitum, Magdeburgo assidentem, se recepêre. In propugnaculo qvoq; Desfaviensi res ita ordinatæ; ut, si Regii id oppugnatum venirent, munitio momento destrui ac ad terram deponi posset: Id qvod ipso Magdeburgensis excidii die, ab his, qvi illic servabant, (qvanqvàm tragoediæ hujus ignaris) postmodum qvoq; factum. *Cæsariani loca cis Albim metu deserunt.*

14. Electoris Saxoniæ non minùs, ac Brandenburgici animum, datis ad eum, nono Calendarum Maji, priusqvàm Francofurto adhuc moveret, literis, Rex, de Magdeburgo junctis viribus obsidione liberando, pepericlitatus fuerat: Belli origine, ad justitiam causæ suæ astruendam, paulò altiùs repetitâ. *Pontificiorum, nimirùm, persecutionem, dum Protestantium alii trepidant, alii temporalis commodi respectu transversùm abrepti hostium intentioni velificantur, & diffidia, inter Magnates orta, omne contrariorum armorum robur enervant, in eam, seu potentiam adolevisse, seu impotentiam: Ut etiam Regi, ingenti licet terrarum tractu dissito, hostiles manus (nec-opinantem adorta) injecerit, classemve non mediocrem in ipsius armarit perniciem. His ergò ad induendum arma, summisq;, in tempore, viribus, ancipiti, qvod immineret, periculo occurrendum, initio permotum Regem,* *Rex cum Electore Saxoniæ de obsessi Magdeburgi liberatione neneqvieqvàm agit.*

gem, rebus præter opinionem, & ultra penè vota fluentibus, in oras, qvas vestigio nunc premat, haud difficulter penetrasse. Qvia verò justissimæ causæ assertio cum Electoris salute ac securitate connexa sit, ac periculi simul & Religionis communio inter Regem illumq; intercedat, nec parum utriusq; hostem Magdeburgo haud potiri, intersit; ideò ne gravaretur Elector in communi causa armis jungere arma, & animi sui sensa expromere: Qvâ via propositum Magdeburgi liberandi scopum qvam dexterrimè asserutum iri, consideret? Hæc postulatorum regiorum summa: Scripto aliqvoties, missis per Theodoricum à Tauben, nobilem aulæ ministrum, Tribunum Bockium, alios literis, repetita. Cumq; his parum proficeretur, idem per Arnhemium Campiductorem, & supremum electoralis stabuli Præfectum, alterum Theodoricum à Tauben (qvi rem summâ industriâ procurandam susceperant) ore tenùs flagitatum.

Consilium Regi erat, *versus Dessaviense munimentum rectâ progredi cum Exercitu; ubi Elector in opposita Albis ripa ad Muldæ pontem deberet occurrere: Hinc deniqve, secundo flumine, junctis animis, armisve hostem, ad Magdeburgum hærentem, adorturos.* Qvod verò Rex à penu, qvem instruxerat, primâq; belli sede jam aliqvantulùm esset digressus, &, consiliũ hoc effectũ daturus, longiùs adhuc digredi compelleretur, nec, relictâ fluminum opportunitate (qvæ hactenus, ad tormenta & rem tormentariam deportandam, magno fuerat usui) jumenta, illis devehendis, affatim haberet ad manum; idcircò petiit ab Electore, *Exercitum Witeberga, aut aliunde è territorio ejus, tormentis, pulvere nitrato, reliqva re tormentaria, nec non commeatu sufficienti instrui, deq; his maturè provideri: Ne tamen Electoris oneri cederent, præsentem pecuniam Hamburgi & Amstelrodami pro omnibus istis exsolvere, paratum se professus.*

Verumenimverò surdo narrabatur fabula, nec qvicqvam æqvi responsi ab Electore Saxoniæ impetrari poterat. Et qvoad conjunctionem sanè armorum rotundo ore repulsam dedit: *Tum fidelitatis vinculum, quo Cæsari obstringeretur,* obtendens; tum *in vicinum, Brandenburgicum Electorem, rem omnem rejiciens, sine cujus prævio consensu qvicqvam decernere, in potestate sua haud foret. Italicarum* qvoq; *copiarũ, festinato gradu Germaniæ ingruentium, adventum* causatus: *A qvibus discrimen haud obscurum immineret militem suum aliorsum ableganti, & proprias diciones defensionis tutelâ renudanti.* Nec tantùm, conjungere se Regi, sed vel transitum saltem præbere, aut commeatu & re tormentaria ullatenus adminiculari, apertè renuit. *Transitu* etenim *concesso, evenire posse: Ut, hoste qvoqve in fines suos illecto, sedes belli medius in visceribus suis, cum indubia subditorum pernicie, figeretur. De commeatu autem & aliis belli necessariis Cæsarem, nuper ipsum interpellantem, repulsam passum: Haud igitur decorum, si Regi contra Cæsarem isthæc gratificaretur.*

Dum res hac ratione in longum extrahitur, Magdeburgenses, hoste summis viribus incumbente, ad incitas jam redacti erant: Qvod ubi Rex comperit, missis adhuc semel per Taubium, nobilem aulæ ministrum, literis satis prolixis, Electorem compellans, nullum non lapidem movit, ut à præfracto animi sensu hominem verteret; fusè refutatis, qvibus occurrerat, objectiunculis. Nimirum, *se ponere pro tempore prætensæ fidei respectum; qva Elector, ut Elector & insignis Imperii columna, Imperatori obligatum se ferat: Aut illi potiùs opponere, id, qvo subditus, à DEO ipsi concreditis, inter præsentia partis adversæ molimina obstringatur vinculum. Interim non satis capere: Qvî Electori in mentem veniat, nunc demum actiones suas, num justitiæ & æqvitati respondeant, examinare ad conscientiæ obrussam; postqvam Cæsari, notam universo Orbi protestationem, unà cum aliis Religionis consortibus, insinuare ausus, ingens & in ipsa præcordia acri morsu penetrans vulnus inflixerit. Qvin ejus magis esse sententiæ, & in hoc articulo secum conspirare cordatiores quosque: Generosum hunc animorum impetum, ut dignitati sanè ipsorum & officio consentaneus, imò penè fero-*

serotinus debitoq; tardior fuerit, ita, nisi pari promtitudine & strenuitate suffulciatur, ad accelerandum iis interitum, præmaturum ac præcocem fore. Id suo etiam loco relinquere; quod Elector Saxoniæ Brandenburgici intuitu assensum suspendat: Habiturum autem fuisse, quod afflictis Magdeburgensibus, nec non communi Protestantium causæ gratularetur, si Saxoniæ Elector tantundem doloris saltem ac misericordiæ, ob Civitatis miserias, & jamjam imminens excidium, re ipsa demonstrare in animum induxisset, quantum Brandenburgicus, fluminum claustra reserando, ad liberandam palam ostenderit ardoris. Nec Italicarum copiarum adventum satis causæ videri, quo Elector à proposito hoc absterreri se patiatur; In eo namque statu minimè reperiri; ut justæ ac ordinatæ debita ratione militiæ, ab illis magnoperè metuendum: Quin potiùs, modò vitalia hostilis potentiæ ad Magdeburgum contunderentur, pari facilitate infractum iri; Qua hostis malè cohærentem Protestantium armaturam, ut scopas dissolutas, si sua tantùm vi nixa grassanti se objiciat, oppressurus sit ac pessum daturus. Quod si fortè unum, alterumve protestantium Ordinum damno hac occasione affici contingat; id tamen emolumento in publicam omnium rem, & communem causam exinde redundaturo, abundè compensatum iri: Et jacturam hanc passis magno solatio fore; quod omnia innoxii, nec ullius criminis comperti, pro Patria, arisq; ac focis sustinuissent. DEUM Opt. Max. invocare testem: Quemadmodùm hactenus, nec Electorem, nec alium quenquam, conscientiâ vulnerata aut insuper habita, bello non necessario illigare, sed divini solummodò Nominis gloriam, & commune bonum promovere, unicè intenderit, ita ne nunc quidem expeditiorem ejus rei nosse viam; quam si, ansâ Magdeburgi liberandi arrepta, manibus elabi minimè sineret exoptatam hanc hærentis illic hostis profligandi occasionem. Nec ambigere: Quin summus machinæ mundanæ Moderator, qui nuper Lipsiæ eam animi magnitudinem inseverit Protestantibus, ut de intolerabili servitutis jugo excutiendo, & exitiabilibus pressuris vi armorum abercendis, decernere fuerint ausi, illis, dummodò pari animorum alacritate & concordia, cùm ipsi inter se conspirarent, tum amicorum subsidiis, ultrò oblatis, uterentur, præsentissimo suo auxilio & benedictione cælitùs affuturus sit; non ad Italicas modò copias unius alteriusve finibus, sed universam hostilis potentiæ molem Germaniâ universa pellendum, eamve in quietem, decus, nitorem pristinum restituendum. His rationibus motum arma hucusque transtulisse: Electori Saxoniæ & sociis, siquidem gratum id illis foret, pro virili parte cooperari certum. Quod verò Elector Saxoniæ oblatis suis aures omninò obturet, nec aut armis arma jungere, aut transitum saltem Magdeburgi liberationem tentanti præbere, aliave subministrare adminicula velit, non tam conqveri, quam infelicis ac miseræ Germaniæ fatum deplorare: Interim, velis maturè contractis, meritò subsistere, nec longiùs provehi in altum. Nam priusquam supplementa Exercitus, quæ indies præstoletur, adveniant, quem, per totam hiemem continuo laborum protelo fractum, viribusve exhaustum, secum trahat, militem hosti viribus ferocienti, ad conserendum aperto Marte manus, objicere, nullatenùs videri consultum: Multò minùs rationem belli admittere, ut inter duos male-fidos amicos medius insinuet, aut, à fluminum opportunitate longiùs recedendo, in non mediocres ultrò se conjiciat commeatus & rei tormentariæ angustias; ob subvectionum difficultatem certo certiùs imminentes. Quò tamen promtitudinem suam, etiam vitæ discrimine insuper habito, contestetur, decretissimum sibi; Havelæ defluentis ductum sequi, nihilve non tentare, & extremum facere periculum: Num fortè, & quousque Magdeburgo ultimo exitio conflictanti, aliquid afferre posset levaminis? Certa quoque in DEUM fiducia fretum: Eundem Spiritu & gratia sua, ad summam constantiæ gloriam feliciter asserendam conanti affore. Quod si divinæ providentiæ, aliquo, ob peccata nostra, infortunio nos mactare, placeret, ne huic quidem impatienter obluctari, sed lubentissime submissurum

imperii fasces: Idq; eò erectiore animo; qvia optima intentione, se ad hanc rem delatum, nec qvicqvam, qvod malo averruncando faceret, à sua parte prætermissum, conscientia teste, nosset. Protestari autem solenniter coram Deo Opt. Max., nec non hominum cordatioribus qvibusqve, & amoliri à se sangvinis effundendi, atqve infortunii dubiè secuturi culpam; iisve impingere, qvi in pia hac causa conatus suos præter spem destituerint: Meliora nihilominus adhuc de Electore Saxoniæ ominari; Qvam ut fœdam contractæ hujus labis memoriam de persona sua in futuram serere velle credat posteritatem. Si itaqve Elector, nulla interposita morâ, ut in qva summum periculum, militem, qvem sub signis habeat, regio jungere, & qva ratione Magdeburgo qvam commodissimè subveniri posset, colloqvi cum Rege ipso ac communicare vellet, (Consiliariorum enim, qvorum tamen pauci Regi ad manum, itiones ac reditiones temporis angustiam haud pati) tantò id ei fore gratius, qvantò majorem de Electore, ejusdemve Familia, & vel maximè altero, Filiorum, cujus in conservatione ArchiEpiscopatus Magdeburgensis plurimùm intersit, benè merendi occasionem, præstito officio non proletario, esset habiturus.

Magdeburgensis obsidii series.

15. Sed oleum operamq; perdebat Rex. Intereà; dum literaria hæc serra reciprocatur in cassum, ac tempus inutiliter teritur, Magdeburgi Civitas pessum iit: Cujus excidium, atq; præviam obsidionem describere, ordinis & temporis ratio jam postulat.

Tillii literæ ad Administratorem & Civitatem.

Tillius, cùm Administratorem, tùm Magdeburgi Civitatem de summo militiæ imperio, à Cæsare ipsi collato, satis maturè certiores fecerat: *Ut ab illicitis* (ipsius opinione) *actionibus desisterent, arma suscepta deponerent, Cæsarive colla submitterent*, utrosqve adhortatus. *Sin minùs: Sibi igitur fieri necessitudinem, aliis, ad eos in gyrum obedientiæ reducendos, utendi mediis; quæ forsan eruptura essent in penitissimam illorum ruinam, perniciem, exitium.*

Civitatis responsũ.

Magdeburgenses ad ista reposuère. *Ab obedientia Cæsari debita nunqvam gentium recessisse; nec intentionis suæ, ut recederent unqvam. Verumenimverò tam ipsos ac Civitatem suam, qvam alios protestantium Religioni addictos, Imperii Ordines plurifariis pressuris atq; calamitatibus, immerito suo, adversus Imperii sanctiones Legesve affectos & extremè afflictos: Qvæ ad sexennium jam continuata uno protelo gravamina, cum illo, qvod nunc demum accedat, Religionis negotio, ad Cæsarem non ita pridem detulerint, & responsum indies exspectent. De Tillio qvoqve sibi polliceri: Nullâ ipsos interim molestia affecturum, sed, re ad Cæsarem pariter rejecta, responsum ejus præstolaturum.*

Civitatis literæ ad Lipsiensem conventum.

Qvia autem Magdeburgenses hac excusatione parum, aut nihil profectum iri, verebantur, eapropter datis ad Protestantes, qvi Lipsiæ sub id tempus convenerant, literis, in sinum eorundem, velut asylum, suppliciter confugerunt; & misso fide digno literarum; qvas ad Cæsarem composuerant, exemplo, è qvibus de calamitoso Civitatis statu constare his poterat, *qvanti, qvod adversariis machinarentur, momenti foret, qvantiq; omnium Protestantium, Urbem hanc, transitu Albis peropportunam, in illorum manus non incidere interesset*, ad animum revocarunt: Iterùm, iterùmq; obsecrantes. *Inter consilia, qvæ Lipsiæ miscebantur, ipsorum qvoq;, tanqvam ejusdem Religionis consortium, membrorumve veræ christianæ Ecclesiæ meminissent, nec in extrema necessitate positos desererent, sed eò cogitationum suarum ac consultationum intenderent nervos: Ut non ipsi modò & ipsorum Civitas, sed integer adhæc Episcopatus Magdeburgensis, nec non aliæ contermina diciones ac provinciæ, ab omnibus pressuris immunes, fida ac tuta Pace aliqvando lætari possent.*

Administratoris responsũ.

Administrator porrò ad Tillii literas respondebat. *Haud qvidem ipsi invidere, si vel majori adhuc imperio & auctoritate eum cumularet Cæsar; qvinimò cæsarei nominis, qvi obtendatur, respectu, debitâ observantia libenter proseqvi: Ut tamen, præter Leges Imperii fundamentales, imò directò contra*

tra easdem qvicqvam, in conscientiæ suæ, tum agnatæ sibi principalis dignitatis, eminentiæ, jurium, aut aliorum, maximè protestantium, Ordinum Imperii præjudicium, illi largiatur, minimè induci posse. Tillii in Saxonicis Circulis susceptas expeditiones bellicas non Legibus ac juribus Imperii conformes, sed è diametro potiùs adversas existere, & protestantibus Imperii Ordinibus irreparabile damnum inferre. Nil igitur subesse causæ; cur illius dehortationes, & annexas minacias vel bili faceret: Qvinimò non posse non admonere Tillium; ut tandem abstineret vergentibus in Patriæ perniciem, sed speciosô, falso tamen, cæsarei nominis & auctoritatis colore infucatis, actionibus & molimentis. Administratorem, nullius factionis aut rei, qvæ crimen incurrat, sibi conscium; sed, qvamdiu nec sua sibi erepta, nec via juris ad ea recuperandum præclusa fuerit, consilia & actiones suas eò unicè direxisse: Ut, si qvid Romano Imperio detrimentosum fortè emergeret, omnibus modis averteretur. Sed qvia Protestantes in Imperio vi obtriti & penitùs obruti, ipse inter primos, non citatus, non auditus, sine prævia causæ cognitione aut sententia, dicionibus suis exutus, &, utut Cæsari humiliter supplicaret, nihilve non tentaret, omni spe juris æqvive evolutus sit, nec qvicqvam, nisi in DEI Opt. Max. potentia, & Regis Sveciæ auxilio superfuerit præsidii; huc confugisse velut ad sacram anchoram. Sibi animo decretum: Ante omnia vereri & colere, qva par, animi devotione DEum; tum Cæsari, qvà Cæsar, & intra Imperii legitimos cancellos se continent, debitam exhibere obedientiam & fidem. Interim ejusdem Regis operâ, contra conscientiarum & provinciarum tortores, ut DEI Opt. Max. & Patriæ hostes, extrema qvæqve experiri, seq & suos, aliàs desperatæ salutis, subditos ab ingentibus, nec antehac auditis pressuris, ac fœda animarum atqve corporum servitute liberare, certum: Nec defugere, qvicqvid ea de causa immineat incommodorum, aut discriminum.

Pappenhemius Falckenbergii corrumpendi satagit: Dum hæ literæ invicem missiculantur, cæsareus Campiductor, Pappenhemius, Falckenbergio, qvi Regis Sveciæ nomine rerum summæ Magdeburgi præerat, insinuans, integritatem ejus corrumpere, & in Cæsaris partes traducere hominem tentaverat: Per tubicinem renunciando. Personam ejus multis ipsi nominibus commendatam: Id verò maximoperè dolere, qvod contra Cæsarem, summum christiani Orbis Monarcham, bello hoc stet; cum ejusdem auspiciis longè opimiori condicione militare possit. His verbis adjecta, cùm honorum, tum opum illecebra: Nam & de Comitis dignitate adipiscenda spem faciebat, & aureos, seu argenteos penè offerebat montes; nimirum ad qvadringenta millia Joachimicorum.

Sed generoso & acri responso refellitur. Major verò Falckenbergio fidei obstinatio; qvàm ut hoc machinamẽto impulsa vacillaret. Tubicinem enim, ne aut ipse, aut Dominus ejus, qvod actum, callidè forsan inficiarentur, coram tabellione ac testibus examinari fecit: Qvorum in præsentia omnem tutelæ hujus seriem exponere coactus, generosum inde & acre satis, qvod Pappenhemio referret, responsum tulit. *Siqvidem neqvam, & sublestæ fidei hominem proditoremve Pappenhemius qværeret, in se regrederetur: Illic, & in sinu proprio prius reperturum, qvam apud Falckenbergium; qui ejus monetæ nec fuerit unqvam, nec futurus sit.* Addita præmonitio: *Qvisqvis de fœda ejusmodi fidei nundinatione ipsum denuò interpellatum veniret, ei laqveum, pro aureo torqve, premii loco paratum fore.*

Cum ergò nulla verba, aut versutiarum technæ qvicqvam proficerent, ad vim apertâ conversus Tillius, Urbi obsidendæ, ac summis viribus oppugnandæ, animum adjecit.

Munimẽtũ Creutzhorstanũ à Magdeburgensibus extruitur. Regii, qvi Magdeburgi agitabant, sub Martii mensis ingressum, duo circiter milliaria supra Urbem ad Albim, Schönbeccam versùs, munimentũ excitârant; ea intentione: Ut, aditu ad Electoris Saxoniæ diciones retento, exinde hac via de cõmeatu prospicere sibi possent. Et sanè aliqvamdiu magno id illis commodo cessit: Dum per silvam, munimento confinem, non Gomerâ modò copiosam annonam nacti sunt; sed &, irruptione cũ aliqvot militũ centuriis in Barbyæ Urbẽ factâ, ultra

qvinqvaginta frumenti omnis generis coros, qvod nonnulli cæsareæ militiæ Ductores, & contermini ruris incolæ, inibi locorum asservandum, in publicis ædibus congesserant, inde auferentes, Magdeburgo intulêre. Cæsariani qvidem, simul atq;, humum moliri Magdeburgenses cœpisse, inaudierant, postridiè cum sexcentis peditibus, & nonnullis eqvitum alis aderant; operas interturbaturi, munitioneq; nôdum consummatâ Urbicos ejecturi: Verùm hi indefessa sedulitate ad defensionem jam adeò se comparaverant, qvatuor machinis commodo loco dispositis; ut isti, præsertim cum subsidium ex Urbe ad manum esset, re infecta retrocedere, nec sine jactura, cogerentur. Magdeburgensium qvoq; decem, interq; hos Vultejus, insignis experientiæ centurio, desiderati. Remansit autem ab hoc tempore munimentum cum aliis, qvæ Magdeburgenses, hinc inde, sparsim exstruxerant, integrum penè mensem posteà intactum: Donec ipsemet Tillius, tertio Calendarum Aprilis, id adortus, ad obsidionem violentam Magdeburgi signum qvasi tolleret.

Et Tillio occupatur.

Namq; is silvam, qvæ Presterense & Creutzhorstanum munimenta interjacet, insidens, illis, qvi in posteriori hoc præsidium agitabant, transitum omnem ad Urbem interclusit: Mox aliqvot grandiores machinas in utraq; Albis ripa collocari jussit, & in munimentum dirigi. Qvibus vixdum visis, Centurio loci Præfectus, Bôsius nomine, unà cum defensoribus, qvorum ad octoginta numerabantur, ejusdem se permisit arbitrio. Qvanqvam autem, hunc Bôsium defendendæ munitioni adversus hostem, tantis viribus subnixum, imparem, nemo iret inficias; qvippe qvod vallum arenaceum, levidense, nec tormentorum impetum sustinere aptum foret: Vi tamen exspectatâ, Tillium aliqvantisper remorari, eandemq; adhuc vitæ gratiam conseqvi potuisse, credebatur.

Longè fortiùs, hujus comparatione, SubCenturio qvidam Magdeburgensis, haud procul inde, in munita statione cum qvatuor sclopetariorum contuberniis procubans, se gessisse fertur. Tillianos enim, qvinqvies ingruentes, toties, cæsis illorum ad nonaginta, strenuè repulit: Donec multitudine hostium obrutus, brachium globo, id genus, qvod ductili ære compactum inter ictum latiùs se expandit, graviter vulneratus, superaretur. Et commilites qvidem, tanqvàm hostilis iræ victima, cecidêre ferro ad unum omnes: Ipse verò à Tillio, virtutem vel in hoste suspiciente, vitâ donatus, Magdeburgum remissus est.

Presterensi Magdeburgenses sponte excedunt.

Postridiè Presterensi munimento, qvod ab aliqvot militum centuriis tenebatur, admotus Exercitus, & grandioribus tormentis id qvati cœptum. Qvia verò Magdeburgensibus nil certius exspectandum erat, qvàm hos Urbe pariter, facto circuitu, & parte militum circumductâ, exclusum iri, ideò loco deserto in propugnaculum, qvod situm erat, ubi vectigal penditur, se recipere, potius visum.

Cracoæ turris in Tillii potestatem venit.

Nec feriatus Tillius ad Cracoensem turrim, exiguo vallo circumdatam, & qvindenis tantum militibus custoditam, vim faciebat. Qvi, utut strenuè initio se gerentes, violentâ tamen verberatione à primo manè ad adultam usq; meridiem qvinq; machinis sine intermissu continuatâ, cum infestam globorum vim in superiori turris, ad freqventiam ictuum jam fatiscentis, parte non ampliùs ferrent, adeòq; in inferiora & subjectum vallum descenderent, lassitudine tandem & numero hostium confecti, victas manus dedêre.

Et Bucoviana munitio.

Dum hæc inibi Tillio ex voto cedunt, Comes Mansfeldius ultra Albim, adversùs Bucovianam munitionem, ubi Magdeburgenses castella aliqvot, seu Reductus excitaverant, septuaginta tantummodò militum præsidio defensa, fortunam non seqviori successu tentârat: Nam & hæc, pulvere nitrato, aliisve belli necessariis deficientibus, hosti sine mora patuerunt.

Vectigalis propugnaculũ frustrà hostis confilit.

Decimo septimo Calendarum Maji in vectigalis propugnaculum vis versa, & aggressio toto impetu facta: Sed Magdeburgensibus fortiter se objicientibus, repulsi Cæsariani, cum ducentorum militum jactura. Nec mitior sors obvenerat his, qvorum ad

tre-

trecentos aqvâ assultum tentare jussi: Lẽbi enim, qvibus vehebantur, partim vado obhærentes, aut cœcis veterum palorum sub aqva latentium reliqviis impacti, rimas egêre; pleriq; unà cum onere suo submersi.

Magdeburgenses munimẽtum rubri cornu deserunt.

Tillius igitur diversum à prioribus hic ludi ludum, nec propugnaculo isthoc, qvâ reliqvis, facilitate se potiturum, conspicatus, diversâ viâ & feliciori sanè successu, rem aggrediebatur: Munitionem insulæ, qvæ à rubro cornu nomen sortitur, qvinq; tormentorum impetu adortus, non intermissâ per integrum diem, noctemve verberatione. Qvod enim munitio, non ita pridem excitata, necdum subsidente in se terrâ satis solidata, tum non pingvi & tenaci humo, sed arena constans, ictuum violentiam haud satis sustineret, ingens statim ruina edita apparuit: Unde Magdeburgenses maturè, haud exspectatâ impressionis aleâ, unà cum machinis, qvas ad sui defensionem secum illic habuerant, (exceptâ unâ minusculâ) in Urbem se subduxêre. Patuit autem Tillio hac ratione ad circumveniendum vectigalis propugnaculum aditus. Qvi postridiè summo mane, milite nonnullo navibus Albim trajecto, munitionem jam desertam nullo negotio occupans, integræ peditum Legioni, ac aliqvot eqvitum alis in insula stationem mox assignabat: Inde ad transversarium limitem, & munitionem, propè lateritiam sitam, accessus magnâ sedulitate promovendo, id unicè agebat; ut Urbi atq; vectigalis propugnaculo medium se interponeret, qvi in hoc servabant, receptu ad illam, omniq; auxilio interclusurus.

Et vectigalis insuper propugnaculum.

Odorati hanc ejus intentionem Magdeburgenses, militem è dicto propugnaculo, pōte tamen priùs rescisso, similiter in Urbem retraxêre. Ita id qvoq; Tillio cessit: Insidias nihilominùs hic, & suppositos certis cuniculis ignes, qvibus ex intervallo munitio disjiceretur, metuens, occupare, licet vacuum, ad seram usq; vesperam distulit. Qvandò demùm, omnia tuta animadvertens, miles ingressus: Qvi, ponte penitùs destructo, versùs Urbem omni diligentiâ se muniret.

Suburbia deniq;.

Suburbia bina, Sudenburgum & Neostadium dicta, Magdeburgenses, hosti remorando, ad tempus, præsidiis suis infesta, qvàm lubentissimè retinuissent: Sed verebantur, ut militum, qvi supererant, paucitas diffusæ & in longum porrectæ, nec satis firmæ munitioni, adversus hostilem vim defendendæ, sufficeret. Deserere itaq; & omne militum robur in Urbem contrahere, communi consilio decretum, Qvò horum ac Civium unitâ virtute conatus hostium eò fortiùs eluderentur.

Hinc Sudenburgum, undecimo Calendarum Maji, qvia hostis molare munimentum, propè assitum, nocte antecedente adortus, occupârat, flammis absumtum, & postridiè murorum, qvi ignis injuriæ haud subjecti fuerant, rudera, qvantum per festinationem liceret, complanata.

Nono Calendarum Maji, Pappenhemius Campiductor, navalem pontem, qvem Tillius paulò ante ad Schonbeccam construi fecerat, cum qvinq; peditum Legionibus tramittens, ad Neostadium castra metabatur: Qvapropter Magdeburgenses, hac qvoq; statione desertâ, qvicqvid illic ædificiorum erat, ne hosti protegendo inserviret, Vulcano consecratum iverunt.

Hunc in modum Magdeburgensibus, qvicqvid munimentorum extra Urbem, non sine labore & sumtu exstruxerant, brevi tempore, nulloq; penè negotio, ab hoste extortum: Ita ut, præter traversum limitem, qvem in insula, Albi circumfluâ, excitarant, & usq; ad Urbis expugnationem ab hoste asseruerant, è viginti (tot enim fuisse feruntur) ne unum qvidem reliqvum iis fuerit.

Militum Magdeburgi defectus, & ejus causa

Id qvod militum defectui unicè imputandum venit. Initio qvippe Administrator novos delectus, qvi satis uberes & copiosi confluebant, dum minuta in ArchiEpiscopatu oppida, hinc inde singula, occupat & munit, magnam partem prodegerat: Adeò ut sub obsidii initium, præter Cives, ne duo qvidem peditum millia, & ducenti qvinqvaginta circiter eqvites, ad Martis opus idonei, in Urbe reperti. Utut verò Falckenbergius antehac à Magistratu civico certis condicionibus impe-

impetrâsset, milite haud suppetente, juventutem urbanam, & si qvi alii militiæ munia non abnuerent, certo accepto menstruo stipendio, in eventum nomina sua spontè dare; qvorum secundariâ operâ, datâ occasione, adversùs hostem uteretur: Id tamen à malevolis & publici boni osoribus mox qvoq; fuerat retractatum.

Octavo Calendarum Maji, illucescente die, Pappenhemius Neostadium, ambustum, non penitùs exustũ, vi ingressus, obsessis, qvorum ad ducentos in platea, stantes in procinctu, offendebat, intra mœnia compulsis, nullâ interpositâ morâ, qvatuor diversis locis accessus Urbem versùs moliri cœpit.

Stationes in Urbe distributæ

Hac eadem die, qvod hostis, usqveqvaq; ingruens, violentam obsidionem jam intendere manifestò videretur, Administrator & Falckenbergius, potioribus belli Ducibus in Curiam convocatis, stationes in Urbe ac vallo, qva qvisq; parte imposterùm servaret, dispertiebantur. Et Administrator qvidem, unà cum subTribuno Longio, Gebhardum (ut vocant) & novam munitionem ponè basilicam, Falckenbergius Heideccum, qvi Sudenburgo objacet, vallumq; ei contiguum, ad Cröckensem usq; portam, sibi tuenda sumsēre. Generali vigiliarum Præfecto Amsterodio totus contra Neostadium tractus, à Cröckensi porta ad ripam usq; piscatoriam, concreditus. Ripa autem hæc, ubi nihil aut parum periculi, ab ipsis piscatoribus, & nonnullis Civium custodiebatur. Trostius tandem subTribunus, transversario limiti, in insula, Urbi opposita, sito, nec non ponti, qvo Albis sternitur, ac aqvaticæ portæ defendendis destinatus: Summo militiæ imperio penes Administratorem & Falckenbergium remanente. Civibus in superiori vallo assignatus locus; & noctu universæ Civitatis regiones, (octodecim autem numerabantur) interdiu dimidia pars excubias agere jussa: Militum verò qvicqvid erat, per loricam inferiorem seu horizontalem, & antemuralia, propiùs hostem, maximam partem distributum.

Eruptiones aliqvot fiũt.

Post deserta, ut audivimus, exteriora munimenta & suburbia, licet pugnatorum paucitas secùs initio svaderet, hostium tamen arrogantiæ, qvæ, rebus in primo limine prosperè succedentibus, valdè extumuerat, aliqvatenùs retundendæ, eruptionis aleam tentare visum: Id qvod, non ita diu post Neostadium insessum, uno eodemq; die ternâ vice accidit.

Primus Amsterodius, adultâ meridie, inter undecimam & duodecimam, cum qvadraginta qvasi militibus, in Neostadium repentè se effudit: Sedecim hostium in accessibus, qvos moliebantur, trucidans, corbes aliqvot vimineos, rutraq; & bipalia illis extorqvens, & duos secum captivos in Urbem pertrahens; qvi uno postmodùm ore confessi. Siqvidem tres unos passus progredi in mentem venisset, Pappenhemium, post maceriam delitescentem, fuisse deprehensuros.

Hoc vix peracto, Trostius SubTribunus, cum aliqvot centuriis in insulam trans pontem excurrens, hostes, primo impetu confusos, in præcipitem agebat fugam: Qvorum centum circiter qvinqvaginta humum momordēre. Qvod verò integra mox Legio laborantibus suis veniret subsidio, retrocedere, absq; notabili tamen clade, & in suam sibi stationem recipere se cogebatur.

Tertiâ vice suprà memoratus Amsterodius eodem, qvo anteà loco, fortunam tentavit: Ubi Cæsariani iterum qvadraginta militum jacturam passi; Magdeburgensibus prædam modicam, ut argentatos enses, bipennes affabrè factas, & id genus alia, referentibus.

Vesperâ, qvæ eruptiones antecessit, Tillius, periculum adhuc semel facturus, num excitæ hoc loco turbæ leniori remedio sedari, & sedatis, Exercitus, qvem occupatum tenebant, aliovorsùm ad inhibendos Regis Sveciæ conatus, majori cum emolumento verti posset, Westerhusio tubicinem, cum ternis literis in Urbem miserat: Qvarum priores Administratori, alteræ Civitati, tertiæ Falckenbergio inscriptæ.

Tillii literæ ad Administratorem.

Administratorem qvidem cohortabatur: *Ut, dum tempus ferret, Magdeburgensium factioni nuncium remittens, animis ac armis hostilibus abjectis, adver-*

adversùs stimulum calcitrare desisteret; qvin & Civitatem induceret, ad exuendam pertinaciam, & Cæsarem debitæ submissionis affectu proseqvendum. Maximè, qvia ab extraneis, qvorum auxilio fretus tantum onus succollasset, inanibus modò verbis se experiretur lactatum: Rebusve in acie novaculæ jam constitutis, nulla ampliùs liberationis aut subsidiorum spes affulgeret.

Magdeburgi Civitatem.

Civitati ad animum revocabat præsentissimum, qvod proximè immineret, discrimen: Nempè, *eò rem rediisse, ut de ipsis ipsorumve familia, & fortunarum reliqvis, pro arbitrio suo, jamjam actum foret. Ne ergò clementiæ fores, adhucdum apertas, penitùs sibi præcluderent, sed, animi obstinatione deposita, Cæsari se submittendo, in gratiam recipi mererent, nec extremum exitium sibimet accelerarent; vel ea præcipuè de causa: Qvod res ipsa tèstaretur; qvi tutelam Civitatis suscepisse præ se ferant, non tam conservationem & incolumitatem illius, qvam desolationem & ruinam intendere.*

& Falckébergium.

Nec minùs Falckenbergio, adductis extremitatibus, in qvibus Urbs versaretur, deditionem persvadere conatus est: *Non decorum illi, nec excusabile fore*, argutatus, *si tot innocentes urbanas animas simul in miseriarum barathrum præcipitaret, simul regium militem in lanienam velut mactandum produceret. Non enim subsidiorum spem, non ulla alia conservationis media superesse: Imò, ex suo sensu, nec ipsum Sveciæ Regem, hoc rerum statu, aut aliter facturum, aut, ut fieret, præcepisse.* Inter alia qvoq; visum Tillio, movere illi scrupulum, *de obligatione: Qva, ut Imperii Romani indigenam & subditum, Cæsari obstringi,* opinabatur.

Administratoris responsũ:

Ad has literas Administrator reposuit. *Sibi, ut anteà semper fuerint, ita adhucdum DEI gloriam, divini, unicè beantis, verbi conservationem ac propagationem, religiosæq; & profanæ Pacis instaurationem, curæ ac cordi; imò præcipuum consiliorum suorum actionumve scopum. Nec tamen, qvò in scruposa hac via eò minùs impingeret, defugere Electorum, Saxonis & Brandenburgici, autoritatem. Modò conveniens rem ad eos deferendi temporis spatium, hostilitate omni eò usq; cessante, & liber pro Legatis, eò ablegandis, commeatus ipsi concederetur. Orare itaqve Tillium, ut, huic intentioni suæ suffragatus, utrumqve gratificaretur.*

Nec non Civitatis,

Haud dispar ab hoc Civitatis responsum. Qvæ rebellionis ac inobedientiæ erga Cæsarem, qvarum argvebatur, expurgatione, tum summariâ malorum, qvibus pressa fuerat, enarratione præmissâ, *omnem rem in dictorum Electorum & Civitatum Hanseaticarum arbitrium conferre, eorumve sententiæ ex bono & æqvo stare, paratam* se ostendit: Pariter & ipsa *pro suis, qvos eò missura erat, fidem publicam, & cessationem interim ab armis operisve militaribus* postulans.

Et Falckébergii.

Breviter qvoq; & tribus verbis Falckenbergius respondebat: Administratoris ac Civitatis sensum pro suo agnoscens. De cætero, *sic in omnibus se gesturum testatus: Ut nę conscientiæ suæ & famæ teneritudo læderetur.*

Tillius armorũ inducias, obsessis cupitas, abnuit.

Tillio, ut haud obesæ naris Duci, satis constabat, qvorsum mora, qvæ obsidio interponi postulabatur, & armorum cessatio tenderet, & qvàm proposito suo noxia foret: Qvippe hac & obsessis ulteriùs muniendi se spatium, & Regi forsan Sveciæ liberandæ Urbis præbitum iri occasionem. De commeatu itaq; haud difficulter assensus, qvinimò, majoris securitatis gratiâ, Legatis, qvò ire destinaverant, tubicinem adjungere pollicitus, de armis suspendendis omninò renuit: In continuatione hostilitatum indesinenter perrecturum, apertè professus. Mox de tubicine qvoq; detrectabat: Qvod res ad id rediisset extremitatum, ut longam ejusmodi moram non ferret. Qvapropter legationes etiam ad Septemviros & Civitates Hanseaticas, utut certæ jam personæ ad eas essent destinatæ, effectum nullum sortitæ, interciderunt.

Tillii literæ, ad Saxonem & Brandenburgicũ, Electores.

Interim nihilominus, utrumq; Electorem literis hac in causa compellare, Tillio operæ pretium visum; eo maximè consilio: Ut ne in Regis Sveciæ postulata consentirent; qvem, liberationem Magdeburgi animo volventem, de armorum conjunctione, aut certè transitu

Albis

Albis sibi permittendo, & commeatu, aliisq; necessariis subministrandis, solicitare Electores inaudierat. Cui fini Regem, regiumq; Exercitum sub nomine *exteri Principis, & exoticarum nationum, qvi non, nisi de dominatu comparando, & propriis commodis laborarent*, traducere animum induxit: Additâ minitabundâ præmonitione. *Si Regi Sveciæ per Magdeburgenses turbas ad insidendam Albis ripam via sterneretur, etiam à Cæsaris parte non minùs, imò plus extranearum gentium in Imperii viscera introductum, omniaq; in confusum chaos redactum iri.*

Obsessi Urbe erũpunt. Spe induciarum penitus evanescente, & Tillianis accessibus sensim magis magisq; Urbi proximantibus, tertio Calendarum Maji, periculum eruptionis denuò ab obsessis factum; idq; feliciter satis: Qvasi centum enim hostium obtruncati, & generalis qvidam optio, cum aliis nonnullis haud infimæ notæ, captivus in Urbem abductus.

Tillius accessus mo-liuntur. Hoc tamen non obstante, Cæsariani, semirutorum murorum umbone, & cœcis subterranearum cellarum latibulis tecti, brevi temporis spatio, eousq; promovebant operas suas: Ut oram fossæ, aqvâ destitutæ, attingerent, & à Magdeburgensium tormentis parùm amplius incommodarentur.

Tormentis Urbem qvatit. Ipsis Calendis Maji, inter noctis tenebras in Neostadio suggestus erectus, & posterâ luce creberrimis inde fulminibus in Urbem detonatum. Sed vergente ad vesperam die cedere iterum cogebantur hoc suggestu Cæsariani: Qvia obsessi contrariis ictibus unũ tormentorum vehiculo comminuto excusserant, tormentarium qvendam brachio mutilârant, & præter illum complures alios sauciaverant. Post primum autem hunc conatum tormenta per aliqvot dies interqvievêre qvidem, accessus tamen eò majore ardore promoti; ita ut ubivis oram fossæ libarent: Diversis qvoq; locis exstructi suggestus, & acti cuniculi.

Nonis Maji, ad duo præcipuè loca, Sudenburgum, nempè, & Neostadium, violentissima ex octo suggestibus instituta verberatio. Tres suggestus ante Sudenburgum constructi in Heideccum collimabant: Decem semimuralibus tormentis horrentes. Totidem in Neostadio excitati, qvatiebant octo ejusdem magnitudinis machinis, altæ portæ superstructam turrim: Qvò tormentum evexerant Magdeburgenses; continuò exinde in hostem, insigni cum ejus jactura, detonantes. Unus ultra Albim in antemuralia novæ munitionis ad Neostadium, totidem dimidiatis, qvos vocamus, canonibus, obliqvo ictu subinde fulminabat. Octavus ante vectigalis munimentum, ab obsessis desertum, exstructus, qvinq; levioribus seu campestribus bombardis transversarium in insula infensabat limitem.

Furorem autem hunc hostis non parum instruxerant, & intenderant ipsiusmet Magdeburgi sociæ Civitates. Cumprimis, sub finem obsidii, mercator Hamburgensis, nomine Bertramus Pape, Tillio ingentem tormentarii pulveris vim transmittere, & pulvis hic ab ipsius Civitatis milite Domitzam usq; deduci visus: Qvo næniam demum Magdeburgo de fortunarum reliqviis cecinit Tillius. Unde, post Urbis excidium, dictus Pape, ob periculum, non ab exule modò Magdeburgensium turbâ, sed Hamburgensium qvoq; nonnullis imminens, aream, mercatorum congressui qvotidiano destinatam, vitare ad tempus, & omninò ex Urbe in agros secedere coactus.

Jam omnia ad violentam aggressionem parata erant: Sed turris, qvam diximus, altæ portæ, & rotundum veteris structuræ, è lapide coctili fabricatum, pugnaculum propè portam, dum pertinaciter & opinione longiùs incussorum globorum ictibus resistunt, hostis impetum aliqvantisper remorata fuêre. Binæ tamen militum decuriæ, satellite ductore, per occulta cellæ irrepentes fossam, ipsis valli penetralibus fodiendo insinuare contenderant: Verùm hi qvoq;, eruptione factâ, rejecti, &, duobus captis, unus, glande plumbea trajectus, pro reliqvis temeritatis pœnam vitâ luit.

Qvemadmodum autem Cæsariani ad oppugnandam Urbem ingenti ardore se præparabant: Ita econtrà in Civitate, qvicqvid arma ferre posset, impressionis hostilis, jamjam imminere visæ,

visæ, metu, pari alacritate ad hostem repellendum concurrerat. Qvod Tillium attinet, diem is hunc cum aliis primoribus militiæ Ductoribus, apud Pappenhemium in Neostadio exegit; de deditione Cives acturos, autumans: Qvanqvam, hac qvidem vice, nil minus cogitarent, sed magnis potiùs animis ad defensionem accingerentur.

Noctem inseqventem artificiosis ignibus, in Urbem subinde injectis, illustrem hostis reddidit: Verùm, civibus ad restingvendum indefessam operam navantibus, irrito conatu.

Magdeburgenses denuò eruptionẽ tentant.

Et Falckenbergius qvidem, nihil, qvod sui muneris foret, omittere; nec ullis laboribus fatigari, nec ullis deterreri periculis: Inter alia, propè stationem suam, violentâ denuò eruptione factâ, Cæsarianorum ad sexaginta, interq; hos Centurionẽ ac Sub-Centurionem trucidare. Hostium tamen furor, robore & multitudine militum suffultus, enervi ipsius atq; viribus destitutæ strenuitati validè ubivis præpollere. Hi enim, eruptione isthac minimè attentâ, ad opus suum mox reverti, tantoq; id fervore urgere: Ut ad Heideccum muro, qvi exterius fossæ labrum præcingit, perforato, qvattuor in eum locum demitterent machinas, iisq; antemuralia dicti propugnaculi qvassare inciperent.

Tillii tertiùm iteratæ literæ.

Ultimo Iduum Maji, tubicen iterum in Urbem cum literis ad Administratorem, Civitatem & Falckenbergium, à Tillio missus: Qvibus post extremitates, in qvas obsessi redacti, qvæq; ulteriorem moram sine summo discrimine haud paterentur, in mediũ adductas, postulabat; *ut, re breviter pensatâ, cæsareæ Majestati colla submitterent, deditionem denique amplexi. Sin aliter fieret: Coram DEO & universo Orbe excusatum, in conscientia quoque sua tutum fore; nihil ipsi imputari posse, sed illos ipsos propriâ pertinaciâ extremam sibi accersivisse perniciem, omniũve subseqventium malorum rationes summo Judici reddituros.*

Qvem tubicinem in Urbe ad tertium usq; diem detinuerunt Magdeburgenses: Qvo, nisi Civitatis fatum, subitò ingruens, prævertisset, cum responso remittere constituerant.

Violenta obsidii continuatio.

Eâdem, qvâ tubicen Urbem ingressus, die Pappenhemius è statione sua ad Neostadium milites nonnullos in fossam descendere, & incîdere vallum jussit. Magdeburgensium autem ad qvadraginta fortiter erumpentes, eos repulere: amisso tamen Wustenhofio, Centurione non instrenuo.

Redibant nihilominùs illi non diu post, & aliqvot doliis secum illatis, terrâq; oppletis, qvod qvæ fierant, demũ asseqvebantur; in ipso vallo nidulati: Obsessis neqvicqvam contra nitentibus; qvippe qvos commoditas infestandi à lateribus hostis, ob prominentes qvasq; munitionum partes tormentis dilaceratas, jam destituerat. Transversaria tamen lorica in vallo excitari, &, cuniculorum hostiliũ metu, contrariis cuniculis manus admoveri cœpta.

Tormentorum è Tillianis castris in Urbem boatu, ipsis Nonis, tum octavo & septimo Iduum Maji, magno furore & penè sine intermissu continuatum: Usq; ad ultimi hujus meridiem; qvâ aliqvamdiu feriatum. Qvanqvam verò multa ictuum millia numerarentur, non adeò multum tamen iis profectum fuerat. Nam vetus Heidecci structura ejus tenacitatis & lentoris reperiebatur: Ut globus impactus non latius foramen, ac ipse erat, faceret, & sæpè alteri globo incussus hæreret, nec ulla inde ruina aut hiatus muri seqveretur. Altæ autem portæ turris, dicto octavo Iduum Maji, innumeris ictibus qvassata, conciderat qvidem: Verùm haud, prout Tillio in votis, antrorsum in fossam proruens, sed ad latus vallo incumbens, & vetus orbiculare propugnaculũ, propè sitũ, casu suo ruderum implens. Antemuralia novi munimenti versùs Neostadiũ lacera sanè & aliqvammultis locis perforata erant, sed ipsa valli structura densior vix qvicqvam senserat damni. Sphæræ, artificialem ignẽ evomentes, & ollæ æreæ, seu mala punica, ut vocantur, granis lethalibus gravida, magno numero in Urbẽ conjecta, effectu penè caruerant. Nec tot tormentorũ ictibus, qvibus Urbs triduo hoc impetita, militum & civiũ, in vallo excubantium, ultra octo aut novem desiderati.

In Senatu militari visextrema decernitur.

Septimo Iduum Maji, inclinante in vesperam die, Tilliùs, qvid agendum, militari Senatui convocato deliberandum proposuit: Anceps namq; animi erat, num aggressionis alea sub-

eunda; &, irritam fore, verebatur. Nonnemine tamen primorum Ducum exemplum Trajecti ad Mosam in medium adducente, qvod, civibus primulo diluculo domum digressis, & reliqvis excubiis somno sepultis, impetu captum fuerat, tandem decretum: Postero mane, summâ vi, ubivis locorum, oppugnationis faciundum periculum. Conventumq; inter Duces: Pappenhemius cum Gronsfeldica, Wangelerianâ, & Savellica, Legionibus, ad diffusam & amplam contra Neostadium munitionem, impressionem faceret; Adolphus, Holsatiæ Dux, opus cornutum, Crôckensi portæ præjacens, impeteret; Wolffgangus, Mansfeldiæ comes Heideccum, & tres cæsareæ Legiones cum nonnullo fœderatorum pontificiorum Ordinum milite, munimentum, qvod trans pontem obsessi adhuc obtinebant, consilirent, signoq; grandioribus tormentis dato, qvisq; qvod sibi injunctum, strenuè exseqveretur.

Præ aliis autem Pappenhemio locus ad vim faciendam commodus obtigerat: Utpotè fossâ siccaneâ, vallo declivi, adeoq; ascensu facili, & eminentibus insuper propugnaculis, qvæ latus invadentium infestarent, destituto. Nec ipse sibi deesse, ad aggressuram magnâ industriâ perpetem noctem se comparans: Vallo insinuando, gradus in eo ad projectos usq; cippos exscindendo, & similia, qvæ crastinæ oppugnationi inservire poterant, abundè providendo.

Qvanqvam ergò pridiè, impressionem summo mane, vixdum exortâ adhuc luce tentandam, conventum fuerat: Qvod tamen Tillius adeò de felici successu ambigeret, ut, illucescente die, denuò rem deduceret in deliberationem, ad septimam usq; matutinam, magno cum civitatis malo, id dilatum.

Placitum enim intùs fuerat. Noctu totam Civium universitatem, unà cum milite, in vallo excubare: Decedentibus verò tenebris dimidiam partem domum digredi, privatæ rei, & corporum curandorum; sub meridiem tamen reverti, & alteri qvoq; dimidiæ abeundi dare locum. Qvâ, circa vesperâ demùm redeunte, solida iterùm defensorum vis in vallo congregabatur.

Cum igitur, septimo Iduum Maji, tubicinem, qvem diximus, postridiè, dato literario responso, dimittere, decretum esset, universi interim cives noctem in vallo insomnem duxerant: Hostem in armis præstolantes. Increbescente autẽ luce, qvod, nocturnarũ tenebrarũ commoditate usus, nil qvicqvam tentâsset, jam periculo se defunctos arbitrabantur; maximè, qvia pridiè grandiora qvædam tormenta è suggestibus abduci viderant: Unde metu appropinqvantis Regii Exercitus, subsidium laturi, (de qvo aliàs etiam certiores erant redditi) receptum Cæsarianos meditari, conjectabant. Hinc pars, pro more, hostilis impetus securi, circa qvintam matutinam, domos qvisq; suas repetere, &, insomniâ fessi, qvieti corpora dare: Falckenbergio, absolvendi unà cum Urbis Senatu dictum tubicinem, in curiam se conferente.

Sed dum, qvi domum ierant, altùm stertunt, reliqvi, qvotqvot in vallo remanserant, somniculosi & torpentes, nihil minus, qvàm hostilem impressionem, verentur, Falckenbergius verò cum Senatu de tubicine ablegando deliberat: Ecce vis hostium in Civitatis perniciem de subitò erumpit; & Pappenhemius, post septimam, ut diximus, matutinam, tesserâ, JESUS MARIA, militi datâ, & signo, qvo invicem noscerentur, albâ fasciâ brachio circumvinciendâ, præscripto, novum, Neostadio objacens, munimentũ summo impetu aggreditur. Milites qvidẽ propugnatores, qvorũ in inferiori lorica, ad pedem valli, non nisi qvindecim reperiebantur, exinde levi negotio in superius vallum propellens, eosdemq; rapidè secutus, & superioris qvoq; loricæ ac valli jam penè potens: Ni adventu Falckenbergii, qvi, audito tumultu, è Curia illicò, cum subsidio raptim collecto, accurrerat, integratis defensorum animis, viribusq;, hìc loci iterùm, nec sine clade, fuisset rejectus. Urbs expugnatur.

Inter isthæc alii, impetu ad altam portam dato, qvia vigiliæ satis negligenter habebantur, facilè superiores exstitère. Excubitor enim in sinu qværebat hostem, qvi levi dente perstringebat cutem; mortiferos hostes asli-

assilientes, haud penè priùs, qvàm ferrum reciperet, advertens: Unde reliqvi etiam stationarii, non magno labore profligati, & hostis, vallo superato, rerum usq; ad interiorem portam potitus.

Utut autem ad arma in Urbe mox conclamatum, & campanis signum concurrendi datum, nec instrenuè ab obsessis pugnatum fuerit, (nam & victores alicubi doluêre, &, inter alios, Qvintius de Ponte, Savellicæ Legionis proTribunus, qvi, Regis vitæ antehac insidiatus, ad hostem transfugerat, occubuit) ipso tamen Falckenbergio, dum hosti ingruenti intrepidum pectus objicit, fatali glande ad mortem prostrato, confusio & terror, cùm milites, tùm cives invasit: Ita ut, vallo portâq; desertis, intra Urbis pomœria se reciperent.

Dum hîc Pappenhemius pro se fortiter rem gerit, Adolphus qvoqve, Holsatiæ Dux, ad opus cornutum, qvod Cröckensem portam protegebat, periculum aggressionis fecerat; sed, defensoribus masculum in modum resistentibus, tamdiu illîc sustentatum, qvoad Pappenhemiani, valli ad hanc usq; portam jam compotes, à tergo circumventos, obruerent: Qvi hac ratione superati, maxima pars in frusta concisi.

Mansfeldius impressionem in Heideccum eòusq; distulit, dum Pappenhemiani jam mediâ penè in Urbe grassarentur: Qvando tamen adhuc à propugnatoribus sic exceptus est, ut bis cedere cogeretur. Tandem, cum civicorum animi penitùs concidissent, & victoribus herbam porrigerent, per apertam portam, cum suis, intromissus.

Nec in insula trans pontem Cæsarianos fortuna, qvanqvàm feriùs eam tentantes, magis respexerat: Milite, qvi illîc servabat, qvod alibi de Urbis salute jam actum esse perspiceret, spontaneo demû motu eos admittente.

Infortunium ergò exitiumq; suum Pappenhemio, ejusve militi, Magdeburgum debet: Qvi, primus ad Neostadium victor Urbem irrupit. Hac qvippe statione si defensa vis hostium foret, aut defendi potuisset, operam isthac qvidem vice luserant, & reliqvis tribus loci repulsâ passi fuerant.

Post Falckenbergii necem, cives pariter ac milites, præeuntibus & animantibus, Amsterodio, Wodrichio, Trostio, aliis militiæ Ductoribus (ab omni enim parte huc mox fuerat concursum) intra Urbem se iterum conglobare, & hostem ad Neostadium è pomœrio in vallum repellere cœperant: Sed his qvoq;, pars graviter sauciis, pars illicò occumbentibus, & hoste, qvò longiùs, eò majori numero atq; ferociâ irruente, qvin etiam ignem vicinis ædificiis injiciente, tormentisq; nonnullis, qvæ inverterat, è vallo in Urbem fulminante, omnis ulterior defensio frustranea exstitit. Pleriq; ergò civium, de Urbis conservatione desperantes, de privatis verò fortunis soliciti, domus suas recessêre: Trucidatis, qvi in armis deprehenderentur. Qvidam, nimis diu in vallo restitantes, ægrè admodùm, nec à qvovis milite, ut vitâ donarentur, impetrare poterât.

Tres Consulum cladi fuêre superstites: Qvartus, unà cum nonnullis Senatorum, vitâ mulctatus. Longium qvoq; ac Trostium, subTribunos, Cressium & Wodrichium, supremos excubiarum sub pedestribus legionibus Præfectos, Hedemannum eqvitum Magistrum, & alios nonnullos militiæ Duces, de gregariis ut taceamus, victorum ira Diis manibus sacrificatum iit. Falckenbergii exanime corpus, qvod, post lethale vulnus receptum, è conflictu in proximam domum familiares extulerant, invalescente flammâ, in cineres cum Urbe redactum. Administratori, sinistrum pedem glande plumbeâ saucio, in lata (ut vocabatur) platea miles furibundus manus injiciens, bipenni in capite vulneratum, sclopetis probè contusum, vestimentisq; penissimè spoliatum & seminudum eqvo imposuit, (pedes enim, ob vulnus acceptum, progredi non valebat) ac per exiguam semitam, qvam in acclivitate valli, mirâ celeritate, ut eqvitem admitteret, straverat, in Pappenhemiana primum castra abduxit: Unde posteà Wolmerstadium, & hinc porrò Gvelpherbytum, in custodiam translatus. Amsterodius qvoq;, generalis vigiliarû Præfectus, lethali plaga, qvâ postridiè decessit, affectus, Uslarius & Bojus,

Insignis captorum ac interemtorum nomina.

SubTribuni, tum Schiffmannus, eqvestribus excubiis Præpositus, & universi eqvites, qvi ad Basilicam in novo foro congregati stabant, vivi in potestatem hostium devenerunt.

Militum in victos crudelitas.

Postqvàm, portis reseratis, eqvitatui, & maximè Croatis, toto agmine irrumpere datum, tum demùm Urbs rapinarum, cædium, stuprorum usqvequaq; repleri, & tam crudeliter, barbarè, detestandumq; in modum miles victor se gerere: Ut calamus, nefanda facinora abhorrens, scribendi penè munus detrectet. Ad Catharinæ qvinqvaginta tres homines, maximam partem imbecillioris sexus, in ipsa æde sacra capite truncatos; ad Divi Johannis concionatorum unum ante altare cæsum ferunt. In Urbe nec gravidis, nec parturientibus fæminis, qvarum nonnullæ mactatæ, parcitum. Infantem à matre forte projectum, duos milites, pedibus in diversa raptis, in duas partes discerpsisse, non sine horrore legimus. Fœminas & virgines, post vim pudicitiæ eorum publicè in ædibus aut plateis illatam, in ignem præcipites actas, scribitur: Unde nobilis qvædam virgo in puteum semet conjecerit, aliæ flammam ultrò insilierint; Patriæ busto pudicitiam simul & vitam Deo immolaturæ. Liberi impuberes, qvorum ætati miles, alicubi mitior, pepercerat, trucidatis & sangvine suo turpatis Parentibus assidere visi, Patris matrisve nomen flebili voce neqvicqvam inclamantes; alii, infantes adhuc, à cæsarum matrum uberibus penduli reperti: Qvos pariter tamen consumtor ignis paulò post hausit.

Urbis deflagratio.

Pappenhemio etenim, præsidiarii militis, civiumq; suis, Urbem irrumpentibus, opinione acrius resistentium animos, Vulcano adjutore infringere visum fuerat; flammâ in proximas qvasq; ædes injectâ: Prout relatu eorum nobis constat, qvi deflagrationis, autore Pappenhemio, instrumenta, sub Regiis stipendia postmodùm meruerunt. Hinc enatum primò incendium, dum subitò inter ea fatalis ventus-turbo suboritur, adeò mox invaluit: Ut miles, ulteriùs prædari impeditus, ob ignis, omnia pervagantis, æstum (aliqvot Legionibus, qvæ in vallum concessere, exceptis) Urbe excedere coactus fuerit. E qva tamen, unà cum eqvis & pecore, aliqvammultas secū fœminas, virginesq;, & mares etiam, in castra sua ac stativa abduxit. Et fæminarum qvidem pudori miserrimè illusum: Adeò, ut inter eas nonnullæ, præsertim puellulæ decem aut duodecim annorum, qvarum tenellæ ætatulæ haudqvaqvàm parcitum, stupratorum libidini immorerentur.

Intra duodecim horarum spatium, à decima antemeridiana ad decimam vespertinam, universa Urbs, & in ea insignia sex templa parœcialia, (qvorum pars lapide cyaneo, pars plumbo, id ad D. Johannis autem cupro intectum erat) cum turribus superbè eminentibus, nec non reliqva ædificia sacra, in igne consederunt: Exceptis centum triginta novem, è viliorum genere, domunculis, ad piscatoriam ripam ferè sitis, & vim ignium elapsis. Paucula etiam ædificia circa Basilicam, & Divæ Virginis monasterium, unà cum his duobus templis, & dicto monasterio à flammæ injuria illibata manserunt: Qvanqvam monasterium non in exiguo fuerat discrimine; nì miles, à monachis inductus, incendium, proxima qvæq; jam depascens, hinc arcuisset.

De incendio hoc pontificius Autor judicium suum interponit: *Ob crudelitatem*, scilicet, *qvam Cæsariani in expugnatione Urbis exercuerint, Omnipotentem, illorum facinoribus infestum, permisisse; ut Urbs in cineres redigeretur: Ne divitiis & subsidiis, qvæ, Urbe incolumi, in eorum potestatem ventura erant, commodè & debito modo uti possent.* Et certè, qvisqvis verum amat, Tillium commeatus, aliorumq; necessariorum, qvæ posteà contra Regem magno illi fuissent usui, jacturam ingentem hac Urbis deflagratione fecisse, haud ibit inficias.

Postridiè fumantia adhuc ædium rudera, & cellarum subterranearum latibula scrutari miles cœpit, vestiūq;, cimiliorum, argenti facti, similium opimam prædam inde eruere: Cives etenim, artificiosorum ignium metu, pleraq; pretiosiora mobilia, ac utensilia eò abstruserant. Cibatus qvoq;, ut lardi, bu-

Direptio post incēdium.

di, butyri, & id genus, largâ copiâ, nec non cerevisiæ aliqvoties mille cupis inventis, toto inde triduo strenuè helluari, & lurcari, nymphæq; Magdeburgensis nuptias, prout Tillius ipsemet indigitabat, celebrare instituit.

Ad Basilicam mille circiter capita, maxima pars mulieres, virgines, & impuberis ætatis, pauci Cives, pauciores adhuc milites, tanqvam ad asylum confugerant, integrumq; triduum, omni cibo, potuve destituti, vitâ tolerârant. His Tillius, qvarto Iduum Maji, per binos tympanotribas vitæ gratiam ipsis factam, annunciari, dein ruidi aliqvid panis, ad refocillandum vires porrigi jussit. Mox mares cives in Episcopalem aulam inde abducti, &, qvotqvot integrarum virium, repugnandæ à sordibus Basilicæ destinati: Milites autem captivos Tillius ipsemet, ædem ingressus, lustravit; nec sine convitio & exprobratione negligentiæ, qvâ debita munia obierant, inter Legiones suas distributos, Cæsari sacramento militari transcripsit.

Numerus mortuorum. Numerum eorum, qvi hac strage perierunt, certum haud facilè inieris: Qvod flamma & ædium ruina si non plures, certè non pauciores, ac ferrum, hauserit. A nonnullis sanè, qvia interemtorum cadavera, Tillii jussu in Albim projecta fuère, observatum scribitur, corporum, qvæ unda sepelienda suscepit, sexies mille, qvadringenta, qvadraginta, & qvod excedit, numerata: Sed cum tantùm, qvi in soli superficie, non qvi inter ædificiorum rudera, & subterraneis locis cumulatim jacuerunt (ne de igne omninò absumtis dicamus) in hanc Libitinæ aqvaticæ censum venerint, inde qvàm lubricus & ambiguus hic calculus, in promtu videre est.

Numerus Civiû superstitum Conjectura & fama, ad qvadringentos qvasi cives, cladi superstites fuisse, arguunt. Qvæ populosæ Civitatis reliqviæ à milite in castra atq; captivitatem abductæ, injuriosè habitæ, & qvanqvam omnium fortunarum jam ante cum pulvisculo jacturam fecissent, ingens ab egentibus lytrum, redimendæ vitæ ac Libertati, postulatum: Magna tamen pars, suborto per noctem Fermeslebii in Tillianis stativis, pridiè Iduum Maji, incendio, hostiles manus evasère. Inter qvos Johannem Stalmannû, qvi injectis compedibus arctè asservabatur, fortuna qvoq; respexit: Ut, custodibus in hoc tumultu alibi occupatis, præsenti se exitio subduceret.

Eâdem ipsâ die Tillius prædandi licentiæ finem imponebat, &, militaris disciplinæ eò exactiùs servandæ, tribus Legionibus, qvæ in novo & veteri foro hucusq; tetenderant, suam cuiq; in vallo stationem assignatû ibat.

Idibus autem Maji primores qviq; Exercitus Duces, ad Missam, (ut vocant) qvâ pontificiæ doctrinæ templum denuò manciparetur, in Basilica audiendam invitati: Eâq; peractâ, & cantato Divi Ambrosii hymno, tormenta circum Urbem, in victoriæ ac lætitiæ inde exundantis signum, ter displosa.

Præsagia exitium Urbis antegressa. Et hæc qvidem est vetustæ ac celebris Urbis, Magdeburgi obsidio, eamq; subseqvens expugnatio: Qvæ ruinam ejus & penitissimum excidium secum traxit; jam ante annos aliqvammultos fatidico qvodam instinctu à Petro Lotichio defletum.

Dirum autem id malum insolita & horrenda tempestas, sexto Calendarum Septembris superioris anni, inter tertiam & qvartam vespertinam repentè exorta, sine dubio præsignificaverat. Hæc enim nonnullas sacrarum ædium turres, è fundamento subversas, in caput ac fastigium stitit, muriq; partem non contemnendam dejecit. In Paradyso qvoq; (sacellum est Basilicæ innexum) qvinq; statuis, qvæ prudentes virgines ex Evangelio referebant, lampadas suas, & novo testamento, prout ibidem effigiatum erat, calicem manibus excussisse fertur. Falckenbergium verò turbo hic, sub dio eqvo vehi deprehensum, ter eqvo excussit: Qvod mortis ei præsagium fuisse, exitus arguit.

Hamburgi porrò à curiosis observabatur; eo ipso temporis momento, qvo Magdeburgum iturus erat Administrator, eqvum ascendenti bis ingenti tonitru, qvanqvàm sudo & nullis nubibus obducto aere, admugire cœlum: Qvod pro nota habitum seu felicissimi alicujus, seu infortunati admodùm eventus.

Paulò

Pauló ante obsidionem immanis figuræ monstrum natum perhibetur. In Neostadii enim suburbio Decani militum uxor, per aliqvot dies parturiens, & cum partus doloribus neqvicqvam colluctata, qvando onere suo levari non poterat, eidem succubuit, & animam efflavit: Ante obitum tamen maritum & circumstantes rogitans; dissecto utero causam necis suæ contemplarentur. Repertus infans miræ magnitudinis, trimulum puerum staturâ penè exæqvans; caput velut casside tectus, corpus armis, pedes ocreis indutus: Omnia ex tenuissima cute, ita ut commodè detrahi possent. De collo pédula visebatur qvasi militaris, id genus, qvibus sclopetorum onera recondi solent, è carne constans bulga; introrsùm pilosa, adinstar ovilli, aut vaccini ventriculi: Cui exiguæ carnis massæ accreverant; magnitudine & formâ glandium, qvales longioribus sclopetorum tubis emittuntur. Hoc monstrum, ut nulli non admirationem concivit, ita Magdeburgensibus imminens exitium prædixisse, & ad locum, unde præcipuè ingrueret, Neostadii scilicet suburbium, qvasi digitum intendisse, eventu posteà compertū est.

Rex cum Exercitu Spandoâ retrò se confert.

16. Sed ad Regem regredimur, qvi, nullâ difficultatum hinc inde emergentium ratione habitâ, in eo totus erat, ut Magdeburgum hostis faucibus qvoqvo modo eriperet: Qvem in finem Spandoâ Potzdamium moverat; Havelæ ripæ insistendo. Albi magis, magisq; propinqvans, & Tillium, seu vi obsidio depellendi, seu diversâ impressione retrahendi occasionem qværens. Postqvàm verò rumor expugnatæ Urbis aures ejusdem sauciavit, intentione liberandæ lapsus, nisi tuto penitùs tergo, altiùs penetrare, nec necessarium ampliùs, nec consultum arbitrabatur: Imprimis, qvia Cæsariani, qvos non ita pridem Francofurti fuderat, haud contemnendis novorum delectuum supplementis aucti, in Silesia iterùm coierant; ab hac parte, si Rex progrederetur, novas dubio procul turbas daturi. Prout in Crosna, cujus custodiæ Brossardus, summus excubiarum sub Tupadelii Legione Præfectus, cum modico præsidio invigilabat, periculum satis acri assultu, circa hoc tempus, jam fecerant: Utut prudenti ejusdem Brossardi dispositione, & expromtâ non regiorum modò militum, sed ipsorum qvoq; civium, ad Patriæ mœnia propugnanda accurrentium, operâ, cum damno rejecti, tulissent repulsam.

His de causis Rex, Potzdamo digressus, Spandoam Exercitum reduxit; Sub Arcis, qvæ à suis tenebatur, tutelâ castra iterùm metatus, & moram tamdiu ibidem tracturus, dum adverteret. Qvorsum Tillius post expugnatum Magdeburgum versurus esset impetum? Et qvid protestantibus Germaniæ Principibus ac Ordinibus, cumprimis duobus vicinis Septemviris, post flebilem Urbis, tum viciniæ, tum Religionis nexu conjunctæ, ruinam, aut animi, aut consilii foret?

Ejus de Magdeburgensi excidio publica expurgatio.

Facilè autem augurari Rex poterat: De funesto & memorabili hoc casu, qvod obsessa Urbs, non tempori satis, prout decuerat, liberata videretur, inter varios, affectuum præjudicio occupatos, varia qvoq; judicia excitatum iri. Qvocircà culpam amissæ, nec servatæ Urbis publico scripto à se amolitus est: *Errore Magdeburgensiū, qvo in ipso turbarum limine, ad habendos delectus sufficientem pecuniæ summam minimè anticipando, impegerant,* sub initium perstricto, luculenter deinde, & ad oculum demonstrans. *Summis qvidem viribus ad succurrendum Magdeburgo contendisse, nec qvicqvam in eo fecisse reliqvi: Sed ineluctabilia obstacula objecta, qvæ conatus suos remorata fuerint; nec, nisi in præsens exitium seq., suosq; præcipitare voluerit, priusqvam, hoste Viadri & Wartæ ripâ ad Francofurtum Landsbergamve depulso, qvæ à tergo erant, in tuto collocaret, iter maturare potuisse. Nihilominùs, utut hostis post Francofurtanam cladem ad Glogoviam majorem se recollegerit, plus obsessæ Urbis salutem ipsi cordi, qvàm pericula, qvæ ab hoste, vires integrante, imminerent, curæ fuisse, aut solicitudini: Ideóq; Cæsarianos, qvos profligatos perseqvi ratio belli dictitabat, ad præsens omissis, versùs Havelam & Albim signa, liberandæ Urbi, transtulisse. Qvod autem propositum hoc effectu caruerit, Electores vicinos unicè in causa. Qvippe*

cum

cum Saxo, cujus vel maximè interfuerit Urbem servari incolumem, non modò arma regiis armis jungere, sed & transitum, commeatum, tormenta, rem tormentariam flagitanti præbere detrectârit: Brandenburgicus verò, nec commeatum, naves, similia, ad tentandam rei adeò momentosæ aleam necessaria, quæ alibi reperire non erat, satis maturè subministrarit aut subministrare potuerit, nec idoneam cautionem, qua fisus Rex ulteriùs progrederetur, præstiterit tempori; partim quoqve de iis, quorum Rex certus esse volebat, assensum suum eousq; dum Saxo mentem suam explicaret, suspenderit. Summatim, uterqve ita se gesserint: Ut Rex, hostiline an amico in se essent animo, non satis nosset, nec qvicqvam solidi aut firmi de iis sibi posset polliceri.

Regis de ineundo fœdere tractatus, cum Gulielmis, Saxoniæ Duce, & Hassiæ Landgravio.

Dum igitur Rex ad Spandoam hunc in modum stativa habet, tractatus de fœderatione, cum Landgravio Hassiæ ineundâ, recaluit. Qvod enim, præcedenti anno, in eventum modò, ad Landgravii ratihabitionem, fuisset contracta, & hic, successu temporis, Gulielmum, Saxoniæ Ducem, stirpis Vinariensis in Regias traduxisset partes, ideò uterq; Legatos suos, supra nominatum Hermannum Wolffium, & Sigismundum Heusnerum, ad Regem miserant: Qvi, nomine suorum Principum, vi mandatorum, utriusq; sigillo ac manu firmatorum, in easdem penè leges, de qvibus præterito proximè Novembri convenerat, & seqventi tandem Augusto cum Landgravio plenissimè transactum est, cum Rege sunt pacti. Excepto; qvod *Rex Ducem Saxoniæ, ut militiæ artibus subactum, belli Imperatorem illis in oris constituit, facta potestate: Ad conscribendum Exercitum necessariam pecuniæ summam, certis pensionibus resolvendam, sub moderato interusurio, fœnori sumerent; tum Ductoribus, qui sumtus ad militem legendum de suo in antecessum erogare vellent, de refundendo, qvod impenderetur, caveret. Regem enim ratihabiturum, & indemnem præstiturum. Qvod si, occasione fœderis cum Rege initi, Principes aut dicionibus suis ab hoste pelli, aut in captivitatem redigi contingeret, Rex, priori casu, tutum illis in Regno receptum, & condignum personæ ipsorum munus aut alimenta præbitum, posteriori in libertatem eos assertum, nec sumtibus, nec labore in hoc à se parcitum iri, sanctè repromisit.*

Alter Regis cum Electore Brandenburgico tractatus, spinosus, & difficultatum plenus.

17. Isthac sanè ratione amicitia arctior inter Regem ac hos Imperii Principes sensim coibat: Econtra necessitudinis cum Electore Brandenburgico vinculum penitùs, circa hoc tempus, diruptum iri videbatur. Spandoæ enim arx, ut suprà diximus, Regi ab Electore tradita fuerat: Certis tamen legibus; donec, scilicet, Magdeburgum obsidio liberatum foret. Deperditâ autem, anteqvàm rei periculum fieri potuerat, Urbe, de restitutione hujus arcis controversia suborta, Regis progressus integrum penè mensem stitit, & sufflaminatum iit.

Rex Sveciæ, nisi certum ad Havelam receptum haberet, ulteriùs Albim versùs cum Exercitu progredi, haud tutum arbitrabatur: Multò minus consultum, longiùs à Viadro recedere; anteqvàm certus foret, hosti ad Custrinum haud concessum iri transitum. Hinc è re sua judicabat: Electorem Brandenburgicum, aut ut, fœdere icto, in partes suas palàm, atqve omninò trâsgrederetur, aut ut Custrini, Spandoæq; saltem munimenta in potestate sua relinqveret, qvoqvo modo inducere. E diverso in electorali aula, qvanqvàm Comes Svartzburgensis, Regiæ intentionis adversarius & remora, ante adventum Regis discessum maturasset, supererant tamen forsan nonnulli, qvi partes & consilia ejus clandestinè foverent. Reliqvorum, hoc veneno non infectorum, animos expugnatio & excidium Urbis Magdeburgensis non perfunctoriè, nec levi ictu perculerat: Ita ut de bello finibus suis exonerando, & particularis status indemnitate per Neutralitatem qvalitercunq; conservandâ cogitarent potiùs, qvam communis omnium Protestantium causæ essent memores. Qvocircà ad astipulandum Regis votò & postulatis, nullis se persvaderi argumentis patiebantur.

Rex itaq; simulare animum induxerat; qvasi retrò cum Exercitu abire, & Marchiam, præsidio viduatam, hostium petulantiæ ac prædæ exponere, secum

secum constituisset: Periculum facturus; num forte præsentissimus discriminum, jamjam ab hoste imminentium, terror, suspensos & fluctuantes hinc inde animos in partes suas impellere valeret. Missis ergò ad Electorem, decimo septimo Calendarum Junii, qvi contestarentur dolorem, conceptum ex Magdeburgi ruina, totq; millium animarum, qvæ cruore illic suo hostium sævitiæ litaverant, interitu, & ipsius Administratoris captivitate; Electori in memoriam revocabat. *Potuisse occurri huic malo, & Urbem, aspirante divini Numinis auxilio, servari incolumem: Ni illi ipsi, qvos exspectationem frustraturos minimè crediderat, armorum suorum progressibus injecissent remoram. Perspicere exinde haud difficulter; adventum suum in has oras uni, alterive haud adeò acceptum: Ideoq; de recipiendo se aliorsùm cum Exercitu, qvò qvàm commodissimè videretur, cepisse consilium. Spandoæ qvoqve arcem Electori, datæ fidei memorem, è vestigio restituturum, eoq; os obturaturum invidis ac maledicis candoris sui obtrectatoribus. Qvi traditione hujus, aliorumve munimentorum, aliud, qvàm personæ ac status sui securitatem qvæsiisse, clam susurraverint. Pergratum autem ipsi fore: Siqvidem Electori omnia prosperè imposterum atqve ex voto cederent, & absqve Regis auxilio dignitatem suam, populumve à DEO concreditum, tueri, ac ab interitu conservare daretur.*

Non mediocriter perturbare Electoris, & qvi huic à secretioribus consiliis, animos, Regis isthæc propositio. Prospicere namq; eminùs; Rege ad tempus recedente, Cæsarianos in regionibus his, milite omni nudatis, sine dubio nidulaturos, illoq;, post auctas novarum copiarum supplemento vires, in hostem redeunte, Marchiam exitiabilis belli palæstram, & utriusq; factionis præmium, prædamve fore. Hoc ergò subitum Regis propositum ut remorarentur, duo interioris admissionis Consiliarii, Levinus à Knesebeke, & Conradus Bertramus Phulius, ad Regem, decimo sexto Calendarum Junii, ablegati.

Rex, pupugisse Electoris animum hac ratione, sentiens, qvam ingressus erat viam, progredi instituit; Comiteq; Ortenburgico, unà cum Legatis, Berolinum remisso, fœderis consummationem, & solidam armorum, animorumq; conjunctionem strenuè ursit: Simplex, nullisq; cautelis aut conditionibus restrictum, ad postulata, responsum flagitans. Qvod tamen longè secùs, ac rationem subduxerat, & in diversum planè sensum cecidit.

Brandenburgicorum enim intentioni hæ extremitates planè adversari: Hinc consilia eò flectere; qvomodò apud Tillium, Neutralitatem, seu à bellicis oneribus atq; incommodis immunitatem, regionibus, qvæ Spreæ & Havelæ adjacent, Albiq; ac Viadro includuntur, aut certè, ad minimum, aulæ & munitionibus electoralibus impetrarent. Nec difficilem obtentu illam fore, sibi persvaserant: Si de Regis, sponte suâ recedentis, voluntate Tillius certior redderetur; Spandoæ simul arce in Electoris potestatem redeunte. Hinc, exiguâ morâ interpositâ, decimo qvinto Calendarum Junii, Ortenburgico seqventem in formam responsum. *Nunqvam abhorruisse à fœdere cum Rege ineundo Electorem: Nolle tamen ab aliis protestantibus Imperii Electoribus, Principibus, Ordinibus penitùs divelli, aut disjungi. De eo qvoqve ex ante-actis sat constare; qvod Electori haud in mentem venerit, de summo militiæ moderamine Regi movere controversiam: Modò in militem, qvem conscripserit, & propria munimenta Imperium ipsi relinqvatur; qvibus utriusq; tamen in Regis præjudicium minimè sit usurus. Huic responso, Regem, ut acqviescat, obsecrare; aut certè tandiu interqviescat: Donec cum Electore Saxoniæ, ad qvem protinùs se conferre habeat in animo, & Ordinum provincialium Eximiis, qvi brevi conventuri sint, de re omni communicasset. Qvod si ne tantulam qvidem moram Regis ardor ferret, sanè ejus voluntati haud modum præscribere, aut leges: Ageret, qvod è re sua & publica arbitraretur. Arcem Spandoæ, siqvidem Rex restituere ipsi minimè gravetur, suo præsidio iterum munire, &, ut antehac, ita imposterum custodire paratum. De cætero, in Regis situm arbitrio: Velletne cum Exercitu aliovorsùm divertere, an his in oris adversùs hostes ulteriùs figere pedem? Si*

Rex

Rex cedat retrorsum, ipsi animo propositum: Collegæ, Saxoniæ Electoris ope, seq; suosq; pro virili tueri; & necessitate exigente, Regis qvoqve implorare auxilium. Interim, ante omnia, æqvæ & fidæ Neutralitati, ab adversa parte impetrandæ, operam daturum. Sin Rex diutiùs commorari hic locorum malit, commeatu, & aliis, ad sustentandum Exercitum necessariis, pro opibus & virium copia, illi haudqvaqvam defore.

Ex hoc responso luculenter patuit: Regem viâ, qvam institerat, recessum nempè minitando, & pericula, ab hoste exinde eminentia, repræsentando, (qvippe qvæ, aut Saxonis vicini ope, aut interventu potiùs Neutralitatis Elector averti posse, opinaretur) haud perventurum ad propositi sui metam. Omissâ ergò & rejectâ in commodiùs tempus fœderis mentione, ut, electoralibus munimentis certo pacto traditis, securitati suæ à tergo consuleret, in præsentia tantummodò laborandum sibi duxit: Prænoscens tempestatem jam tum, qvæ Protestantibus à Pontificiis instabat, & modò Rex ad tempus aliqvatenùs sibi prospiceret, utrumq; Electorem, ad Regis amicitiam & conjunctionem ultrò ambiendum, adactura videbatur. Hinc, undecimo Calendarum Junii, *qvicqvid hucusq; cum Electore Brandenburgico actû, in suspenso, donec de Electoris Saxoniæ mente edocerentur, relinqvere professus, castra nihilominùs Havelam deorsùm versùm movere, propiùs hostem, velle, indicabat: Qvò minori periculo id fieret, novissimam, Spandoensis Arcis nomine à se Electori datam, singrapham aliqvòusq; extendi postulans. Arcem* scilicet *hanc, præsidio suo insessam, retinere, tâdiu jus, fasq; esset: Dum aut Exercitus, post arcem reductus in tuto collocaretur; aut hostis in eum redactus foret statum, ut Regiis ab hac parte receptum intercludere, minimè potis esset.*

Huic Regis desiderio Elector *ad tempus, dum, responso ab Electore Saxoniæ accepto, res ad ulteriorem tractatum deveniret*, assentiri declaravit; hac tamē lege: *Ne assensio isthæc in prioris convētionis regiæve syngraphæ vergeret præjudiciū, & Rex de restituēda suprà memoratis casibus Spandoæ arce, denuo scripto obstringeret fidem*. Id qvod Rex, decimo Calendarum Junii, effectum qvoq; dedit. Qvoad alterum verò dicionis suæ propugnaculum, Custrinū, Elector in eundem ferè modum, qvo deinceps qvarto Iduum Junii conventū, mentem suam explicuit: Contentusq; eo Rex erat; Modò in cautionis instrumento, ubi de Regis hostibus agitur, *tam futurorum, qvam præsentium* fieret mentio.

Jam facta, transacta omnia putabâtur, nec qvicqvam hac vice restare, nisi ut Albim versùs Rex moveret, cum ecce difficultas, ob sensus ambiguitatem suborta, rem ex expedita impeditam satis reddidit. Ab Electoris enim parte data paulò ante, de Spandoæ arce Regi relinqvendâ, declaratio, restringi, ad tempus accepti electoralis Saxonici responsi: Tunc enim omnia in statum, qvo ante extensionem dictæ regiæ syngraphæ erant, reditura, contendi. Qvod verò Custrinum attinet, cum verba, qvæ cautionis formulæ inseri Rex postulârat, Electori Saxoniæ aptari possent, Brandenburgicus pari modo rem omnem, usq; dum de Electoris Saxoniæ sententia ipsi constaret, suspendere.

E diverso à Regis parte verisimilibus argumentis contra disputari. Clausulæ, electoralis declarationis exordio expressis verbis insertæ, (qvâ declaratio ad tempus responsi, ab Electore Saxoniæ accepti, restringi visa) non hanc mentem, prout Brandenburgici opinentur; sed id solummodò inferre, & eò unicè collimare: Qvod in eum casum principalis de fœdere ineundo tractatus (qvi ut eòusq; interqviesceret, Rex assensus erat) in manum resumendus, & sub incudem veniat revocandus. Alioqvi si clausulæ ea vis esse statuatur, qvæ totam declarationem elidat, jam hanc ipsam declarationem, cum Electoris Saxoniæ responsum propediem, & vel hodiè, vel cras affuturū sit, penitùs frivolam reddi, & nullius momenti; Nec Regem, eâ fisum aut fretum, ullatenùs cum Exercitu in ulteriora movere posse pedē: Qvippe, de retinenda in potestate sua Spandoæ arce, ne tantillum qvidem temporis securum fore. Perpenderent modò, qvi Electori à consiliis erant; condicionē, sub qva Elector arcem in Regis manus iterum consignârat, non in Ele-

in Electoris Saxoniæ volũtatem, qvicqvid tandem ille rescriberet, sed Regis ipsius arbitrium & judicium potiùs collatam: Et, nisi Electoris promissio, à scopo suo, qvi erat Regis & Regiorum securitas, omninò aberrare deberet, tãdiu arcem in Regis manibus relinqvendam; qvoad aut, ab hoste pressus, recedere consultum putaret, ac, arce à tergo relictâ, in tuto collocâsset Exercitũ, aut hostem in eum redegisset statum, ut vires ipsius haud magnoperè ei essẽt extimescendæ, nec ad intercludendum ab hac parte suis receptum pares. A verbis, qvæ cautioni, respectu Custrini præstandæ, addi Rex voluerat, Saxonem sanè, siqvidem hostem se profiteri velit, minimè excludi: Non tamen in ea Regem fuisse sententia; Electorem Brandenburgicum ægrè hoc laturum, & isthac de causa, cautionis formulæ subscribere detrectaturũ. Qvippe qvi & ipsemet ore tenùs, & per Delegatos suos multoties Regi, interposita fide, obtulerit: Si Elector Saxoniæ ulteriùs cunctaretur, ipsi igitur, omni respectu in eum abjecto, cum Rege cõtrahere fœdus, eandẽq; aleam subire; qvin etiam, hostilem forsan ergà Regẽ animum induentem, pro capitali & infensissimo Ecclesiarum protestantium hoste habere, certum destinatumq;. Alioqvi, ubi Saxo aut amicum se præbeat, aut neutri addicat parti, nihil ejus hìc interesse, nec ullam causam videri; cur ejus intuitu hac in re scrupulus moveatur. Ne tamen paucula verba armorum suorum cursum sufflaminarent, deleri, & tamdiu omitti, annuebat Rex; qvòusq; appareret: Qvemnam, post acceptum à Saxoniæ Electore responsum, principalis tractatus exitum esset sortiturus?

His rationibus parum, aut nihil profectum: Electore, & Consiliariis ejusdem in præcepta opinione perstantibus immotis, nec vel transversum ungvem inde se abduci passis: Donec tãdem, post rem hinc inde ventilatam, tertio Nonarum Junii, in calidius paulò scriptum erumperent. Qvo 1) Regem, *arce Spãdoensi, cessante causa, qvapropter tradita fuerat, decedere, nec moram ultra nectere*, datæ fidei Elector admonens, (2) postulabat; *ut Exercitus, qvi illic, ubi hucusq; stativa habuerat, non hosti, sed Electoris dicionibus oneri ac noxæ fuisset, id velut exsecutus, qvod Electoris malevoli & adversarii maxime habuerãt in votis, sine mora aliorsùm deduceretur, ubi publicæ rei majori foret usui: Ne evastatâ penitùs provincia, Electorem tandẽ omnia alẽdi se, suosve media destituerent, & effrenem militũ insolentiam, miserandamq; terrarum calamitatem, qvibus prope aulæ sedem, velut sub obtutu suo, indies obruerentur, ipsis oculis suis aspicere cogeretur diutius*. (3) *Ab onere qvoqve sustentãdi præsidii regii, in arce Spandoensi hactenus excubantis* (qvod priori conventione susceperat) *eximere se sategit*; eo colore: *Qvod Exercitus tanto temporis spatio hìc loci commoratus, diciones suas, & cumprimis. qvam huic rei deputasset, circumjectam Spandoæ oram, ad summam redegisset vastitiem*. Tandẽ (4 *cautionem*, qvam diximus, *de Custrini munimento, præstare qvidem annuit; sed contrà stipulatus à Rege: Ut, interpositâ scripto fide, pari passu vicissim caveret; dicti munimenti traditionem non, nisi eo modo, iisve, de qvibus conventum, casibus existentibus postulatum, &, cessante discrimine, id illicò, cum omni causa, Electori restitutum iri; electoratum qvoqve Marchiæ ab omnibus militum hospitiis, diribitoriis, contributionibus immunem fore*.

Perstringi hoc scripto aliqvantillũ Rex sibi visus: Præter hæc qvoq; indignatus, in negotio præsenti recessim magis cedere, qvàm progredi Brandenburgicos; & exinde, qvia à communi Protestantium bono promovendo manũ penitus retrahere advertebat, singulari zelo exæstuans, tractatui qvocunq; tandem modo colophonem imponere decrevit. Itaq; ipsis Junii Nonis in responso, qvo superius scriptum elidebatur, exordii loco repetiit *crudelitatum & tyrannidis, qvibus Cæsar Protestantes in Germania afflixerat*, memoriam, *qvàmq; fideliter ipse flammã hanc, obvia qvæq; depascentem, compescere, & Protestantes pristinæ conscientiarum ac status libertati reddere laborasset*; demum subjungens. *Rediret in se Elector, & mente secum recoleret, qvid illi non semel, sed iteratis vicibus de Pomerania obtulerit: Qvam tamen penissimè in suam potestatem redactam, juris belli titulo, ut hostibus ereptã, secundùm mores con-*

consuetudinemq; omnium Gentium, sibi asserere & retinere potuerat. E quibus speciminibus satis apertè reluceat: Injuriam Regi facere Electorem; privati commodi intuitu, diffidentiæ & suspicionibus indulgendo, sincerumve affectum ejus in dubium revocando. E contrario insolens auribus Regis accidere: Quod æquiparetur hostibus, imò velut administer & exsecutor hostilium machinationum, iniquitatumve proclametur; quod in belli malè administrati suspicionem rapiatur; quod denique satis inhumaniter præter meritum amandari velle videatur. Quoniam ergò, Spandoæ arcem simpliciter adeò & sine conditione ulla reposcere, Electori libitum sit, non adeò repugnare, nec in restituendo facturum moram: Quamvis in promtu habeat causas, quarum prætextu tergiversari posset. Interim, de quo solenniter protestetur, non belli planè deserendi, aut hostis amittendi animo, id fieri; quippe cui nullatenùs, nisi in quantum, subtractis hoc & aliis necessariis adminiculis, ratio belli injungat, concedere velit: Sed, quemadmodum solus hucusque, singulari & stupendo divini Numinis adjutorio, progressus non contemnendos fecerit, & siquidem, quorum intererat, auxilio, prout decuerat, sublevatus fuisset, longè uberiores armorum suorum fructus sperare potuerit, ita imposterùm quoque, utut ab his destituatur, semet non deserturum, nec pristinos positurum animos, aut arma; donec bellum condigno exitu terminetur. Dicionum electoralium ruinam atque vastitiem, moræ & cunctationi, qua ipsum Elector hactenùs distinuerit, meritò acceptam ferri: Hanc etenim unicam causam, per quam regius Exercitus, velut freno injecto retentus, otiosè his oris, insigni cum provinciæ incommodo, tamdiu desederit. Militi autem, dum necessariò hic moratur, nec de commeatu & alimentis satis prospectum, nec ad ea providendum certos tempori deputatos Commissarios: Inde æquitatum, in circumjecta loca dispersum, per patentium camporum æquora, frumentando ac pabulando, longè lateq; se effudisse. Omni militari licentiæ, & quibusvis delictis occurrere, Regi factu fuisse impossibile: Plura nihilominùs exiguo hoc temporis spatio edidisse sangvinolentarum pænarum exempla; quam totis viginti abhinc hinc retrò annis edere habuerit opus. Pro tempore postulare; ut Elector mentem suam breviter, expressè, sine ullis verborum ambagibus explicet: Utrum regiæ ac Protestantium factioni se associare, armave illorum armis adversùs Cæsarem & Pontificios jungere; an in horum transire partes, contra Regem una stare, ejusve se hostē profiteri malit? De Neutralitate namque impetranda laborari in cassum; nec Regem aut velle hanc Electori, aut posse gratificari: Quippe, quam suis viribus tueri nequeat, & quæ ob id in collusionem cum hoste illicò degeneratura sit. Quin etiam condicionem & situm territorii electoralis, sine cujus contactu Rex hostem adoriri commodè non possit, id omninò respuere. Si ad prius & regias partes incline Elector; Regem quoque, officii sui memorem, prout amicum decet, erga ipsum ejusve subditos vicissim se gesturum. Sin verò: Suis quidem jam mandata dedisse, de arcis Spandoensis restitutione; redditis tamen prius, quas Elector eo nomine ab ipso habeat, syngraphis. Interim Electorem haud gravate laturum, quod amicitiæ eius nuncium penitùs remittens, regiæ dignationis conservandæ, & belli, justa de causa semel suscepti, pro lubitu continuandi, eum tractet ut hostem: Pomeraniæ Ducatum, & quicquid ex Electoris dicionibus, aut jam occupaverit, aut occupaturus imposterùm sit, jure belli sibi retinendo; de illo cum hostibus digladiando & contendendo; prout ratio belli flagitare videatur, in iis procedendo; alicubi etiam, si usus venerit, ad hospitiorum commoda adversæ parti præripienda, vastitiem illis inferendo; & nihil, quod ad tuendum se ab ingruente hoste facere possit, intentatum relinquendo. Hæc ad postulata in tertium usque diem, septimum scilicet Iduum Junii, responsum præstolaturum: Longius autem silentium pro expressa hostilitatis denunciatione habiturum.

Ultimum & decretorium hoc scriptum à Rege Electori, per seniorem Comitem Turrium, ut Legatum regium, & Joachimum Transehe, Residentem ad aulam, insinuatum: Qvi, ut omnis ulteriori tractatui via præcisa intelligeretur, Electori ac electorali aulæ simul valedicere, relictoq; Berolino, in regia castra se conferre jussi.

Eo accepto Elector Arnhemium, Saxonicæ militiæ Campiductorem, qvi tunc temporis Berolini aderat, cunctabundorum horum consiliorum fautorem, & potissimum forsan autorem, è vestigio ad Regem misit: Blandicâ suâ svadâ iram ipsius mitigaturum, eundemq; à sententia, qvam animo conceperat, si pote, dimoturum.

Et hic qvidem omnes ingenii sui nervos eò intendebat: Causis, qvæ Electorem Regis postulato assentiri prohiberent, in medium adductis. Summatim ut perstringamus: *Traditionem isthanc munimentorum in Regis manus, cùm Electoris dignitati adversari, tùm pactis, qvæ vocamus, confraternitatis, & Imperii legibus.*

Sed frustra hic erat Arnhemius, Rege statim contrà regerente. *Sibi curæ fuisse, ut Elector in liberam dicionum suarum administrationem, hoste ejecto, restitueretur: Hanc veram autumare electoralem dignitatem; reliqvam, qvæ obtendatur, in opinatione consistere ac ventosis logis. Si dicionum possessione Elector excideret, dignitatis nomen inane fore. Regem belli dirigendi clavum depoposcisse ab Electore; traditionem munimentorum è publica re & securitate sua arbitratum, militaribus expeditionibus absolutè moderari voluisse: Sed hæc Electoris ipsiusmet bono, & provinciis ejus ab hoste defendendis. Electorem certè Saxoniæ Arnhemio haud aliter demandasse summum armorum imperium, nec Regem induci, ut hunc aliter id fuisse acceptaturum, crederet. Diversam enim bellorum ab ordinaria & civili vita rationem: Multaq; hic occurrere, qvæ celeritate præcipi oporteat, nec moram rem ad alios deferendi ferant. Qvod ad Imperii Leges, si Cæsar Imperiive Ordines universi illis exactè se conformarent, & ad ungvem, traditione hac munimentorum haud opus esse: Qvia verò Cæsar, earum ductum examussim seqvi non posse, in Edicto suo ingenuè profiteatur, adeòq; ut insignis Politicus, ad metam, qvam directò contingere neqveat, flexu qvodam & ambage contendat; hinc nec Electori vitio versum iri, qvinimò coram Deo, universo Orbe, & cordatioribus maximè qvibusq; Germanis, excusatum fore, si & ipse ita se gerat, prout ratio status proprii efflagitet. Pactum confraternitatis haud pati alienationem munimentorum in extraneos omnimodam: Eadem verò in tutum alterius sinum deponere, ad recuperandum, qvæ de confraternitate jam plane amissa, aut conservandum, qvæ amissum iri metus sit, id, Regis sententiâ, confraternitatis pacto non adversari, sed adminiculo esse, nec destructionem afferre, sed stabilimentum.*

Ad ultimum ergò Arnhemius, nudis verbis nil profici, sed rei ipsi insistere Regem animadvertens, stato tempore, septimo scilicet Iduum Junii, priusqvam dies in noctem iret, benignius, & Regis intentioni accommodatius responsum ab Electore affore, pollicebatur.

Nec omninò hac in re fidem promissorum fefellit. Elector enim præstitutum à Rege terminum præterlabi haudqvaqvam passus, prioris responsi acerbitatem, qvâ Regem offensum senserat, adhibito lenioris interpretationis fomento, aliqvantisper mitigatum ibat: De cætero, *conjunctionem armorum contra Cæsarem & Pontificios, qvam Rex instanter urserat, pari instantia deprecatus. Hac qvippe à reliqvo Protestantium corpore, qvod, fœdere Lipsiæ contracto, nuper coaluerat, indubiè avulsum iri. Qvin etiam conjunctionem isthanc, ob subditorum suorũ paupertatem ac inopiam, Regi nulli aut exiguo usui, multò minus necessariã, ipsi verò multimodis noxiam exstituram. Meliùs itaqve de Rege sperare: Qvam ut hac de causa, omni amicitiæ jure resoluto, in apertam hostilitatem se abripi passurus sit.*

Non satis factum sibi hac ratione arbitratus Rex, *insufficiens, nec, secundùm Arnhemii promissa in melius satis emendatum responsum eodem, qvo silentium se habiturum jam ante solenniter protestatus erat, loco, pro aperta nimirùm habere hostilitate* reposuit; subjungens: *Decretissimum sibi; die crastini Spandoâ cum Exercitu, qvorsùm fata viam præmonstrarent, movere. Ne verò ullus fidei, scripto à se datæ, apex negligatur, eodem die intra septimam & octavam matutinam, arce Spandoensi, præsidio inde abducto, decedere paratum. Elector ergò milite suo id*

sanè

ſanè iterùm firmaret: Syngraphas tamen omnes & ſingulas, qvas à Rege eo nomine acceperat, reſtitueret. Id qvod, ſeu fieret, ſeu intermitteretur, omni obligatione, qvæ exinde orte fuerit, exſolutum, nec ad ſecuritatem porrò præſtandam ullatenùs obſtrictum eſſe velle: Qvinimò omni ulteriori amicitiæ hocipſo nuncium remittere.

Reſponſo hoc inſinuato Rex, caſtris Spandoæ ſublatis, qvinto Iduum Junii, Berolinum rectà contendit; adventanti Exercitui portas reſerari, per tubicinem imperans: Sin detrectarent, cædium, direptionisve, ut malorum ex contraria obſtinatione orituturorum, excuſatum ſe fore. Hinc mox in Urbe, apud ſummos infimos, metus, terror, animorumq; conturbatio ingens: Maximè, qvod regius Exercitus acie inſtructâ, in phalanges pro more diſtinctus, tormentis, qvæ Exercitum magno numero comitabantur, ore in Urbem obverſo, velut ignem & fulmina jam ſpirantibus, minitabundus proximè mœnia appareret.

Altera Regis cum Electore Brandenburgico tráſactio.

Dum res hac ratione in acie novaculæ conſtituta videtur, tandem, electoralis Gynecæi, Regi ex Urbe obviam procedentis, & viduæ cumprimis Palatinæ interpoſitu, denuò ad transactionem deventum: Electore aſſenſum præbente, *Ut Rex Urbem arcemve Spandoenſem ulteriùs, qvamdiu duraret bellum, præſidio ſuo inſeſſas retineret, eo modo iisve legibus, qvibus in priori traditione transactum fuerat. Salvâ nihilominùs in omnibus poſteriori hac extenſione: Cui minimè contravenire, nec arcem, niſi exſtincto bello, repoſcere velle, Elector repromiſit. Viceverſa Rex, qvæ prioribus pactis receperat, porrò ſervaturum pollicebatur: Ita tamen, ut ne poſteriori huic extenſioni qvicqvam derogaretur.* Qvod Cuſtrinum attinet, Elector ſanctiſſimè, & velut ſub jurisjurandi fide, ſe obſtrinxit. *Regio Exercitui, ſeu toto agmine, ſeu cohortatim & turmatim veniret, nunqvam non tranſitum præbitum; hoſtilibus verò copiis nunqvam non denegatum iri: Tantum abeſt, ut munimentum ipſum hoſti tradere, aut præſidium illius, ſub qvocunqve tandem colore, in id admittere vellet. Qvin potiùs in omnem eventum, dum gutta ſangvinis ſupereſſet, tueri illud ab hoſte paratum. Si qvoqve Rex, imminente ab hoſte diſcrimine, militem ſuum in Cuſtrini ſuburbia & exteriores munitiones collocare, è re arbitraretur, bona cum Electoris gratia id licere: Imò, ſicubi extrema forſan neceſſitas ingrueret, & Regii ſuburbiis munitionibusve expellerentur, in munimentum ipſum eos receptum, arma electoralia regiis eo caſu conjunctum, ſummumq; in munimento imperium Regi pro tempore ab Electore relictum iri. In has leges & inviolabilem earum obſervantiam, qvodcunqve tandem mandaretur in contrarium, aut qvicunqve occurreret ſecùs faciendi prætextus, munimenti Præfectum, ut & cæteros militiæ Duces, nec non gregarium militem univerſum, qvi aut nunc ibidem ſervarent, aut ſervaturi eſſent impoſterùm, juramento conceptis verbis adigi placuit: Dictus autem Præfectus ſcripto inſuper expreſſè in hunc ſenſum Regi cavere juſſus.* Ex adverſo Rex ſpondebat: *Qvicunqve è ſuis Cuſtrini reciperentur, Electoris bono munimentum defenſuros, & in verba illius juraturos; haud aliter qvoqve, ac diximus, ſe hoc Electoris conceſſu uſurum, & ceſſante diſcrimine, reſtituturum absqve ulla tergiverſatione, cum omni cauſa munimentum.* Sub hæc de tributo Regi penſicando ex parte conventum, & *Electori, ſecundùm Lipſienſis decreti tenorem, delectus aliqvos habendi relicta expreſſis verbis poteſtas. Hac tamen condicione; ut ne Regi ablegeret militem, ſed deſertores ad priſtina qvemqve ſigna remitteret.*

Tractatione ſic ad umbilicum feliciter perductâ, veſperi in Electoris viridario, Rege præſente, convivatum: Qvi poſtridiè, vixdum rubeſcente aurorâ, circa ſecundam matutinam, Frejenwaldam properabat; navi illic conſcenſâ, Sedinum porrò iturus.

Exercitus autem regius, Spandoam iter relegens, relicta nuper caſtra reviſit: Ratenoæ qvoq; & veteris Brandenburgi Urbibus, ſitu opportunis, ultra dictam Spandoam, præſidio ſuo inſeſſis.

Elector Brandenburgicus vicinum Saxonem

Rei geſtæ feriem Elector Brandenburgicus Saxoniæ Electori per Arnhemium mox exponebat: *Qvicqvid fecerat, non ſpontè feciſſe*, demonſtrans;

de transactione certiorem reddit.

strans; *sed, quod regius Exercitus cervicibus immineret, invitum & necessitate compulsum. Causam, cur Rex tantâ ipsum instantiâ presserit, hanc esse: Quod inermem, omniq; militum armorumve apparatu destitutum, nec sibimet defendendo parem offenderit; tum, quod Protestantium animi nondum sincerè & fideliter satis inter se conspirare videantur. Quapropter Rex, nisi magna circumspectione & cautela, ulterius progredi noluerit. Interim Electorem Saxoniæ rogare, si propter hanc cum Rege transactionem ab adversa parte duriùs tractari, aut aliàs hostiliter haberi contingeret, ne illum deserere, sed consilio & re juvare, quinimò, exigente necessitate, omnibus viribus laboranti succurrere, eaq; de re scripto cavere vellet. Apud protestantes quoque Imperii Principes ac Ordines, pro autoritate, qua inter eos polleat, daret operam: Ne communem causam haberent pro derelicto, sed, magis magisve amplexi, cùm inter sese arctioris conjunctionis nodo coirent, tùm cum Rege Sveciæ fidæ amicitiæ solida jacerent fundamenta. Ipsum quidem à Lipsiensi decreto nullatenùs discessurum; sed, firmis eidem vestigiis insistere, ut hactenùs, ita adhucdum paratum.*

Et pariter qvoq; Cæsarem.

Similiter in cesarea aula rem hanc parum æqvis animis acceptum iri, haud difficulter prospiciens, datis ad Cæsarem literis, transactionem cum Rege, & traditionem Arcis Spandoensis, qvantum in ipso, excusatum ibat. Cumq;, sub hoc ferè tempus, mandata Cæsaris avocatoria & inhibitoria contra Lipsiense decretum illi transmitterentur, eâdem operâ crimen, in qvod Cæsar Protestantes promiscuè raptaverat, ab his amoliebatur; causas reddens: Tum qvæ Protestantes in universum, tum qvæ ipsum peculiariter ad fœdus ineundum compulerant. Ubi Cæsaris auribus oggestum: *Quanta avaritia privati commodi aucupes in Imperio Romano fuissent grassati; qvantam terris intulissent vastitudinem; quanta protervia, perruptis Legum & Constitutionum Imperalium carceribus, avitam Libertatem pessum dedissent, atque Electoribus, Principibus, Ordinibus insultassent; quot denique nefandis & inexcusabilibus Germaniam contaminassent flagitiis. Ipsos Pontificios abnormi & illegi huic licentiæ indignatos: In Protestantes tamen incubuisse potissimam mali vim ac molem. Horum dignitatem nullo malè-feriatos istos habuisse in pretio; imò fustuarium & verbera servilem in modum iis interminatos, nec obscure præ se tulisse: Aut radicitùs exstirpandos, aut certè, quod de Domo sua electorali, allusione ad nomen facta, specialiter jactatum fuerit, ita emedullandos; ut è sublimi Principum fastigio ac statu, ad humiliorem Comitum condicionem revolverentur. Hoc tot annorum protelo sibi ab externis nationibus fuisse tolerandum: Et qvidem ab ejusmodi homuncionum genere; qvod vitæ instituto & dignitate planè impar extiterit. Cæsarem sanè, qvandocunq; de miseriis & calamitatibus his apud eum conqvestus sit, displicentiam suam testatum; interim mala non imminuta, sed magis magisve adaucta: Ipsaq; re se expertum; solutum militaris disciplinæ freno, & in licentiam effusum militem, omnem Pietatis, Virtutis, honestatis, tum reverentiæ & obedientiæ, Cæsari (cujus nomine tantummodò ad convelanda facinora sua abusus sit) debitæ, respectum penitùs projecisse, & nefariis conculcare pedibus. Cæsarem ergò ipsi, & aliis protestantibus Electoribus, Principibus, Ordinibus, vitio minimè daturum: Qvod tandem, post patientiam tamdiu præstitam, increscente indies militum insolentia, iis remediis adsui, suorumve defensionem uti decreverint; qvæ Natura ipsa, & Imperii Constitutiones, aliave jura, non modò Illustribus, & in excelsa dignitate constitutis, sed privato cuique permittant. Maximè, qvia Pontificiis, ad sui tutelam, qvantumcunqve necessarium existimarint, militem alere, nunqvam interdixerit.* Excusationem qvod attinet, qvæ conventioni cum Rege initæ, & arcis Spandoensis traditioni ab Electore obtendebatur, ejus basis & fundamentum præcipuum erat. *Qvod ipsius diciones & contermina Pomerania, ne de aliis loqveretur, aliqvammultas equitum peditumve legiones per aliqvot annos grandibus adeò impensis sustentarint; ut integræ Urbes ac pagi innumeri, oneri succumbentes, desolationem exinde sint passi: Ipsi verò non fuerit permissum, è mili-*

è milite, qvem in Borussia conscripserat, unam modò alteramve Legionem, ad sui, aulæve, & munimentorum securitatem, in has oras traducere; qvinimò omnia ei media, qvibus tenuia, qvantulacunqve iis in locis servabant, præsidia aleret, in totum penè prærepta. Rege verò Sveciæ Germaniam cum Exercitu aggresso, brevi & intra anni vertentis spatium, non Pomeraniam modò à Cæsarianis desertam, sed integrum quoque Electoratum suum ad Albim usque pro derelicto habitum: Ea tantùm de causa, ut Magdeburgi exitio eò incumberetur validiùs. Et hac ratione ipsum, cum suis, omni defensione nudatum, Regis arbitrio expositum. Regem etenim, occasione arrepta, non Custrino solùm, sed aulæ qvoqve suæ secunda vice cum Exercitu appropinqvasse, in conspectu suo castra metatum, &, tormentis ad vim dispositis, expressè renunciasse: Pro hoste habiturum Electorem, ni armis arma jungeret, & promissione, de libero transitu ad Custrinum concedendo, interpositâ, Spandoæ arcem, tanqvam securitatis pignus, in manus traderet. Sed de conjunctione adversùs Cæsarem constanter renuisse; in cæteris tempori serviendum, & præsenti necessitati, vel ingratius, morem fuisse gerendum: Eò qvod, regiæ potentiæ se opponere, defensione provinciarum suarum & ejus nervis ereptis, impossibile illi acciderit.

Cæsaris ad hæc responsum.

Non admisit excusationem Cæsar, nec minùs, ut anteà, ita denuò Lipsiense decretum, apparatusq; bellicos inde secutos, iteratis ad Electorem literis damnavit; eundem adhortatus. *Monitoriis & avocatoriis mandatis suis debitum præstaret obseqvium, adversus Sveciæ Regem cum suis consociaret vires, & eò cogitationes dirigeret: Qvò, Spandoâ recepta, transitus qvoqve ad Custrinum Regi intercluderetur.*

Rex Sedini, Magni Moscorũ Ducis Legatũ audit,

18. Ultimo Calendarum Julii Rex, Sedinum navi appulsus, & circa septimam matutinam eqvo Urbem invectus, à meridie statim Magno Moscorum Ducis Legato (Fedor Andreowitz homini nomen) qvi Calendis Junii eòdem insigni comitatu venerat, magnâ solennitate ad ipsum deducto, audientiam dedit, & per integram ferè horam cum eo conversatus est.

Qvi ex intervallo moritur.

Accidit autem; hunc Legatum, haud diu post febre ardenti correptum, qvinto Calendarum Augusti, ad plures abire.

Hornii Campiductoris conjux diem supremum obit.

Et sanè ardentes, contagiosi, ac lethales ejusmodi morbi, hoc tempore, illuc locorum & in vicinia valdè increbuerant: Nec extraneis magis pallida mors, ac incolis pepercit. Inter alios qvoq;, sorte ductâ, Christinæ, qvæ Axelio Oxenstirna, Regni Sveciæ Cancellario nata, Gustavo autem Hornio, Campiductori, nupta erat, nomen urnâ ferali exiit; ut, pridiè Iduum Augusti, fato fungeretur: Cujus qvicqvid sarcophago claudi poterat, in Sveciam revectum, Patriæ illatum est munimentis.

Gryphiswaldia obsidio cingitur.

19. Pomerania sub hoc tempus nondum omninò ab hoste repurgata erat: Qvod Tribunus Perusius Gryphiswaldiæ, in citerioris Pomeraniæ meditullio, & ita velut sinu provinciæ, ultimus Cæsarianorum Præfectorum restitaret adhuc & dominaretur. Qvò igitur ille etiam nido hoc exturbatus, provinciam ab omni belli injuria immunem redderet, Rex Sveciæ, Achatio Tottio, generali militiæ, his oris relictæ, Præfecto, de Gryphiswaldia in potestatem redigenda, mandatum dederat. Qvod mirâ & insperatâ felicitate seqventem in modum contigit.

Perusius insperatò occumbit.

Tertio Iduum Junii, inter sextam & septimam matutinam, eqvites nonnulli, ex illis, qvos dictus Tottius exploratum præmiserat, ad Stenbeckensem portam palantes, ad arma obsessos concivêre. Signo mox in Urbe, ut eqvos qvisq; ascenderet, tubâ dato, turmæ nonnullæ portis se effundunt: Qvas Perusius ipsemet, cum excubiarum subPræfecto, & Crucifero, nescio qvo, seqvitur. Vix exierant, cum, tres regii eqvitatus globos in conspectum venisse, præcursores Perusio denunciarent; admonentes: Caveret sibi, nec, hostibus, ut videbatur, numero prævalentibus, nimis longè à munitionum suarum tutela recederet.

Ipse

Ipse verò, fatis hominem alioqvi satis providum urgentibus, parvi id pendens, cum Crucifero nihilo secius, qvà cœperat, ire pergit: Donec, spatium non modicum emensus, ab Urbe penè abriperetur. Hic verò alii nonnulli Regii, ex insidiis surgentes, reditum ad Urbem mox intercludere: Qvo viso, à Croatis, qvi comitabantur, trepidari; eorumq; pars, in fugam effusi, fluentum ad Rosendalam nando tramittere, pars à Regiis deprehendi & cædi. Perusium qvoq; cum Crucifero socio regius eqves inseqvi, & eqvorum pernicitate asseqvi. Qvorum hic, globo trajectus, illicò humum mordere; Perusium verò, arte magica, ut ferunt, duratum, prior ictus non penetrare: Alter tamen, medicatus forsan & suppari artificio instructus, adeò efficacem se præbere, ut de tertio cura super vacua fuerit.

Post horam circiter, qvàm hoc patratum, Tottius, cum Exercitu secutus, tormentis dispositis, in Urbem misit, qvi deditioni sterneret viam. Præsidiariis autem, utut Præfectus jam occubuisset, honorem suum & locum concreditum tueri se paratos, renunciantibus, humi egerendæ, & accessuum Urbi admovendorum factum initium, tormentisq; Urbs salutata. Idibus Junii Cæsariani eruptionem fecêre numerosâ militum manu, ortoq; inter hos & Regios acri certamine, non pauci utrinq; desiderati: Et sanè regio pediti, cui hac in statione numero præstabat hostis, malè res cessisset, ni eqvitatus, in subsidium suis accurrens, ferocientis represisset impetum.

Gryphiswaldia Regiis deditur.

Fuit autem hic validus qvidem, sed postremus, velut moribundorum, conatus. Nam postridiè secundâ vice misso, qvi, qvid animi ipsis foret, percontaretur, ad deditionem se obtulêre: De qva illicò solitis condicionibus transactum. Ita Cæsariani, pedites, eqvites, interq; hos, de qvibus nominatim cautum, Croatæ, decimo sexto Calendarum Julii, intra qvartam & qvintam matutinam, impedimentis, armisq; salvis, signis explicatis, accensis fomitibus, pilis in os inditis, tubis clangentibus & perstrepentibus tympanis, ductu Henrici Drachstedii, Centurionis, Urbe exeuntes, à Regiis Loitzium deducti: Unde Rostochium porrò, secundum pactorum tenorem, ire debuerant.

Præsidiū excedens, dum pacta conventa non servat, à Regiis opprimitur.

Mutato autem itinere, Havelbergam versùs pergentibus, Hallius, Tribunus in Prignicensi Marchiæ tractu superveniens, eqvitatum qvidem, nonnullis trucidatis, aliis captis, dispersit; peditatum, ad mille qvingentos, arma deponere jussit: Qvorum pleriq; postmodùm haud cunctanter in regia stipendia transiêre. Inter hos tumultus Drachstedius Centurio, qvi, post Perusium neci datum, Gryphiswaldiæ pauculis diebus præfuerat, & harum cohortium velut caput erat, ipsemet interemtus concidit.

Præter tamē Regis voluntatem.

Qvanqvàm autem cum Cæsarianis, utpotè pactionis leges transilientibus, adeò perperàm actum, dici neqveat, Rex nihilominùs, qvod negotium hoc periculosæ videretur conseqventiæ, & metus esset, ne apud circumstantiarum rudes, maculam aliqvam nomini suo inureret, vehementer indignatus, Tottio mandata dedit: *De Schmidio, eqvitum Magistro, cum ala sua Cæsarianos in tutum deducere jusso, & ipsomet violentiæ iis illatæ incusato, nec non reliqvis inferioribus, huic alæ præfectis, Ducibus, in vincula conjiciendis, & ita vivis, aut, si fieri non posset, mortuis in regia castra transmittendis.* Qvi etiam, nisi instans infortunium odorati, latibulum qvæsiissent, si qvid hìc fortè suberat culpæ, capite procul dubio luituri erant. Cæsariani verò Ductores, &, qvi sponte suâ regiis signis nondum successerat, residuus miles, liberi, absq; ullo lytro, dimissi, præstitâ tamen priùs scripto cautione: *Coram Rege, ut competente Judice, peracturos reos, à qvibus se injuria læsos obtenderent; interim omni ambiguo sermone, qvi in regii Exercitus ignominiam qvoqvo modo detorqveri posset, temperaturos.*

Rex Gryphiswaldiæ munitiones cōtemplatū it.

Rex Sveciæ expeditionem hanc non adeò confectu facilem existimans, ipsemet obsidio interesse, & militum alacritati præsentiâ suâ calcar addere constituerat, jamq; in itinere erat; cum de deditione nuncius inter viam occurrit: Qvo tamen non obstante, cùm loci perlustrandi, tùm

rerum

rerum ibidem in ordinem redigendarum, porrò ire perrexit. Gryphiswaldiamq; in eo statu, & tot concinnis, ac reciprocâ tutelâ se respicientibus, munimentis circumdatam reperit; ut Perusio laudem tribuerit eximiam: Præ omnibus aliis cæsareis Præfectis, qvod sui muneris fuerat, hac in parte fecisse, nec in universa Pomerania, qvaqvà Cæsariani Regnum obtinuerant ullas, aut meliùs exstructas, aut aptiùs cohærentes occurrisse munitiones. Annotini qvoq; frumenti tanta copia inventa; ut præsidio sustentando ad qvatuor adhuc menses sufficere potuerit: Nec belli necessaria defuerant; repertis, inter alia, ducentis pulveris nitrati vasculis. Ut ita, nisi Perusius singulari DEI providentiâ è medio fuisset sublatus, obsidium hoc magno adhuc temporis, militum, ac æris impendio dubio procul stetisset.

Supplicationes annuæ habitæ in Pomerania

Per Gryphiswaldiæ expugnationem Pomerania, Cæsarianorum jugo penitùs liberata, in gaudium & jubila se effudit. Jamq; tempus annuum instabat, qvo Rex illîc primò appulerat: Ut ergò victoriarum, qvæ eidem intereà obtigerant, & felicitatis qvoq; suæ, inde secutæ, autorem Deum agnoscerent Pomerani, supplicationes per universam Provinciam decretæ, & insigni animorum devotione habitæ.

Et Sveciâ

Idem Holmiæ Svecorum, & qvòusq; Regni fines se extendunt, factitatum: Qvæ inter solennia, signa, Cæsarianis, durante in Germania bello, erepta, velut trophæa, publicitùs fulserunt.

Regiorũ in Marchia, absente Rege, conatus & factiones

20. Intereà, dum Rex Sedini, & in Pomerania moram trahit, Exercitus ad Spandoam relictus non omninò feriabatur. Nam utut, qvod rei summam attinet, absente Rege, intra castrorum limites se contineret, levibus tamen excursionibus hosti insultare non destitit.

Inter alia, eqvestris militiæ Legatus, Baudisius, Comite Ortenburgico, & Hallio Tribuno in societatem facti assumtis, Albim, ob intensos solis ardores tenui hac tempestate fluentem alveo, trajiciens, ducentos cæsarianorum eqvitum, Werbenæ hospitantes, subitò oppressum ibat. Cæsi primo impetu qvamplurimi: Reliqvi, cum ipsorum sub Tribuno, & supremo excubiarum Præfecto captivi abducti.

E qvibus contracto morbo, Comes Ortêburgicus fato fungitur.

Qva in factione Baudisius, & Comes Ortenburgicus, æstu sitiq; inflammati, dum frigidâ Albis præproperè se proluunt, ac præcipiti potu ingurgitant in lethalem uterq; morbum incidit: Comite Ortenburgico, non longo post intervallo, Berolini fato fungente. Cujus, consilio & manu promti, juvenis præmaturæ morti Rex, ob servitia, qvæ jamdum præstiterat, & imposterùm, si fata diuturniorem vitæ usuram fuissent largita, præstare potuerat, vehementer indoluit. Baudisius autem, qvanqvàm ipsius qvoq; vita in ancipiti haberetur, Medicorum industria pristinæ valetudini restituebatur.

Mox Regii Basilicam qvoq; Havelbergæ occupabant: Inde Burgum, oppidum haud procul Magdeburgo situm, ex improvisò aggressi, cæsarianum militum Ductorem, illîc commorantem, dum convivatur, genioq; indulget, & nihil minùs, qvàm ingratos ejusmodi & haud invitatos hospites operitur, unà cum nonnullis convivatoribus, captivum abducebant.

Cæsariani Cotbusiũ invadunt.

Econtrà Cæsariani è Silesia, Tribuni Gôtzii ductu, Cotbusii Urbem diripuêre: In qva regius Tribunus, Nicolaus Bock, cum Legione noviter conscripta, necdum lustratâ, & ex parte inermi, hospitabatur. Licet enim Bockius, locum satis commodum, &, modò arma ac reliqva belli necessaria subministrarentur, sustinendis subitaneis hostium insultibus parem, nec, nisi justo obsidionis ordine servato, expugnabilem judicaret; qvapropter Campiductor Hornius, ad ipsius relationem & instantiam, Schaumburgo, tum arma, tum pulverem nitratum, & similia submiserat: Præverterat tamen hæc subsidia Gôtzius; intempestâ, qvæ tertium Calendarum Julii seqvebatur, nocte Urbem, portis vi effractis, introrumpens. Militum novitiorũ nonnulli, qvotqvot obviam fierent, trucidatis

Reliqvis tenebrarum favore se occultantibus, & hinc inde dilapsis. Bockius, qvi saltu è murorum pinnis evaserat, & pridiè sub supremo Legionis suæ excubiarum Præfecto, Christiano à Maltitz, qvadringentos delectos sclopetarios Bescoam, auspicatò ablegârat, qvibus è clade superstites & dispersi se junxêre, nihilominùs brevi Legionem septingentorum aut octingentorum capitum contraxit: Qvâ cum, à Campiductore Hornio, seqventi mense, vetus Brandenburgũ, Urbis hujus tutandæ, ire jussus est.

Regii econtra Grunbergam.

Nec diu post idem Hornius Cæsarianis par pari referebat; septem eorundem alas, Grunbergæ commorantes, octingentis suorum eqvitum nec-opinatò invadens: Qvi magna pars cæsi, pars capti, opimis spoliis Regios ditârunt.

Nova Regis expeditio.

21. Postqvam, re ad Gryphiswaldiam satis feliciter & opinione citiùs transactâ, copias, qvas hostis illìc loci hactenùs distinuerat, aliorsùm ducere dabatur, Rex nihil cunctatus, partem qvidem, ad custodiendum Pomeraniæ limites, & Ducibus Megapoleos, qvi sub id tempus armis sua recuperare decreverant, opitulandum, Tottio, Campiductoris nomine jam cohonestato, reliqvit: Residuo, in Exercitus supplementum, Marchiam versùs iter maturare jusso. Ubi propè Tremmium, qvâ vetus Brandenburgum itur, sexto Calendarum Julii, universum Exercitum contraxit, novam animo expeditionem volvens: Qvam aliqvammulta prodigia, insigne qvippe præ foribus esse significantia, antecesserunt.

Eam antecedentia prodigia.

Ad Sonnenwaldam, Lusatiæ inferioris, in aere iterùm bellatum, tormentorumq; & sclopetorum, crebertimè displosorũ, velut fragor auditus.

Ascherslebæ, decimoqvarto & decimotertio Calendarum Augusti, circa qvintam vespertinam, sudo cœlo, duæ ingentes acies, altera à meridie, à septentrione altera se ostenderunt, acerrimè concurrere visæ: Victoria tamen ab ejus parte, qvæ à septentrione venerat, stetit. Qvod phænomenon dictis diebus, eâdem horâ, eâdem rerum facie bis apparuit: Semperq; post finitum conflictum vir, togâ talari vestitus & arcum gerens, venientis ab euro Exercitus Imperatorem sagittâ transfixit; ut, capite sistens, illicò evanesceret. Qvem mox secutus & in auras resolutus, qvi arcum gerebat, similiter visum effugit.

Paulò post Friburgi & Mersburgi in Misnia aqva in sangvinem migrabat. Halæ qvoq; Saxonum ad lapidariam portam, à sinistro latere, in fossâ, fons aqvæ vivæ scaturire, & in medio fossæ sensim rubescere cœpit; fonteq; postridiè iterum deficiente, aqva in fossa stagnans, sangvinem rubore præ se tulit. In cupis etiam, qvæ ad repentinos incendiorum casus apud forum parata stabat, aqva in sangvinem transformata perhibetur.

Ut verò ad Regem nos convertamus, is, post lustratum Exercitum, maximâ peditus parte, sub Johannis Bannerii imperio, veteris Brandenburgici, qvò munitiones loci, plurium operâ promotæ, eò citiùs in altum assurgerent, relictâ, qvarto Calendarum Julii, cum bis mille delectis sclopetariis, & omni penè eqvitatu inde movens, postridiè Jerichoæ monasterium venit, dimissisq; qvaqvaversùm expeditis eqvitum turmis, vicinam oram, ad usq; Magdeburgensem pontem exploratum iit. Cujus adventu territus Pappenhemius, Cæsaris Campiductor, cum aliqvot eqvitum peditumve cohortibus ac alis in Burgi oppido hactenùs excubans, Magdeburgum cum suis celeriter se receperat.

Tangermunda Regi occupatur.

Rex itaq; nullo cis Albim hoste reperto, pridiè Calendarum Julii, circa vesperam, partem militum, Urbem & arcem Tangermundæ, ubi centum viginti Cæsarianorum servabant, tentatum, trajecit. Id, qvod feliciter satis cessit: Statione exteriori, in ripa Albis ad navium custodiâ collocatâ, subitò primum oppressâ. Qvorum nonnulli tamen, periculo elapsi, inq; Urbem, cito curriculo refugi, ad arma conclamarunt: Unde qvicqvid in Urbe hostium erat, in arcem se contulit.

Mox

Mox huc qvoq; à Regiis facta impressio, & pars in portam, admoto crepitaculo, reliqvi aliis duobus locis incubuêre, tanto ardore: Ut, non obstantibus hostium infestis armis, vi perrumperent, ac, qvadraginta circiter obtruncatis, qvotqvot supererant, in potestatem redigerent; Regis arbitrio, vitâ, aut donandos, aut mulctandos. Regiorum non nisi qvinq; in hoc assultu sauciati. Incidit autem isthæc Tangermundæ expugnatio, qvâ Rex bello Albim, ultratamq; ejus ripam primo aperuit, in ipsas Julii Calendas.

Nec mora: Contracta illicò, Regis jussu, qvotqvot in Albi longè latèq;, deorsùm sursùm, Magdeburgi usq; Urbem reperire erat, navigia, inter qvæ aliqvot insigni magnitudine pontones, Albisq; ad Tangermundam ponte navali stratus, & huic tuendo, semiruta, qvam Fuchsius qvondam illic exstruxerat, festinatis operibus reparata munitio: Rege ipso Tangermundæ divertente, peditibusq; ad præsidium Urbis retentis; eqvitatu autem per circumjectos pagos in hospitia distributo. Interqvievit qvoq; hîc locorum, cum copiis, qvas secum adduxerat, nec qviescentem hostis ullatenùs lacessiit; dum reliqvus peditatus subseqveretur: Munimentis, qvæ veteris Brandenburgi excitabantur, in eum statum, ut defendi possent, perductis. Id qvod qvinto demùm Iduum Julii accidit.

Et Rex qvidem, viribus in unum iterùm coactis, satis propensus erat ad faciendum periculum: Num incendio desolata Magdeburgi Urbs recuperari, & transitus hic Albis in potestatem redigi posset? Interim Tillium cum hostili Exercitu haud adeò longè abesse, sed ad Mulhusium stare meminerat; obsessis sicubi premerentur, suppetias laturum: In Electorem autem Saxoniæ, qvi, Urbe incolumi & re integra, immisceri turbis noluerat, multò minùs fiduciæ nunc, post Urbis excidium, reponendum, meritò judicabat. Qvapropter arduam hanc & ancipitis aleæ plenam expeditionem pro tempore intermittens, tutius duxit: In stativis, adversùs hostium vim munitis, opportuno ad Albim loco, militem continere; &, qvod Cæsarem in Lipsiensis decreti asseclas, superiorem Germaniam habitantes, ductu Comitis Fürstenbergii, infesta jam arma movisse comperisset, inter Electorem qvoq; Saxoniæ & Tillium diffidentiam indies gliscere cerneret, istorum dissidiorum opperiri exitum.

Huic ipsius proposito locus, qvo Havelam Albis intercipit, omnium maximè abblandiebatur. Illic enim à fronte ac dextris occurrere Archi-Episcopatus Magdeburgensis, cum veteri Marchiâ; sinistrum latus claudere media Marchia, &, qvem Havela irrigat, tractus: Unde cõmeatus & pabuli conseqvendi spes nõ exigua. Accedere ex Urbibus, oppidisve, Havelæ incumbentibus, omnium ad vitæ sustentationem necessariorum, secundo flumine, & ita facili negotio devehendorum, commoditas. Qvod autem caput rei, etiamsi hostis ab utraq; Albis ripa Regem summis viribus urgeret, & castra conferret castris, Havela tamen fluvius ipsum arcere: Qvò minùs in terras, eundem Havelam & Albim septentrionem versùs interjacentes, penetrans, tergum Regi infestum redderet, & frumentandi pabulandive ab hac parte, aut, sicubi opus foret, eò se recipiendi facultatem intercludere, ullatenus posset.

Ut ergò Havelæ ripam, cujus aliàs à Spandoa usq; potens erat, penitùs ab hoste repurgaret, Bannerio, Havelbergæ Urbem, qvam unà cum suburbio & domunculis piscatoriis in opposita Urbi ripa ad radicem montis sitis, Cæsariani hactenùs adhuc tenuerant, è Basilica & superiori loco vi adoriri, imperabat. Qvod, septimo Iduum Julii, inter tertiam & qvartam matutinam dum ab eo fit, Cæsariani, flammâ desertis piscatorum domibus (qvarum octo hac correptæ perierunt) subjectâ, ultrà Havelam in Urbem illicò refugerunt. Winckelius autem Tribunus cum suis, utut hoste creberrimis longiorum tuborum ictibus in proximantes detonante, per medium flumen, ita ut humerorum tenùs aqvam subirent, fugientes secutus, Urbemq; irrumpens, qvicqvid in armis occurreret, trucidabat: Captis ad qvadringentos qvadraginta; qvi

Rex Havelbergã in potestatem redigit,

in cœmiterium & ædis facræ turrim confugerant, armisq; abjectis vitæ gratiam sibi fieri suppliciter petierant.

Et ad Werbenā castra locat.

Triduo post, qvarto, nimirùm, Iduum Julii, Rex, propositi jam certus, Tangermundâ Werbenam retrò cum Exercitu movit: Medio illìc inter Urbem ac Albim loco, situ peropportuno, ponè aggerem, qvem, ad arcendam aqvarum exundantium eluviem olim congestum, arcendo hosti extemplò aptabat, castra metatus. Pontem qvoq;, Tangermundæ rescissum, & Albim secundo flumine devectum, hic sterni jussit Rex: Valido, qvod utriq; flumini dominaretur, propugnaculo in extremitate anguli, qvà Havela Albi miscetur, excitato. Ne verò hostile, qvod Dömitzæ agitabat, præsidium regiis castris à tergo insultaret, dispositus idoneis locis eqves: Excursibus ejus cohibitis, securitatem pabulatoribus, lixis, aliis, annonarias omnis generis species subvehentibus, præstiturus.

22. Paulò antè, Cæsarem in Lipsiensis fœderis socios, superiorem Germaniam incolentes, infesta jam arma strinxisse, diximus: Illius itaq; rei telam hoc loco breviter pertexere, ordo postulat.

Qvi Lipsiæ coierant protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines, decretum inibi factum, & subseqventem armaturam, cùm ergà Cæsarem, tùm pontificios Electores enixè excusatum ierant; qvicqvid suspicionum inde in eorum animis, aut ortum foret, aut oriri posset, eximere conati: Sed in cassum. Nihilò enim minùs utrobiq; in seqviorem partem accepta hæc eorum molimina: Qvasi qvi isthac armorum ostentatione cogere Cæsarem, non obsecrare, animum induxissent.

Atroces Cæsaris ad Lipsiēsis fœderis socios literæ.

Et Cæsar qvidem ad literas, qvas Lipsiâ transmiserant, conventusq; haud diu post communicatum decretum prolixis verbis respondebat; acriter illis exprobrans. *Qvod ad Cæsarei Edicti exsecutionem vi retardandam, & sibi suove Exercitui necessariam contributionem, aliave sustentationis media eripienda, inter se conjurassent, in eumq; finem bellum & arma, novas ac periculosas turbas datura, meditentur. Utut enim in hoc, illove, præter jus, fasve gravatos se conqverantur, non tamen id satis adhuc causæ, præcipiti qvodam impetu ruendi in arma: Nec ista ipsa arma in universalis, qvem prætexant, Pacis scopum, sed omnimodam potiùs ruinam Imperii & dissolutionem redundatura. Qvod ad Edictum suum: Protestantium armaturam eò potiùs collimare videri, qvomodò jus prætensum obstinatè tueantur, & Pontificiis iteratam Passaviensem pactionem extorqveant; qvàm, ut amicabili compositione de subortis controversiis inter partes transigatur. Bellicorum verò incommodorum fontem unicum: Qvod, non tam viribus & potentiâ adversariorum, qvàm conniventia, clandestinis subsidiis, machinationibus interiorum hostium, variisve bonorum consiliorum remoris, ab his injectis, in eum res redierit statum; ut mediis sustentandi Exercitus, Constitutionibus Imperii præscriptis, uti, haud possibile fuerit. Nec Cæsari tamen displicuisse, qvandocunqve Ordines de alia ratione, viave, qva hostibus, minori cum ipsorum damno & majori commodo obsisteretur, cogitationes suas in medium conferre voluerint: Prout in conventu Ratisbonensi, Electorum collegio id consilii suggerente, singulos Circulos de conferendis in commune belli subsidiis, implorare decreverit.* Qvem tributorum colligendorum modum, qvoniam protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines in literis suis rejecerant, & velut haud legitimum impugnatum ierant, Cæsar in hoc suo responso pluribus astruebat; enixè contendens. *Ab Imperii constitutionibus minimè discedendum, qvando spes superſit perveniendi ad media, qvæ iisdem Constitutionibus præfinita reperiuntur; qvalia, universalis Ordinum Imperii conventus, & ordinaria decreta, plurium suffragiis sancita: Nec non, ubi temporis ratio prolixas ejusmodi consultationes admittat. Nam alioqvi paria esse, & eòdem recidere: Si Respublica nullas habeat Leges, aut si, ob temporum iniqvitatem, Legibus cum salutari effectu uti neqveat.* Præcipuè qvoq; Protestantibus probro dabat Cæsar: *Qvod hoc ipso tempore, qvo*

qvo ob felices Regis Sveciæ progressus, & indies ingravescens ab hoste periculum ipsorum subsidiis maximè opus haberet, omnia ipsi bellandi media, sub titulo ac prætextu intolerabilium pressurarum, subtrahere animum inducerent. Qvia verò fœderatio illorum, & subsecuta eam armatura, ut absque scitu ac consensu Cæsaris instituta, illicita existat, ideò à proposito eos dehortatus, universis ac singulis severè præcepit: Desisterent ab armis; debitam, ut Cæsari ac Magistratui supremo, præstarent obedientiam; nec militi suo necessaria, qvibus carere non posset, alimenta, diribitoria, hospitia imposterùm denegarent. Alioqvi, lenibus his hortamentis nil proficientibus, duriora media ac remedia, qvæ Constitutiones Imperii ipsæmet suggerant, necessariò sibi adhibenda fore.

Mandata Cæsaris avocatoria. Hoc responsum satis atrox atrocissima *ad universos Electores, Principes, Comites, Subditos, Cives, Universitates Imperii, imprimis ad militum Tribunos, eqvitum peditumve Ductores qvosqve; nec non generatim omnes gregarios milites, si pedibus, sive eqvis mererent*, avocatoria subseqvebantur: Qvibus seriò, sub gravissima pœna injunctum. *Ne militibus, qvi, ad Lipsiensis decreti placitum, scribebantur, diribitoria aut transitum concederent, sed coeuntes ubivis locorum opprimerent, dissiparent, profligarent; milites autem omninò se abdicarent his stipendiis: Nec cuiqvam ad delectus hos promovendos ullum tributum & collectam, aut indicere, aut solvere fas esset.*

Qvæ avocatoria liberis Imperii Civitatibus speciatim transmissa, & unà postulatum: *Darent operam, ut, publicitùs affixa, in omnium notitiam venirent, illave re ipsa & strictè mos gereretur.*

Præter isthæc alio adhuc Edicto promulgato, omnes protestantium Electorum, Principum, Ordinum vasallos, qvos pro asserendo Lipsiensis conventus decreto, ad arma & debita, ratione possessorum Feudorum, servitia præstanda exciverant, ut ne Dominis suis directis obtemperarent, dehortatus, admonebat Cæsar: *In ipsum, ut supremum Feudorum Dominum, respicerent, & ad ipsius nutus armatura sua præsto potiùs starent. Qvod si, ante publicationem hujus Edicti, ad loca, armilustrio destinata, armati, instructivè se jam contulissent, extemplò inde digressi, domum reverterentur.*

Similis tenoris literas ad Franconici, Svevici, & utriusq; Rhenani Circuli nobiles, qvi præter ipsum Imperiumve superiorem non agnoscunt, Cæsar dedit.

Pontificii Electores Cæsari astipulantur. Nec minùs pontificii Electores, Protestantium decretum, ut qvo, spe, de redipiscendis bonis ecclesiasticis, conceptâ, evolverentur, in responso ad protestantium Electorum, Principum, Ordinum literas, acerrimè improbare ac dominare; rogantes eosdem, commonentesve: *More Cæsaris avocatoriis & monitoriis mandatus gesto deponerent arma; præclusos transitus reserarent; omni adversùs Cæsaris & cæsarianarum partium militem hostilitate abstinerent; & Cæsari potiùs contra Regem Sveciæ fideliter suppetiarentur.*

Verumenimverò surdis narrabantur fabulæ, nec ullis mandatis aut verborum acrimoniâ à proposito Protestantes absterreri se patiebantur: Qvin potiùs delectus in Misnia, Franconia, Svevia, maximè liberis Imperii Civitatibus, gnaviter procedebant; insigni militum confluxu. Parumq; argumentis, & papyraceis Cæsaris ac Pontificiorum minis fuisset profectum: Nisi his adjecissent arma reducis ex Italia Exercitus succedanea; &, calamo, qvi nullius hìc usus, abjecto, ferreo stylo apud superioris Germaniæ Ordines cancellâssent Lipsiensis conventus decretum.

Cæsaris adversùs Protestantes in superiori Germania expeditio. Controversia enim de Mantuano atq; Montferratensi Principatu sopita certo jam erat pacto: Qvo Cæsar, dummodò vires, illic ex parte hactenùs occupatas, in Germaniam contra Sveciæ Regem, & protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines verteret universas, Regi Galliæ in nonnullis concesserat. Hic ergò Exercitus, ductu Comitis Fürstenbergii, generalis vigiliarum Præfecti, commodùm ex Italia adveniens, surgentibus maximè partibus, necdum adultis tamen & sat validis, velut tempestas, è montanis Alpium ingruens, summâ violentiâ incubuit.

Ec

Memminga ei deditur.

Et primam qvidem aggresſuram, ſub Junii menſis initium, Memminga, libera Imperii Civitas paſsa: Qvam, vi admota, adegit Fürſtenbergius, Lipſienſi decreto renunciare; & qvinqvaginta florenorum millibus, mulctæ loco direptionisq; evitandæ, præſenti pecuniâ ſtatim perſolutis, duas peditum cohortes, donec Cæſari aliud videretur, intra mœnia receptas, ſuſtentare; demùm, de tributo bis mille qvingentorum florenorum qvotmenſibus perſolvendo, fidem interponere.

Nec non Campodunum.

Hinc, ſeptimo Iduum Junii, Campodunum itum: Qvod, clavibus portarum obviam miſsis, imperata facturum obtulit, præſidioq; qvadringentorum militum impoſito, octuagies mille florenos, ne prædatorum licentiæ permitteretur, pependit.

Ulma inſidiis neqvicqvàm tentatur.

Campoduno, Ulmam verſùs inſtituto itinere, haud longulè inde caſtra Cæſariani metabantur: Proditione qvorundam Pontificiorum, qvi iſthic commorantes, clanculum cum iis colludebant, ſtructis Urbi inſidiis. Hi etenim ex eqvitum Ordinis Teutonici ædibus ad turrim, in muri circuitu haud procul novâ portâ ſitam, qvâ bis qvaſi mille nitrati pulveris centenarii reconditi aſſervabantur, cuniculum egerant; eo conſilio: Ut, die dominicâ, dum populus concione audienda occupatur, igne immiſſo, munitiones Urbis, qvas ingenti mole noſtrâ memoriâ exſtruxêre Ulmenſes, vi pulveris apertæ, & in foſsam præcipitatæ, Cæſarianis aditum ſternerent ad invadendum. Sed proditione, tertio Iduum Junii, eo ipſo penè temporis articulo, qvo effectum ſortiri debebat, ſingulari Dei providentiâ per ancillam pecuariam, iisdem in ædibus ruſticationi operantem, revelatâ, octo criminis complices in carcerem conjecti. Cæſariani autem condicto tempore propè Urbem comparuêre qvidem, ſutelas tamen ſuas retectas conſpicati, re infecta, receſſerunt: Nil minùs, qvàm qvod intenderant, agere ſimulantes.

Dux Wirtebergenſis ſubigitur.

Eâdem diſsimulationis perſonâ aſſumtâ ab Ulmenſibus id tramiſſum: Qvi, dum Cæſariani, poſt tentatam hoc modo irrito conatu Urbem, (qvâ, utpote adverſùs ſubitariam vim ſatis inſtructâ, properatò potiri diffidebant) caſtra mox inde movent, commeatu etiam præbito iter eorum promotum ivêre; ad Tillium feſtinato gradu contendere, præ ſe ferentium. Superato autem Danubio, in Ducem Julium, Adminiſtratorem Ducatus Wirtembergenſis, fabam cuſam, animadverſum: Ut, qvi jam militum non contemnendam manum coegerat, anteqvàm, vicinorum ſubſidiis confirmatior, magis formidabilem Cæſaris armis ſe redderet, opprimeretur. Id qvod ex voto & facili ceſſit. Minſingæ enim oppidum initio ſtatim deditū: Et miles ſcriptus ſub Cæſaris ſigna diſtributus, provincialis autem armis exutus, atq; domum ire juſſus. Paulò poſt, Rauſchenſi calle in poteſtatem redacto, Rutelinga eorum arbitrio ſe permiſit. Qva potitus Cæſaris Exercitus, pridiè Calendarum Julii, Tubingam verſùs iter habebat: Adminiſtratorem memorati Ducatus, qvi illìc militem ſuum, ex conſcripto & provinciali miſtum, contraxerat, ſi amicâ viâ res non procederet, vi aggreſſurus. Qva de cauſa, ipſis Julii Calendis, illuceſcente die, in armis, acie explicatâ, ſub obtutum ejus ſe ſtitit.

Sed adverſùs animo jam fractum, & armis diffiſum, vi opus haud erat: Adminiſtrator enim hoſtilem impetum antevertens, nullâ interpoſitâ morâ, ad pactionem deſcendit; poſt nuncium fœderi Lipſienſi remiſſum, *cum Pupillis ſuis, nec non Miniſtris, ac belli Ducibus, in Cæſaris tutelam receptus. Inter qvæ delectus ejus provinciales exarmati ac domum dimiſſi: Militum verò conſcriptorum qvotqvot in Cæſaris ſtipendia tranſire detrectabant, ſacramento adacti; contra Cæſarem impoſterùm arma haud laturos.* Adminiſtratori qvòq; neceſſitas impoſita, *hoſpitio recipiendi Cæſaris Exercitum, in provinciis, qvibus tutelari nomine præerat, &, qvamdiu Cæſari placeret, alendi; tum ſubminiſtrandi è veſtigio in uſum Exercitus, qvantum ſat, ſuperve videretur, commeatus.*

De qva repentina tranſactione judicium ſanè noſtrum lubenter ſuſpendimus: Id tamen certò nobis conſtat: Si paululùm modò Dux ſuſtentâſſet, aut ſuſtentare potuiſſet, ſubſidiarias amicorum copias mox ad manum

num

num futuras; Qvarum accessione, hosti viribus par redditus, omnem effugere potuerat præcipitatæ deditionis suspicionem, &, qvantum conjectare licet, avertere incumbentem hac ratione Lipsiensi fœderi pestem. Nam & Ulma aliqvot peditū signa suppetias miserat: Qvæ cognito, jā facta, transacta omnia, trepido gradu nec sine discrimine, unde venerant, se receperunt. Et Schlammerstorffius Tribunus, cum Legione eqvestri, tribus capitum millibus constante, ac sex eqvitum alis, Regis impendio conscriptis, ex Hassia subsidio appropeans, Nordlingam jam attigerat: Qvi & ipse, aliqvantò seriùs veniens, nec ullum, qvo cum milite se conferret, tutum in vicinia reperiens, receptaculum, diffluere eundem à signis necessariò passus est

Ulma, & omnis Svevia, Franconiaq; colla jugo ultrò submittunt.

Debellato Wirtenbergensi, retrò contra Ulmam reditum; cui aggrediundæ immorari, Fürstenbergius paulò antè minimè consultum duxerat: Ne Wirtenbergensis, qvo, velut fundamento, reliqvorum in Svevico Circulo Protestantium molimina innitebantur, magis magisq; adversùs hostilia arma se firmandi tempus lucraretur. Hæc itaq; Civitas, qvia cum Wirtenbergensi jam actum, & ipsa omni auxiliorum spe destituta erat, Cæsaris qvoq; armis haud difficulter cessit: A Lipsiensi decreto resiliens; & delectibus, qvos egerat, exauctoratis. Cui præter tributorum, qvorum dies jam cesserat, solùtionem, nova insuper imperata: Qvatuor insuper peditum cohortes, & tres eqvitum alas, in Comitatu Geislingensi, Ulmensium dicioni innexo, divertentes, per tres septimanas sustentare cogebatur.

Post Ulmam, nec non reliqvas protestantes Sveviæ Civitates à Lipsiensi decreto terrore ac ostentatione armorum divulsas, in Franconicum Circulum versus impetus: Cujus Ordines Noribergæ sub id tempus convenerant. Sed & hi, animadverso, Fürstenbergium appropinqvare, per Legatos, obviam missos, Cæsaris avocatoriis ac monitoriis mandatis morem gerere, paratos se ostenderunt: Cæsaris Commissario, D. Poppio, pecuniaria belli subsidia, qvæ pro Cæsare flagitatum venerat, septuaginta, scilicet, duorum m nsium tributum, id genùs, qvod ab Imperatorum Romam-itione nomen gerit, intra spatium anni vertentis pensitandum, magnâ insuper promtitudine spondentes. Mox, qvi juxta Lipsiensis decreti tenorem noviter conscriptus erat miles, ubivis dimissus, & sacramento suo solutus: Nec in Protestantium emolumentum qvicqvam inde cessit; nisi qvod qvinq; eqvitum alæ, sub Steinovio Tribuno, & tria peditum signa, qvalia, nulli certæ Legioni obstricta, libera vocant, sub-Tribuni Schaumburgii ductu, in Cu mbacensi agro, Misniæ contermino, collecta, ad vicinum Saxoniæ Electorem in hac rerū metamorphosi transierunt.

Ita potentissimum externa specie fœdus, pauculis diebus, absq; sangvinis effusione, maximam partem concidit; &, velut in stipulâ grassans ignis, repentè in flammam illustrem emicans, repentè in fumum, ventosve abiit: Nec alius ejus exstitit fructus; qvàm, qvod Cæsar Protestantium delectibus, qvi ipsius signis hinc inde successerunt, in propria eorum viscera armaretur, & eò speciosiorem haberet prætextum, ad præteritarum, qvibus illos afflixerat, & futurarum etiam actionum suarum cruditatem & crudelitatem convelandam.

23. Dum isthæc in superiori Germania accidunt, Tillius ab altera parte totus in eo erat: Ut Landgravio Hassiæ, Casselensis stirpis, & Saxoniæ Ducibus, ipsoq; tandem Electore, qvi caput ac Princeps fœderis, perdomitis, Lipsiensis decreti vinculum penitùs dissiparet atq; attereret. Qvem in finem Magdeburgi reliqvias, Badensis ac Breunerianæ Legionum præsidio firmans, milleq; è Lichtensteniana ablectorum militū, & qvinq; Virmondii pedestres cohortes, nec non septem Bönninghusianas eqvitum alas, ad Albis & adjacentium provinciarum tuitionem, Pappenhemii ductu, relinqvens, cum reliqvo Exercitu Thuringam versus moverat.

Tillius Thuringiam invadere parat.

In

Electoris Saxoniæ Legatos audit. In ipso itinere, Thuringiæ jam minitantem, Miltitzius ac Wolckerstorffius, Saxoniæ Electoris Legati, cōveniebant; *de Pace inter Regem Sveciæ & Cæsarem, per Electoris, quam Cæsar ipsemet expetierat, interpositionem conciliandâ acturi, & expiscaturi: Qvibus legibus in Pacis tractatum descendere, aut armorum inducias pacisci, nomine Cæsaris, animatus foret?* Diligentem qvoq; unà daturi operam: Qvo, *amicæ inter Protestantes ac Pontificios compositionis, jamjam Francofurti instantis, (quam, Pace rupta, intercidere necessum erat) aliorum malorum, dubio procul inde oriturorum, respectu ob oculos posito,* à præsenti expeditione diverterent hominem, vimq;, & arma, & nil non hostile spirantis impetum cohiberent.

Sed nullo fructu. Qvibus tamen rationibus tantum abest, ut Tillius iter suum sufflaminari passus sit; ut potiùs, simul ac Thuringiam cum Exercitu attigit, obvia qvæq; populando ac deprædando in Ducum Saxoniæ, Vinariensis stirpis, Comitum Swartzburgensium, & aliorum, Lipsiensi fœderi addictorum, territorio hostiliter grassari cœperit: Franckenhusii Urbe, inter alia, penitus direptâ, & igne subjecto in cineres redactâ.

Postqvàm verò Tillius, castris inter Arteram & Franckenhusium positis, aliqvot dierum spatio inteqvieverat, Erfordiam perrexit: Quam Urbem in potestate habere, Pontificii, ob complures prægnantes caussas, è re sua arbitrabantur. Nôrant enim, ingens illic frumenti, vini, aliarumq; annonariarum specierum penus reconditum; Exercitui in longum tempus sustentando par: Donec, qvod animo moliebantur, effectum adversùs vicinos darent. Situs porrò Urbis adeò commodus: Ut Saxoniæ Duces universim exinde, ad nuncium Lipsiensi fœderi remittendum, & morem cæsareis mandatis gerendum, facillimè compelli possent; Hassiæ qvoq; Landgravius, qvi unicus sociorum superioris Germaniæ in fide data perseverabat, interjecto hoc velut obice, ab Electore Saxoniæ secluderetur. Demùm, Erfordia Franconiæ, & opulentissimis Pontificiorum, in ea sitis, Episcopatibus, velut pro scuto aut procestriis, adversùs hostium molimina inservire videbatur; nec credibile erat, qvempiam eò progressurum audaciæ, ut, Urbe infestâ à tergo relictâ, Herciniæ silvæ, Franconiam à Thuringia disterminantis, montana transcenderet. Tillius ergò bono modo aditum in Urbem sibi straturus, castris propè locatis, satis civiliter petiit: Submitterent se Cæsaris voluntati, &, majoris securitatis ergò, militare præsidium reciperent. Qvanqvam autem verisimile haud sit, siqvidem seriò institisset Tillius, vi aut intentatâ, aut saltem ostentatâ, Urbem diu resistere ausuram: Mitibus tamen simul verborum exorabulis, simul præbito largiter commeatu, nec non objecto æris aliqvo bolo, deliniri, & à proposito abduci se passus sit; Erfordiaq; hunc in modum compedes, qvæ ipsi parabantur, evasit. Tillius namq;, omissâ isthac curâ Mulhusium inde cum Exercitu digressus, ipsemet in Urbe divertit: Peditatu propè Urbem sub dio tendente, eqvitatu verò in circumjectos pagos, expeditioris pabulationis gratiâ, distributo.

Mulhusio ad Gulielmum, Hassiæ Landgravium, Legatus mittebatur à Tillio, minitabundus postulans: Renûnciaret Lipsiensi fœderationi Landgravius; dimitteret, qvas contraxerat, copias; reciperet aliqvot cæsareas Legiones, non in provinciam modò, sed ipsissima qvæ intacta hactenus manserant, provinciæ viscera, aulæ, nimirùm, sedem Cassellas, & munimentum Zigenheimense; deniq; tributum Cæsari deinceps, prout ab aliqvot annis svetus erat, pensitaret. Et Landgravium Hassiæ.

24. Legato autem cum ignominiosa satis repulsa reverso, jam vim & arma parabat Tillius, jam bellum & dira qvæq; meditabatur, & Landgravio, qvod vixdum excusserat, jugum injicere iterùm properabat; cui fini Eschwegæ, loco intentioni suæ peropportuno, hospitium sibi delegerat, Legionibus Hassiæ confinio paulatim appropinqvare jussis: Qvandò à Pappenhemio de vehementi Regis Sveciæ ad Albim impressione, & felicibus fatis illic ausis certior factus est. Qvapropter Tillius in Regem redit.

propter mutato proposito, hunc potius capitalem Cæsaris & primorum principem hostem persequi, cumq; viribus & militum robore se præstare opinaretur, vel ad pugnandi redigere necessitudinem, vel aciei aleam detrectantem trans Albim rejicere, animum induxit: Spe plenus; modò regia contudisset arma, de recentibus delectibus, qvos Lipsiensis fœderationis socii habuerant, disturbandis rem haud adeò arduam, nec magni laboris fore.

Mulhusio igitur, septimo Iduum Julii, discedens, Mansfeldiam atq; Ascherslebam repedabat: Unde iter denuò maturans, ipsisq; Idibus Magdeburgum reversus, decimo sexto Calendarum Augusti, cum universo Exercitu Wolmerstadium, Magdeburgensis diœceseos oppidum venit.

Tres Tillianorum eqvitum Legiones à Rege opprimuntur.

Rex Sveciæ de Tillio adventante, eqvitatum in anterioribus hospitiis hostem versùs pro more collocâsse, exploratò compertum habens, statuit; cum parte maxima eqvitum ac draconum, qvi jam aliqvamdiu à militaribus laboribus interqvieverant, properatò in hostem ire, &, qvod hostilem militem, longo simul celereq; itinere fessum, excubias negligentius habiturum, auguraretur, periculum facere: Num, subitaria irruptione in eqvitatus hospitia factâ, hisq; disparatis, aliqvâ is forsan clade affici posset?

Decimo septimo igitur Calendarum Augusti, eqvitibus ac draconibus suis Arnsburgi veteris Marchiæ convenire jussis, eunte jam in noctem luce, circa nonam vespertinam, iter ingressus, & totam noctem uno tractu continuans, relictâ à tergo Tangermundâ, Beldingum, pagum milliari unico inde distantem, pervenit. Postero, qvi dominicus erat, die, peractis sacris, & divini Numinis auxilio invocato, qvia hostem, præter opinionem, propè abesse, ejusq; prima agmina vix qvatuor abhinc milliaribus commorari, referebatur, summus excubiarum sub Legione eqvitum prætoria Præfectus, cum expeditis nonnullis eqvitibus exploratum emissus. Qvi circa qvintam vespertinam reversi, qvinq; captivos secum trahebant; & ex his cognitum Regi: Duobus inde milliaribus, in pagis Borgstall, & Angern, divertisse Comitis de MonteCuculi & Holckii Tribuni Legiones.

Qvare, continuato itinere, mox progressus Rex, ingruente jam nocte, dimidio ante Borgstallum milliari gradum stitit, &, eqvitatu in tres partes distributo, unâq; Borgstallum, alterâ in pagum Angern, ire jussâ, ipsemet cum tertia mediam, qvæ utrumq; pagum intercurrit, viam tenuit.

Et Borgstalli sanè, qvod proximè aberat, Comitis de MonteCuculi Legio, ut inopinatò, ita maximâ omnium cum clade oppressa, pessumdata, ac qvicqvid pedibus salutem sibi non peperit, trucidatum: Impedimentis universis in prædam regio militi cedentibus.

Secundùm hos Rex cum suis in Reindorffium, Bernstenianæ Legionis hospitium, impegit: Ubi ob tumultum, qvi Borgstalli prior ortus erat, omnia in armis, & universa Legio in duas phalanges ante pagum disposita reperiebatur. Huic eqvitum globus, animos periclitatum, primò immissus: Qvem hostis eminùs tormentulis salutatum iit; veteri eqvestris militiæ more, eqvis in gyrum coactis, latus obvertens. Regii econtrà, licet perpauci, confertim & rectà, ut docti erant, in hostem ferri: Eosq; duæ subsidiariæ à Rege turmæ, modico intervallo seqventes, sustinere. Qvod Bernsteniani conspicati terga statim vertere, & effusissimo cursu pagum prætervecti, per latissima camporum, hinc inde, diffundi: Si qvi verò pernicitati eqvorum diffiderent, abs his delapsi, & illos, & impedimenta Regiis diripienda relinqvere. Qvorum pars in eorum manus qvidem venit; pars verò non minima, incendio consumta, deperiit: Rex etenim, milite ad prædam discursante, ut confusioni nocturnæ occurreretur, ignem pago subjici imperaverat. In hoc conflictu ipsemet Tribunus, Baro Bernstenius, nec non alius, junior Baro de Colobrat, cecidêre: Et, utut Regii hostium vestigiis acriter inhæserint, noctis tamen tenebræ, qvæ fugam eorum convelabant, longè illos perseqvi vetuerunt.

Omnium postremus Rheingravius, Holckia-

Holckianam Legionem, qvæ in pago Angren hospitabatur, aggressus, non imparatam, sed prælio ineundo accinctam offendit: Nam Holckius, clamore aliorum, qvo campi longè latèq; personabant, excitus, pago impedimentisq; relictis, militem ad latus pagi locaverat, hostemq; structis ordinibus illic oppriebatur. Nec, irruente hoste, sibi deerant Holckiani; qvin fortiter initio prælium capesserent: Sed prævaluit Regiorum obstinatio, & disjectos in fugam tandem compulit. Trucidati eorum non pauci, nec pauciores capti: Impedimentorum qvoq; parte non exiguâ Regii potiti, & duobus vexillis; qvorum uno Fortuna depicta, illiq; ascriptum, *Audaciter*, altero strictus ensis, qvem serpens sinuoso flexu circumdederat, adjecto symbolo, *his Ducibus*. Qvod verò direptionis, & inde exortæ confusionis nullus esset modus, nec aliud præsentius remedium, Rhingravius pagum cum omni, qvâ farctus erat, prædâ, Vulcano similiter consecratum ibat. Nonnulli tamen Regiorum ipsi flammæ opima sublegerunt spolia: Qvorum uni gregario bis mille solidi Ungarici obtigisse scribuntur. Generosorum qvoq; eqvorum numero non contemnendo victores passim aucti.

In hoc certamine Carolus Ludowicus, Comes Palatinus à Lautereck, juvenis animis maturior ac annis, dum ante Rhingravii Legionem pugnam impigrè ciet, & vexillarium hostilem, mortiferâ pilâ transadactum, eqvo deturbat, ab ejusdem optione duobus vindicibus globis vice versâ lethaliter saucius, Werbenam relatus, vitam cum morte non ita diu post, insigni Regis cordolio, commutavit. Cui contestando Rex funus, cum in Pomeraniam deduceretur, ipsemet pedes, cum primoribus Ducum, ex Urbe per media castra, ad usq; pontem navibus constratum, honorificè prosecutus est; totusq; Exercitus, in aciem unà cum grandioribus tormentis dispositus, binis tormentorum ac sclopetorum tonitrubus, solito. Svecorum more, justa persolvens, ultimum vale eidem dixit.

Jam indubium erat, hostem, triplici hoc tumultu è somno excitatum, arma arripuisse, & copias contraxisse in unum: Opacitas qvoq; nocturnarum tenebrarum ulterius progredi in ignara terra vetabat. Coacto ergò iterùm agmine Rex, eâdem adhuc nocte, Beldingum pedetentim recessit, & illic paululùm interqviescens, Stendaliam se mox contulit. Ubi integrum hunc diem, qvi decimus qvintus Calendarum Augusti erat, & subseqventem noctem turmas in armis, haud laxatis ordinibus, ad prælium accinctas continuit: Sicubi forsan hosti, vestigia ejus perseqvi, & par pari referre allubesceret. Verum Cæsariani ultra pagos, ubi cladem passi fuerant, progredi neqvaqvam sunt ausi. Qvod ergò nullus appareret hostis, & pabuli defectus discessum insuper imperaret, Rex suos in pristina hospitia remisit. Ipsemet verò, decimo qvarto Calendarum Augusti, in castra ad Werbenam citato gradu advolans, rebus omnibus necessariis ad hostem adventantem streńuè excipiendum ordinatis, Arnsburgum, prætoriæ eqvitum Legionis stativa, pari velocitate redibat: Pro suorum salute isthîc procubiturus, & in omnes hostis motus inconnivis oculis ac pervigili curâ intentus.

Improvisa trium Legionum oppressio & clades, velut sinistrum susceptæ expeditionis augurium, non mediocriter pupugit Tillium, atq; ad eluendam, si pote, contractam maculam, stimulum homini admovit. Igitur, decimo qvinto Calendarum Augusti, Exercitu in campo ad Wolmerstadium convenire jusso, hac & postera luce iter prosecutus, duodecimo Calendarum Augusti, moriente die, fessum solis ardoribus Exercitû, dimidio à Tangermunda milliari stitit; ipsemet in Urbe hospitium sumens: Qvam Regii, duobus aut tribus moratoribus, qvi deprehensi hostium potiebantur, exceptis, relato Arnsburgum gradu, jam deseruerant. Eâdem vesperâ tres Regiorum eqvitum turmæ

Tillius Werbenâ movet.

turmæ apparuêre; cum qvibus præcursores Croatæ aliqvanti per velitabantur: Ubi verò, Croatis campo depulsis, Regii Tangermundæ nimium proximare visi, Exercitus, illâ ipsâ adhuc vesperâ, prioribus castris sublatis, Tangermundam usq; progredi jussus. Qvando sanè generalis rei tormentariæ Præfectus, Baro Schonburgius, validis eqvitum globis, in Regios movit, sed, illis statim dilabentibus, parum promovit: Nec enim ut confligerent, sed ut hostem incurrendo fatigarent, & continuo irruptionis metu suspensum tenerent, missi fuerant. Itaq; non nisi qvinq; eqvitum, qvi morte luerant, jacturâ factâ, Arnsburgum se receperunt.

Undecimo Calendarum Augusti dimidia Tilliani peditatus pars supra Tangermundam ad molam ventosam, altera dimidia infra Urbem ad Albim, eqvitatus autem in vicino saltu tetendit. Interim, excursionibus hinc inde factis, certatum: Variante, & prædam cladem q; inter partes alternatim dispartiente fortunâ, usq; ad octavum Calendarum Augusti. Qvo die Tillius, vasis iterum conclamatis, & Exercitu haud longulè à Tangermunda lustrato, Arnsburgum (unde Regii pariter in castra Werbenensia pedem jam retulerant) instructâ acie, iter instituit. Et hac qvidem vice è Regiis SubTribunus, Johannes Lilliesparrius, dum eqvus globo trajectus sub ipso, æqvè saucio, corruit, à Cæsarianis captus; sed, præter hunc, ultra tres milites haud desiderati.

Acta ad Werbenam.

Postridiè Tillius gradum promovens, non adeò procul à regiis castris constitit: Ubi acribus iterùm, nec incruentis velitationibus certatum. Inter alia regii sclopetarii in arbustum, qvod castra & hostem interjacebat, sese clàm abdere: Eqvites verò, nunc procurrentes, nunc irritato prælio spontè refugi, festinationem seqventium hostium in subsessores illicere. Et succedebat astus: Nam Cæsariani, incautiùs se inferentes, insidiis structis impingere, ac longiorum tuborum sentire fulmina. Hunc in modum dies iste, absq; insigni tamen partium jactura transactus.

Sexto Calendarum Augusti Tillius, Exercitu regiis castris propius admoto, porrectâ latè acie, sub obtutu eorum diu stetit; qvasi totis viribus impetum facturus: Qvem Rex cum suis magnâ animorum alacritate opperiebatur. Sed non processit ad factum isthæc eminatio: Nisi qvod, grandioribus tormentis ad locum, qvo Regii pridiè velitandi gratiâ egressi fuerant, traductis, in regia castra, & Urbem Werbenam, ædisq; sacræ præcipuè turrim, centum plus minùs, ictus disploderentur. Qvo peracto, tormenta revecta, &, vigiliis hinc inde ordinatis, ab hostilitatibus cessatum.

Inseqvente luce vixdum subortâ, regii eqvitatus pars in Tillianas Croatarum excubias erumpens, perculsos ad ipsa penè hostium castra præcipiti fugâ agebat. Unde cum totis castris ad arma conclamaretur, & universus Cæsarianorum eqvitatus in campum se effunderet, res ad exiguum, sed asperum certamen devenit: In qvo utrinsecùs qvasi centum qvinqvaginta occubuerunt. Baudisius, generalis eqvitum Legatus, magnum indomiti animi & roboris specimen conflictu hoc dedit: Ensem lateri cujusdam hostilis Ductoris capulo tenùs ferè abditum, & defractum in vulnere moribundi relinqvens, capulumq;, cum residuâ ferri parte, ad longitudinem spithamæ, secum è prælio referens. Rota etiam calcaris calci ipsius excussa, & ephippium parte aliqvâ sui sclopeti ictu mutilatum: Eqvus deniq;, qvo vehebatur, tribus ictibus sauciatus. Jamq; captivus ipsemet tenebatur, à duobus hostium comprehensus: Sed Wildenstenio, nobili puero, qvi in famulatu ipsius erat, promtè succurrente, & unum eorum prosternente, ab altero, ut agilis & strenuus miles, facilè se extricavit. Bernhardus etiam Saxoniæ Dux, qvi sub hoc tempus regiæ militiæ dederat nomen, prælio huic intererat: Cujus prior eqvus, cum qvo in campum prodierat, mortuus concidit; altero etiam, qvem secundâ vice inscenderat, graviter læso. Uterq; autem, qvod injussi, ex inconsulto animi ardore, certamini

V 2 se im-

se immiscuissent, temeritatis notâ perstringi potiùs, qvàm laudari à Rege meruerunt.

Penuria apud Cæsarianos gliscit.

Intereà in Cæsarianorum castris, non pabuli modò, sed & annonæ inopia sensim gliscere; regio eqvite turmatim hinc inde vagante, & rerum necessariarum impediente subvectionem: Qvemadmodùm, inter alia, Albim supra Tangermundam vado transmittentes, aliqvammultos lixarum & Ducum hostilium currus, qvi cibariis onusti in castra Tilliana properabant, necopinatò interceptos abduxerant. Eâq; de causa ultra triginta millia panis ruidi, à Cæsaris Commissariis Tangermundam ad Exercitus necessitatem sublevandam congesta, qvia ulteriùs ob intuta viarum transferri neqvibant, situ inter præsentis temporis æstum è mora ducto, adeo corrupta: Ut, Exercitu paulò post Tangermundam reverso, nemini nato homini usui deinceps fuerint.

Unde Werbenâ discessum.

Tillius ergò, qvod de Rege in firmis adeò castris feliciter oppugnando desperaret, cibatus pabuliq; angustiâ pressus, & imminenti exinde Exercitus sui ruinæ præ omnibus aliis prævertendum ratus, retrocedendi cepit consilium, qvartoq; Calendarum Augusti effectum dedit: Exercitu Arnsburgum pedetentim repedare jusso. Primores tamen, qvibus maximè fidebat, eqvitum Legiones, ad muniendum terga, & præcavendum, ne hostis in postrema acie turbaret, obversâ Regiis fronte, per integrum hunc diem, qvòusq; ad vesperam inclinaret, in procinctu stabant: Qvibus demùm omni ex parte se recipientibus Regii, postremum agmen carpendo, insultantes, non paucos adhuc concidêre; eqvis & captivis qvamplurimis in castra secum abductis.

Sabbathi die, qvi tertius erat Calendarum Augusti, continuato itinere, Tangermundam perventum: Ubi, castris subitario vallo munitis, & Albi ponte constrato, ad tertium usq; Iduum Augusti immotus Tillius sedit.

Interim freqventibus incursibus inter partes velitatum: Ita tamen, ut parum memoratu dignum acciderit. Animadvertebat autem Tillius: De Rege temporis morâ statu, qvem ceperat, dejiciendo laborari in cassum; suas econtrà vires, qvo diutiùs hîc locorũ commoraretur, eò magis magisq; atteri ac consumi. Regi qvippe annonam, pabulum, reliqva vitæ, belliq; trahẽdi necessaria ex regionibus, trans Havelam sitis, tuto & sine obstaculo suppetere: Suis verò ad sex, septemve milliaria pabulatum eundum; nec diem abire, qvin ab excursoribus regiis, qvi pabulantibus assiduè insidiabantur, aliqvo virorum simul & eqvorum numero minuerentur. Accedebat commeatus penuria: Qvi tantâ abundantiâ, qvam Exercitus magnitudo flagitabat, subvehi non poterat. Movit ergò Tillius, tertio demum Iduum Augusti, ex his castris, universâq; simul veteri Marchia, speciatim autem Gardelebæ Urbe, qvam per integrum sexennium præsidio suo presserat, decessit. Calbâ tantummodò (arx est, Alvenslebios nobiles Dominos agnoscens) exceptâ: Hanc etenim, ducentis militibus infessam aliqvamdiu adhuc tenuit. Postridiè iter suum prosecutus, nec ullam offensionem inter viam passus, Wolmerstadium iterùm attigit: Ubi, peditatu sub dio tendente, eqvitatum, ut vires, expeditione hac non parum attenuatas, reficeret, per diœcesin Magdeburgensem pagatim in hospitia distribui, visum.

Pappenhemii ad veteris Marchiæ Commissarios literæ.

Wolmerstadio Pappenhemius Campiductor, qvò Regi apud Electorem Brandenburgicum, aliqvid novi negotii, si pote, facesseret, ultimo Calendarum Septembris, ad Commissarios, qvi in veteri Marchia curabant, literas dedit; certiores eos reddens. *Pro eo, qvo in veterem Marchiam feratur, affectu, persvasisse Tillium, ad milites præsidiarios Stendaliâ & Garleba educendos: Et id qvidem hac de causa; ne, si fortè hostis eas Urbes vi aggressum veniret, tota provincia, jam antè nimiopère afflicta, ulteriùs affligeretur, & extremam pateretur desolationem.* Adhortatus sub hæc eosdem: *Darent apud Electorem, Principem suum, operam, eòq; pro virili incumberẽt; ut ne isthæc veteris Marchiæ, aut alia trans Albim loca, à Regiis insiderentur. Alioqvi facile esse dijudicatu: A Cæsaris Exercitu, simul ac Italicis se copiis junxisset, eadem denuò oppugnatum, sedem belli hac iterùm*

iterùm translatum, & universam ea ratione provinciam, ad extremam vastitiem redactum iri.

Regina Sveciæ in Pomerania, cum supplemẽto Exercitus, appellit.

25. Dum, qvod diximus, modo Tillius in Regem totis viribus ad Albim incumbit, & castra opponit castris, Regina Sveciæ, cum aliqvot mille militum subsidio, è Regno ad Rudæ insulam appulerat. Qvarum copiarum, qvantum ad Urbium, munitionum, ac limitum Pomeraniæ custodiam minimè necessarium rebatur, partem Rex in Marchiam ad se accivit, partem Ducibus Megapoleos, fratribus, ad recuperandum avitum heredium, suppetias ire jussit.

Duces Megapoleos arma palàm cõtra Cæsarem expediũt.

Megapoleos Duces, qvamdiu, Ratisbonensi conventu durante, spes affulgebat restitutionis per amicabilem viam Electorum interventu impetrandæ, arma in Cæsarem, ut suprà tetigimus, palàm induere detrectaverant. Postqvàm verò Cæsar, loco omnimodæ restitutionis, de qva, ut spoliati, supplicabant, ad novum judicium eos remittens, hac ratione Electores demulcere visus est, perspicuè apparuit: Id unicè qværi; ut, re in longum protractâ, ac novis difficultatum tricis involutâ, ipsi, nihilo seciùs ac anteà, in exilio contabescerent, & occasionem, qvæ capillata jam se offerebat, præterlapsam, calvumq; obvertentem occiput, postmodùm reqvirerent neqvicqvam. Seposito ergò tandem, qvo Cæsaris nomen venerabantur, respectu, in regias partes manifestò transgressi, jam inde ab ineunte Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo primo, operi, qvod feliciter cedere ipsorum vel maximè intererat, auxiliares manus admovere, belloq; inferendo se accingere cœperant, &, qvanqvàm variis impedimentis, maximè ob diribitorium defectum, conflictarentur, non intermiserant habere delectus: Simul ut hiberno frigore solutum mare navigantibus iterùm pateret, militem sensim, prout colligebatur, Stralesundam & Ribniciam, qvam Rex loci diribitorii illis assignârat, navibus transportando. Pacti inter hæc cum Rege: Usuros milite hoc suo, Achatii Tottii ductu, ad cingendam obsidione Gryphiswaldiam; dum expeditionis ad recuperanda propria suscipiendæ se offerret occasio.

Eorũdem prævia protestatio.

Infestis tamen armis, jamjam in Cæsarẽ stringendis, præmissa, majoris cautionis ergò, publico scripto protestatio; inq; hac, qvomodò cum illis hactenus processum fuerat, ab ovo, qvod ajunt, repetitum. Nempè, *provinciis suis per summam injustitiam & iniqvitatem, nulla præcedente citatione, causæ cognitione, sententiâ, aut declaratione, primùm sub hypotheca prætextu, mox simplici & omnimoda Feudorum privatione, exutos. Nec qvicqvam contrà valuisse, aut supplicia sua & enixas preces, qvibus Cæsaris aures humilime pulsaverint; aut causæ justitiam, qvæ ex apologia sua sole meridiano clariùs eluceat; aut Regum, Electorum, Principum diversorum diversas intercessiones, qvæ pro ipsis intervenerint: Qvinimò ipsam concordem, & multis nominibus suspiciendam universorum Electorum, Ratisbonæ congregatorum, autoritatem nullius, aut exigui fuisse momenti. Omnium ergò primò in Iehovam spem suam collocare; injustas & violentas ejusmodi actiones seriò abominantem, justumve earundem Iudicem, nec minùs severum Vindicem: Qvi legitimam adversùs has defensionem Naturæ ipsi inseverit, eâq adversùs vim inferentes uti, cum omnibus universim, tùm vel maximè liberis Imperii Principibus, &, qvi Magistratus nomine censentur, permiserit. Post DEum Opt. Max. autem ad Regem Sveciæ, velut sacram confugisse anchoram: Qvi, commiseratione ergà sangvine junctos ductus, sub immensa miseriarum mole laborantium curam susceperit, dignitati& ac fortunis restituere exules in animum induxerit. Adeoq fixum ac decretum ipsis stare: Summi Numinis favore, & dicti Regis auxilio, subditos provinciasve suas asserere, ab injusti possessoris truci jugo, & tyrannica manu. Protestari tamen hocipso coram DEO, & universo Orbe; non proposito lædendi Cæsarem, aut ullum Principum, Electorum, Ordinum Imperii id fieri, nec qvicqvam, qvod in Imperii damnum aut præjudicium vergat, ab ipsis tentatum iri: Sed id tantummodò intendi; qvomodò principatus, contra omnia divina ac humana jura, ipsissimasve fundamen-*

damentales Imperii Constitutiones sibi ademtos, ex adversarii faucibus eripere, & contra ejusdem injurias tueri imposterùm possint.

Megapolis ab utroq; latere invaditur.

Ducibus ergò Megapoleos palàm se regiarum partium professis, & hoste Gryphiswaldiâ ejecto, Tottius, jam Campiductor, his in oris militiæ à Rege moderari jussus, cui junior Ducum, Johannes Albertus stimulator assiduus aderat, cum copiis suis in Megapolim transire, ac fortunam illìc tentare constituit: Statimq; Zachariæ Pauli, Tribuno, qvem præmiserat, Svanium, Gustrovia, Butzovia, Urbes, oppidave ab hoste deserta, sine admota vi, patuerunt. Paulò post, vergente ad finem Junio mense, duæ hostilium eqvitum alæ, altera Croatarum, Germanorum & gravis armaturæ altera, in pago qvopiam propè Rostochium à Regiis oppressæ: Qvi, cæsis inde qvamplurimis, & inter alios Germanorum Ductore, captis supra triginta, reliqvos, præcipiti fugâ versus Urbem sibi consulentes, ad ipsas usq; portas, & exteriora, portis præstructa, repagula perseqvebantur. Insignem Regiis hac factione in auro argentove signato prædam, &, ut alios taceamus, unico Breitenbacchio subTribuno, ad qvater mille Joachimicos obtigisse, scribunt: Lagenas qvoq; inter impedimenta repertas, loco vini, aut alterius potus, torqvibus aureis, cimiliis, & id genus refertas.

Sexto Iduum Julii, regii eqvites ac dracones Plavii Urbem occupârant. Arce verò, qvæ à ducentis factionis adversæ sclopetariis tenebatur, impetum horum eludente, Tottius Monroium Tribunum, Malchini, haud procul indehospitantem, cum Legione sua, ac duabus machinis, Demmino advectis, illò se conferre, & occupationi ejus operam dare; mox, re nihilominùs præter opinionem aliqvousq; extractâ, Caggium Tribunum cum aliis nonnullis copiis, & binis semimuralibus, sed levioris generis tormentis, eòdem subseqvi jussit: Et hoc, & aliis vicinis locis in potestatem redigendis. Qvi seriùs Plavium veniens, arce jam deditâ, Miroam, consimile Castrum, decimo tertio Calendarum Augusti, oppugnatum iit: Postridie illius, nullo penè negotio, potitus.

Inter hæc crebris Regiorum discursibus terebantur circumjecti Rostochio & Wismariæ campi; Ne qvid commeatus & cibariorum ulteriùs importaretur: Et hac qvidem occasione sæpiculè cum Cæsarianis consertæ manus; eventu Regiis ut plurimùm secundo, hosti adverso. Marcus qvoq; Relingerus, eqvitum Magister, dum qvarto Iduum Julii, Lubecâ exiens, Domitzam prætervehitur, armento centum pecorum in transitu abacto, aliqvammultos hostium, qvi custodes erant additi, cæcidit; triginta abductis secum captivis. Ipsis Julii Idibus, regiæ turmæ ducentos Cæsarianorum eqvites propè Rostochium iterùm incidêtes, post leve certamen in fugam perculsos egêre, fugientiumq; institêre vestigiis, usq; ad medias molas alatas, qvæ Urbi præstructæ visebantur. Totidem sclopetarios hi habuerant comites: Qvorum septuaginta capti, reliqvi occidione occisi.

Sverini Urbs & arx hosti extorqvetur.

Ab adverso provinciæ latere Adolphus Fridericus, senior Megapoleos Dux, cui Lohusius Tribunus optio aderat, decimo sexto Calendarum Augusti, nongentis peditibus, & eqvitum ducentis, Megapolim, nullo hostium objectaculo retardante, irrumpens, & primâ nocte Gadebusæ commoratus, Zachariâ Pauli, Breitenbacchioq; subTribunis, cum novẽ vexillis eqvitum & uno draconum, Relingero itidem cum propria eqvitum, nec non unicâ draconum alâ se aggregantibus, decimo qvarto Calendarum Augusti, ad Sverini oppidum, arcemve, pristinam aulæ suæ sedem, rectâ properabat. Ubi in suburbano centum è Wismaria dracones deprehensi: Qvorum qvadraginta mactati, reliqvi capti vitam ac libertatem trãsitione in hostium stipendia redemerunt. Nec diu post, circa tertiam pomeridianam, utut præsidium, qvod inerat, ducentorum militum impigrè locum tutaretur, oppidum vi in potestatem Ducis concessit: Oppugnatorum non nisi duodecim desideratis, & qvasi viginti sauciis; defensorum verò

verò ultra viginti qvatuor cæsis. De cætero victor miles in hac Urbis expugnatione (velut ergà proprios Domini sui subditos) eà moderatione utebatur: Ut Cives minimè habuerint, qvod aut de injuria corpori, aut damno bonis illato qvererentur. Cæsareus autem miles, qvi se receperat in arcem, locum satis munitum, & commeatu aliisve rebus, præter tormenta, dudùm inde aliorsùm translata, instructum, adduci neutiqvàm poterat, ut deditionem imperanti extemplo aures præberet. Dux ergo Tottium imploratum iit, de auxiliario pedite, tum funiculis, plumbo, & grandiorum tormentorum pari submittendis. Nec deerat illi expromto auxilio Tottius, sed Georgium Johannis, & Laurentium Caggium, Tribunos, qvemq; cum Svecica sua Legione, subsidio ire, duasq; semimurales, levioris generis, machinas, qvibus Miroæ arx concussa fuerat, secum trahere imperabat. His ubi castellum verberari cœptum, & obsessi, præsentem vim experti, omnia ad aggressionem jam præparari, deq; lacu cymbis tramittendo, & arce undiq; invadendà consilium inter obsessos agitari senserunt; intercidente ad hæc subsidiorum & liberationis spe, (de qva Tribuni Grammii literas, Wismarià datas, obsessores interceperant) deditionem his legibus tandem pacti sunt: Ut expansis signis, justis instructi armis, impedimentis omnibus salvis dimissi, pars Dômitzam, Wismariam pars deducerentur. Qvorum pactorum vi postridiè, qvi tertius Calendarum Augusti erat, alter centurionum, Malachias Kelly Domitzam, alter, Joachimus Milatzius, Wismariam discesserunt: Gregariorum autem ultra vicenos haud seqvebantur suos Duces; reliqvis in regia & ducaria stipendia suâ sponte transeuntibus.

Rostochiū obsidio cingitur. Postqvàm hoc modo integer Megapoleos Ducatus, Rostochio & Wismarià Urbibus, Dômitzæq; arce ad Albim exceptis, sub pristinorum Dominorum obedientiam redierat, habito militari senatu, qvid porrò agendum foret, in deliberationem venit. Et uterq; sanè Dux, nec non Lohusius Tribunus huc ab initio inclinabant: Domitzæ arcem, cujus præsidium, prout ex literis interceptis patescebat, in angustiis non exiguis versabatur, vi tentandam; Rostochii autem & Wismariæ Urbes, parte eqvitum atq; draconum circumfusâ, commeatus subvectione prohibendas, lentoq; obsidio sic fatigandas. Id autem factu facile videbatur: Qvod modicus utriq; Urbi, nec ter centum capita excedens inesset eqvitatus. His tamen Tottius calculum adjicere, & absq; speciali Regis mandato à littorali ora ac Pomeraniæ limite, qvorum cura tutelave illi cumprimis commissa fuerat, adeò longè discedendo, in provinciæ interiora ad Albim usq;, duabus munitis & validis Urbibus ab occipitio relictis, cum Exercitu insinuare detrectabat. Qvin ipsius potiùs mens erat: Rostochium, non magis ac Domitzæ arcem ad obsidionem & hostilem vim sustinendam instructum, confestim aggredi; Domitzæ autem præsidiarios, qvod longè faciliùs foret, intra angusta munitionum claustra eqvite circumjecto concludere. Qvam in sententiam ab utroq; Duce pedibus tandem qvoq; discessum. Post Sverinum igitur aliqvo militum numero firmatum, & tria eqvitum vexilla draconesq; nonnullos commodo, unde via Lubecam & Wismariam inter infestari poterat, loco dispositos, nec non qvatuor eorundem alas cum draconum parte, Domitzam versus, ad coarctandum ejus arcis præsidium, missas, lustratis propter Butzoviam, ultino Iduum Junii, reliqvis copiis, viam, qvæ hinc Rostochium ducit, ingressi, ad Urbem, cui post tragicum Hatzfeldii exitum, Baro Virmondius præerat, obsidendam perrexerunt: Cujus tamen deditio, ut infra audiemus, in tempus non modicū adhuc prolata.

Marchio Hamiltonius cum novis Anglo-Scotorum delectibus in Pomeraniam venit. 16. Dum musteæ hæ turbellæ in Megapoli exoriuntur, Jacobus qvoq; Hamiltonius, Marchio, septimo Calendarū Augusti, cum qvatuor per manipulos completis Anglo-Scotorū Legionibus, qvarum unaqvæq; decem cohortes, cohortium autem singulæ centum qvinqvaginta capita, & ita universum corpus sex millia militum complectebatur, in Oresunda appulit.

Mar-

Marchio enim Hamiltonius per agnatum suum, Alexandrum Hamiltonium, regium Tribunum, ad delectus proprio sumtu habendos, ultrò se obtulerat: Modò Rex nominis sui dignationem & auctoritatem iis commodaret. Cujus oblatum hic, summo tamen imperio expresfis verbis sibi reservato, acceptans, insuper novum exiguarum machinarum genus, peculiaris artificii & in hostem usus, animo volventi, certum ferri ad eas conficiendum præbuerat pondus: Attributis qvoq;, ubi funderentur, ferrariis officinis.

Hæ ergò copiæ, in magna Britannia congregatæ, simul ac Oresundam attigêre, Leslæus, generalis vigiliarum Præfectus, conscensâ navi onerariâ Sedinum, & inde, citato pede, ad Regem, qvorsùm duci vellet, percontaturus, cursum præcepit. Interim, universâ classe Penemundam subsecutâ, miles, unà cum qvamplurimis levioribus, dictæ inventionis, machinis, qvas Marchio secum trahebat, in terram ibidem exponebatur: Paulòq; post, mandatu Regis, secus Viadrum, adverso flumine, Francofurtum versùs iter habens, Hornio Campiductori, qvi illic hucusq; adversùs Cæsarianos excubuerat, jamq; à Rege, industriâ ejus contra Tillium, capitalem hostem, usuro, avocatus, ac Havelæ proximare jussus fuerat, successit.

Destinaverat sanè Rex, Visurgi immittere has Legiones; maritimis ab ea parte oris, qvas præsidio minùs valido Cæsariani tutabantur, ArchiPræsulis Bremensis, qvi jam tum regiarum clàm erat partium, adminiculo invadendis, perq; novas hac ratione concitas turbas, Tillii animo, viribusq; in diversa diducendis: Cui fini, tum Bremæ, tum Hamburgi pane ac cerevisiâ affatim instructus penus eas opperiebatur. Jamq; classis, qvâ vectæ, qvadraginta onerariis & duabus bellicis navibus constans, Heiligelandiæ, seu terræ sanctæ insulam, Holsatiæ vicinam, attigerat, qvando contrario ventorum flatu in diversa abreptis cursum mutare, & per Oresundam in Pomeraniam dirigere, in mentem venit. Unde, consilio qvoq; ex eventu mutato, ad Viadri tutelam operâ earum uti, Regi visum.

Exoticus autem hic, & vestitu armisq; satis instructus, sed musteus tamen miles, morbis validè tentatus, atq; ideò confectus est: Ut copiæ, specie egregiæ, nullâ re memorabili gestâ, seqventi autumno, velut deliqvescentes, evanuerint. Cujus causa tum grassanti id temporis usqveqvàq; contagio, tum climatis insolentiæ & repentinæ aeris mutationi, tum etiam duritiei militaris vitæ, cibiq; illis insveti ascribitur.

Similiter Benedictus Oxenstirna, Baro, Regis Sveciæ in Galliam Legatus, omnimodæ contracti fœderis consummationi, & subscriptioni Regis, nec non maturæ subsidiorum ad belli sumtus promissorum solutioni urgendæ missus, velut toto eo tempore, qvo in aula Galliæ Regis commorabatur, magnificè habitus fuerat, ita, re satis feliciter expeditâ, circa hoc tempus dimissus est: Cæsaris Legato, Barone Curtio, & alio, qvi, negotio adhuc calente, à Bavaro supervenerat, manibus pedibusq; in cassum contra nitentibus. Imò licet dictus Baro Curtius, in hospitium Erici Laurentii, Regis Sveciæ nomine pecuniis accipiendis destinati, expressè diverteret; qvò subsidii adversùs Cæsarem subministrati oculatus & omni exceptione major testis foret: Num hoc forsan modo Galli inde absterreri possent? Id ab iis tamen susq; deq; adeò habitum: Ut hunc Cæsaris Legatum, dum argentum ad Ericum Laurentii mediâ luce comportatur ac convehitur, præsentem ipsissimis suis, sed limis procul dubio, oculis aspicere haud difficulter paterentur. — *Benedicts Oxenstirna, Regis Sveciæ Legatus, re dextrè expeditâ, è Gallia redit.*

Haud pari eventu spei conceptæ respondit Legatio, qvam Rex Sveciæ ad Venetos, Galliæ Regis impulsu, destinaverat. Galliæ enim Rex per Baronem Charnassæum fidem fecerat Regi Sveciæ, de singulari erga communem causam propensione Reipublicæ Venetæ: Ut qvæ, ad sublevanda belli onera, pecuniæ summam non mediocrem dependere recepisset. Hinc, non tàm pecuniæ flagitandæ, qvàm fœderis — *E diverso Legatio ad Venetos & Helvetios spei conceptæ non respondet.*

deris

deris arctioris, iisdem, qvibus cum Gallo coierat, legibus, cum Republica contrahendi, Christophorus Ludowicus Raschius eò ablegatus: Qvi tamen præter excusationum inania nil retulit. Obtendebant *versam rerum faciem, & bellum Italicum mutatum Pace; conventâ qvidem, necdum consummata: Cujus consummationi ne remora, jactis novis diffidentiæ seminibus, injiceretur, Regis desiderio assentiri haud posse. Pestilentia quoqve vexatam*, causabantur, *aliisve incommoditatibus afflictam Rempublicam sqvalere totam, adeòqve novo bello implicari minimè aptam.*

Nec uberiores (ut tribus hoc verbis addamus) Legationis ejusdem fructus apud Helvetios postmodùm extitère: Qvos idem Raschius, Venetiis digressus, Regis nomine salutatum, & de conjunctione adversùs Domum Austriacam, ut communem hostem, solicitatum iit.

Tillius Electorem Saxoniæ hostiliter aggredi decernit.

27. Tillius interim, secus cedente Regis percellendi proposito, audendum demum esse, depositâq; dissimulationis personâ, reliqvos Lipsiensis fœderis socios, & vel maximè Saxoniæ Electorem, cujus, ut Moderatoris, & velut Capitis nutum reliqvi seqvebantur, summis viribus invadendos arbitrabatur: Aut, armis depositis, Cæsaris voluntati ut se submitterent, ingratiis adigere certus; (qvo casu ulteriores Regis progressus facilè deinceps sisti, Germaniâq; exigi denuò novum hostem posse, rationem secum putârat) aut Electore obstinante, & Regis auxilium implorante, Regem, qvi cautè nimis rem gerere hucusq; visus fuerat, siqvidem laboranti succurrere vellet, in apertum campum & aciem protracturus. Hæc voti ipsius summa: Nec de victoria, ingenti & hactenùs invicto veteranorum suorum robore fretus, ullatenùs ambigebat.

Furstenbergium accersit, & Fuggerũ cõtra Hassum ire jubet.

Qvò validior tamen & tutior viam hanc iniret, generali vigiliarum Præfecto, Comite Furstenbergio, cum copiis, qvæ ex Italia reduces, Sveviam, Franconiamq; integram Cæsaris jugo iterùm subdiderant, accersito, Fuggerum Comitem, ejusdem dignationis Ducem, & denas, ejus ductu à pontificii fœderis complicibus nuper conscriptas, Legiones Gulielmo, Hassiæ Landgravio, ne Electori Saxoniæ suppetiatum veniret, immisit. Simul irarum, in Landgravium conceptarum plenus: Qvas ejusdem in regia castra, dum Tillius adversùm tendit, adventus, fœdusq; velut sub obtutu cæsarei Exercitus cum Rege initum, nec jam clàm ampliùs habita aut dissimulata conjunctio, immane qvantũ, acuerant.

Landgravii cũ Rege fœdus, ejusq; capita.

Qvod Fœdus, qvoniam velut norma fuit, ad qvam reliqva pleraq; postmodùm amussitata, aliqvantò pleniùs & articulatim historiæ nostræ intexere, pretium duximus.

Obtinuit autem à Rege seqventia Landgravius: *Rex*, (1) *Landgravio in tutelam, protectionem, & clientelam recepto: qvicũqve offendere, aut armis impetere eum intenderent, pro hostibus haberet; non secùs, ac si ipsimet, Coronæve suæ injuriam ac bellum intulissent, pro virili parte, qvantum occasio permiserit, hostiliter perseqveretur; Landgravio consilio, auxiliove adesset; nec cum qvoqvam alio, seu extra seu intra Romanum Imperium, fœdus, qvod huic deroget, iniret. Imprimis verò* (2) *si Landgravio aut ejus subditis vi hostili eripi qvippiam, aut munitiones & arces ejus obsidio cingi contingeret, illis liberandis Rex nil faceret reliqvi; arma Landgravii armis jungeret; summis viribus laboranti succurreret, nec ulla eum ratione desereret.* (3) *Cum Cæsare, & pontificii fœderis sociis, aliisve hostibus, de Pace minimè gentium transigeret aut exueret arma; nisi Landgravio pactis, & ita qvidem incluso: Ut ei, ejusq; subditis nomine illorum, qvibus, cùm in conscientia sua, tùm aliàs gravatos se, justissimè conqverebantur, satisfieret; de justitia adversùs qvemcunqve æqvaliter administranda caveretur; & is in statum, qvo Landgraviorum stirpis Casellanæ Familia ante Bohemicas & Palatinas turbas fuerat, omninò reponeretur.* (4) *Sicubi Rex, ejusve miles à Lãdgravio in munitiones, arces, Urbes, exigẽte necessitate reciperetur, nihil, qvod Regalibus, privilegiis, utilitati, juribus Lãdgravii præjudicio, tentaret; sed necessitate & causâ receptionis cessante, loca isthæc Landgravio iterùm in manus consignaret.* (5) *Sin tormenta qvo, & alia*

 belli

belli gerendi instrumenta, Regi è Landgravii munimentis præberentur (id autem non, nisi cautione priùs de restituendo præstitâ, factum iri) postqvam pro tempore satis usus, restitueret. (6) *Qvod si Landgravius propriis viribus ac marte aliqvem pontificiorum Ordinum, qvi Regis hostes ultrò semet professi, opprimere, ejusve diciones, Urbes, loca occupare potens esset, perinde ac si ipse patrasset, Rex id ratihaberet, & Landgravium, siqvidem eo nomine infestaretur, regiè propugnaret.* (7) *Si ipsemet Rex Landgravio, ut fœderato suo, præsens adesse & absolutæ belli gerendi directioni, à Landgravio delatæ, vacare impediretur, egregium habilem, expertæq; prudentiæ ac virtutis Ducem Landgravio adjungeret: Qvi ipsius, ut Capitis & principis in contracto fœdere, loco Landgravii, copiis præesset; in militaribus, gerendove & continuando bello summi imperii clavum teneret; &, hoc nomine data speciatim fide obstrictus, quæ belli ratio flagitat, ad communem foederatorum scopum conseqvendum, communi consilio perageret ac exseqveretur. Qvò rebus decenter & ordine gestis, confusioni, aliàs facilè irrepenti, omnis præcluderetur rima. Qvos summi imperii fasces* (8) *Rex ipsimet Landgravio contulit ac permisit.* (9) Qvò dexteriùs autem omnia administrarentur, & aliqvis Exercitui afforet, observantiæ fœderis, (ne, aut huic, aut Regis imperio qvicqvam committeretur adversum) reiq; simul pecuniariæ intentus, utile visum; *summo armorum Imperatori fidelem & prudentiâ clarum Consiliarium bellicum adjungere: Qvi illi, ut Legatus ad Confœderatos, adhæreret, consilio opeve juvaret, & providam, ut dictum, omnium rerum curam gereret; cum qvo etiam Imperator è secretioribus qvibusq; statum rerum concernentibus, communicatum iret.* (10) Qvod Landgravius haud abs re fore arbitrabatur, id nec Regi displicuit: Videlicet, *hominem candidum & rerum intelligentem, Legati ordinarii seu Residentis titulo ad Regem à Landgravio mitti; qvi, ut individuus comes, nunqvam non eundem seqveretur, Landgravii petita, temporum successu emergentia, ad eum deferret, & mutuæ communicationi per literas daret operam.* Tandem (11) *Rex Landgravio alios Principes, Comites, Barones, Civitates, Ordines, Universitates in fœdus hoc recipiendi potestatem contulit: Iisdem illos legibus admittere, nec minùs, ac si cum ipsomet ea de re tractassent & transegissent, flagitantibus assistere pollicitus. Qvod si alii eventum demùm rei opperire, animum inducerent, & jamfoederatos cum belli periculis luctari solos sinerent, post trium mensium decursum haud potituros amplius opimis his condicionibus, sed ad novos tractatus, & novas condiciones paciscendas, remissum iri.*

Econtra Landgravius data fide recepit (1) *Eandem subire cum Rege fortunam, nec eum deserere, nec ulli tractatui cum illius hostibus præbere aures, multò minùs de Pace transigere; nisi præscio, volente, & consentiente Rege: Ita ut ipse, ejusve Corona pactis simul includeretur; ea penitus calculo suo approbaret; tractatui adhibitus, deq; eo certior tempori factus foret; & omnia rati habuisset.* (2) *Ut fœderatum Regis & clientem, ejusdem, illiusve foederatorum ac Regnorum damnum avertere, commodum autem promovere; nulli consilio aut actioni immisceri, qvæ Regi, aut ejus Regnis, Principatibus, dignitati adversarentur; fideliter potiùs illi assistere, & pro virili, ad bellum hoc debellandum, milite pecuniave adminiculari: Munimenta autem sua, quantum in se foret, communi foederatorum bono conservare; hostes in ea neqvaqvam admittere; sed, qvò inde excluderentur, laborare enixè & summis viribus.* (3) *Illa ipsa munimenta, provincias, arces, ac loca transitu opportuna, necessitate flagitante, Regi, cùm in adventu, tùm in receptu, absque tergiversatione reserare; & permittere, ut aut singulatim, aut cohortatim & turmatim, aut integris legionibus pertransiret, nec circa illa modò, sed & in illis ipsismet hospitaretur. Militem tamen intromissum utrique fide addictum esse debere, & Landgravio simul in foederis hujus articulos sacramento obligandum: Omnemve à Rege ac Regiis hac in parte captionem abfore.* (4) *Si quando Rex Landgravio è copiis suis subsidio mitteret, Jungere se illis, eas suscipere; uterque*

uterque pro alterutrius incolumitate laborare; & in communem hostem toto impetu ferri. (5) *Exercitum aliquot millium, nulla interposita morâ, suis cogere impensis; eundem, quantum possibile, citius aut seriùs, prout occasio ferret, grandire; simul ac in procinctu staret, seve, suasve provincias tributo, hostibus pensitari solito, subtrahere; potentiam viresve eorum minuere ac supprimere; militem hostilem, in territorio suo hospitantem, concidere; diribitoria hostium disturbare, &, ubicunq; fieri posset, tum exigendo tributum, tum Urbes, arces, ac loca situ commoda occupando, præsidiove militari firmando, quinimò, si daretur occasio, personas eorum in potestatem redigendo, noxam illis inferre ac detrimentum.* (6) *Si, à Rege clade affecti aut profligati in Landgravii confiniis receptum quærerent, penitùs eos dissipare ac disjicere: Ne coire illic locorum, aut gradum denuò firmare ullatenùs possent.* (7) *Comites, nobiles, alios quoscunque, seu fines ejus inhabitarent, seu extra fines haberent domicilium, vasallos, cum equestribus, ad quæ intuitu possessorum feudorum obstricti, servitiis, quotiescunque necessitas exigeret, ad Regis postulatum & commune utriusque placitum convocare; imò subditos, sicubi videretur, viritim ad arma concire, militarive illorum opera, sub Regis imperio uti. Qvo in articulo Rex Landgravio vice versa cavit: Si forte vasalli aut refractarii existerent, aut moratores, affore illi ope sua, in ordinem eos redacturum, pro hostibus habiturum, & privationis pœnam exsecutioni adversùs commeritos daturum; ita qvidem, ut Landgravio, tanqvam Domino directo, dominium sartum, tectum maneret; utilitas verò, seu reditus feudorum fisco & communi ærario inferrentur. Ubi tamen præstitutum scopum attigissent, aut maturiùs forsan, si inter utrumqve de eo conveniret, utile qvoque dominium ad Dominum directum redundaturum, & cum proprietate consolidatum; Landgravium autem à Rege hoc in casu propugnatum, nec cuiqvam, ejus ingratiis, veniam admissi concessum iri.* (8) Cautum; ut *neuter ab altero, sumtuum, qui bello gerendo, aut munitionibus exstruendis impenderentur, nomine, qvicqvam præter id, de qvo expressè conventum, posceret, sed uterqve conventionis legibus, & communi ærario, brevi instituendo, acqviescerent: Pacta qvoqve hæc reliqvis omnibus fœderibus, qvæ cum aliis Magnatibus, Electorumq; ac Principum familiis essent inita (si hi forte alterutri fœderatorum, hujus fœderis & piæ intentionis, animo illis propositæ, intuitu, hostes redderentur, aut ipsa fœdera, ut contraria, invicem se destruerent) qvantum ipsorum scopum attinet, præferrentur, nec vetustiorum foederum respectu alter ab altero resilire, nec nova, huic adversantia, contrahere, animum induceret.* (9) *Si Rex Landgravii munimenta, majoris securitatis ergò, novis adjectis operibus, munitiora reddi, è re communi arbitraretur, Landgravius non permitteret hoc modò, sed subditos qvoqve, inevitabili necessitate flagitante, compelleret ad manus operi admovendum.* (10) *Regiis copiis Landgravii dicionem transeuntibus, & illic divertentibus, pedes candelâ & ligno, eqves stramine & foeno, servitiorum,* qvæ vocant, *nomine præbitis, contenti, nulla ulterioris flagitationis molestiâ hospites vexarunt: Modò alia sustentationis media in promtu forent. Extra verò hunc casum, & in hostico, alimenta sua exinde, secundùm commune utriusqve arbitrium, miles qværeret.* (11) *Si in Landgravii territorio militum diribitoria instituere ratio boni publici necessariò exigeret, id qvod Landgravium æqvo passurum animo: Ultra duos tamen cum dmidio avenæ modios in eqvos singulos, unà cum sex straminis mergitibus, & foeni vehe, ipsisq; eqvitibus, eqvitumve Ductoribus, cujuscunqve condicionis, loco alimentorum, ultra duos Joachimicos, usqve ad armilustrium, qvotmensibus minimè præbitum iri.* (12) *Rege arma in Austriam, aut aliàs in hosticum transferente, & hostem illic, ne foederatorum terras infestare posset, occupante, Landgravium tot militum millibus, qvot securitate propria salva liceret, subsidio ei affuturum; militemve hunc communi utriusqve impensâ sustentandum.*

 (13) Qvod

(13) *Qvod si à Rege unum, alterumve locum, extra illa, quæ pertinerent ad Landgravium, aut in qvibus jus aliqvod haberet, expugnari contingeret, Regi, donec de expensis eidem satisfieret, Landgravium in manibus illa relicturum, & , ne adversarii rursùs evincerent, sedulam unà cum Rege daturum operam.* (14.) *Controversiâ aut lite inter fœderatos suborta, duos à Rege arbitros, & totidem neutri parti obnoxios, à Landgravio nominandos; qvi de tertio conveniant. Horum fidei negotium committendum: Proposita pactorum formulâ, & in medium adductis, qvæ causæ decisioni facere videantur. Qvicqvid autem hi æqvum judicaverint, eo utrumq contentum fore, & acqvieturum.* (15) De transfugis utrinq; conventum: *Ne qvis alterius Ductores, eqvites, pedites, aut facinorosos etiam, transfugientes, in stipendia sua reciperet, aut ullatenùs toleraret; sed si qvis ejus notæ, ubiubi tandem, seu intra seu extra jurisdictionis terminos, deprehenderetur, cujuscunq ordinis aut dignationis, in vincula conjicerent, delitescentes qvoqve summâ industria, qvantum pote, indagarent, alter alterum de iis redderent certiores, & comprehensos pœnis militaribus afficerent. Subditos autem, si qvi, criminis hujus rei, pœnæ se subtrahere effugio niterentur, honorum, tribuum, jurium omnium ac bonorum privatione qvisqve eorum mulctaret, nec ullum, nisi alterius consensu, in integrum restitueret.* Demum, ultimò, Landgravius pollicebatur, *primo qvoqve tempore contra subditos ac vasallos suos, hosti stipendia merentes, acerrima promulgare mandata avocatoria; confiscationis bonorum, tam allodialium, qvam feudalium, amissionis insuper vitæ ac honoris pœnâ præstituta: Illaq strictè & rigidè exseqvi, si unus alterve, cujuscunqve dignitatis aut condicionis, morem his gerere differret, præterlabi pateretur.*

Hic tenor est inter Regem Sveciæ & Gulielmum, Hassiæ Landgravium, percussi fœderis: Qvod jam anteà bis ad incudem venerat; sed hac demùm vice ad Werbenam, pridiè Iduum Augusti, dum Landgravius Regi ipsemet adesset, consummatum & ad colophonem perductum fuit.

Qvo facto Landgravius illicò, acceptâ à Rege, ad primum militiæ fundamentum probè collocandum, insigni pecuniæ summâ, inde rursùs discedens, in sua revertit: Finitimis Pontificiis à reditu statim invadi, ac hostiliter tractari cœptis.

Et Tillius qvidem, simul atq; , Landgravium in Werbenensia Regis castra venisse, innotuit, ad Ordines Hassiæ provinciales literas dederat: Ut insurgerent adversùs Principem, tum absentem, licet in cassum & nullo fructu, instigans. *Tillius Hassiæ incolas contra Dominum concire nititur,*

Eandem Comes Fuggerus, qvem contra Hassiam cum nonnullis copiis missum diximus, insistebat viam. Vixdum enim Vaccham, & illìc locorum ad Hassiæ confinia appulerat, qvandò Ordinibus provinciæ adventum suum, & qvid à Cæsare cum Exercitu missus esset, insinuans, graviter adhortabatur: *Submitterent se Cæsari; adventantem ejus militem hospitio ultrò reciperent; delectus habitos exauctorarent, nec commeatu, hospitiis, aut alio qvovis modo iis ulteriùs adminicularentur; qvin potiùs, inqvietis factionum capitibus, & Pacis conturbatoribus in potestatem redactis, opere ipsô debitum Cæsari præstarent obseqvium.* *Ut & Fuggerus:*

Verumenimverò nil profecturis uterq; bobus arabant littus: Ordines enim inter se, ac cum Principe suo concordes, summis viribus ingruenti cæsariano militi se oppositum ivêre. Ita ut parum profecerit Fuggerus: Donec brevi post, Cæsaris & Pontificiorum fœderatorum intentione à Rege Sveciæ per Lipsiensem cladem infractâ, raptim retrò inde cedere cogeretur. *Sed in cassum.*

28. Ut verò ad Electorem Saxoniæ, in qvem faba maximè jam cusa erat, revertamur, Cæsar sanè hunc, ceu viribus, opibusve potentem Principem, leni bonorum verborum illicio à proposito deducere, enixè studuerat: Ablegato ad eundem, hoc fine, non longulè post acceptum Lipsiensis conventus decretum, uno interiorum Consiliariorum, Johanne Ruperto Hegemullero. Qvi repetitis, qvibus Cæsar, in literis ad decreti hujus consortes junctim, usus fuerat, *Cæsaris ad Electorem Saxoniæ Legatio.*

fuerat, rationibus, denuò id improbabat: Non tamen Electorem ipsum directò, in faciem, inde dehortatus; sed personâ ipsius, perinde ac si negotio huic nullatenus se immiscuisset, silentio præteritâ, tantummodò rogans. *Induceret Religionis suæ ac fœderis socios; ut, intermissis militum delectibus, & aliis belli præparationibus, cæsareo Exercitui necessaria alimenta porrò subministrare ne refragarentur.* Qvò verò proniore cum assensu audiretur Legatio, *facultatem interponendi se Sveciæ Regem inter & Cæsarem*, Electori simul deferebat: *Pace enim conciliatâ præsens bellum sopitum iri; cujus proseqvendi, contributiones & cætera, ejus farinæ, onera militaria pro tempore unicè continuanda venirent.*

Electoris responsũ. Elector econtrà in responso suo Lipsiense decretum & armaturam subsecutam, ut Imperii Legibus & Constitutionibus congrua, acriter satis propugnare. *Temporum insuper lubricitatem, & periculosum statum, militumq́, sine modo, sine regula grassantium, effrenem licentiam, qvam nec cæsarianorum diplomatum reverentia ampliùs, nec ipsorum Ducum satis cohiberet auctoritas, velut causam obtendere: Cur militem conscriptum à signis dimittere, & ulteriores delectus intermittere imposterùm minimè posset. De fide tamen & obedientia sua securum esse jubebat Cæsarem: Operam suam offerens ad pervincendum apud reliqvos protestantes Ordines; ne qvicqvam extra imperialium Constitutionum carceres molirentur. De interpositione ad Electorum Collegium, qvod jam ante has partes susceperit, universim meliùs referri: Nec tamen Patriæ ipsum hic defore, sed ejus amore separatim pro se ad Regem Sveciæ destinaturum Legatos, & Pacem, qvantum in se foret, promoturum.*

Cæsaris ad Saxoniæ Electorem literæ. Licet ergò Legatio isthæc metam propositam haudqvaqvàm contingeret, Cæsar tamen, accepto responso, conceptam animo indignationem nondùm erumpendam duxit; sed, intra altæ mentis latebras recondens, Electorem, datis ad eum literis, donec commoda occasio se exsereret, blandis verbis demulcere institit: Et, post brevem replicam, omnem, qvâ Lipsiensis fœderis socios superiori legatione oneraverat, indignitatem, invidiamq́;, *in istos Imperii Ordines, qvi aut confessioni Augustanæ planè non addicti, jam olim adversùs Cæsarem ac Electorem ipsummet periculosa atqve perniciosa consilia cudissent, fovissentq́, aut certè dissolutæ pridem Unionis non postrema fuissent membra, & nunc Lipsiacis se immiscuissent deliberationibus*, devolutum iit. Qvòcunq; tamen rem verteres, ad ultimum eò recidebat: Universis protestantibus Imperii Electoribus, Principibus, Ordinibus (& ita Saxoniæ qvoq; Electori, reliqvorum principi ac coryphæo) arma, qvæ defensionis causâ arripuerant, deponenda, avocatoriisq; & monitoriis Cæsaris mandatis submissè parendum.

Tandem Sveviâ & Franconiâ sub pristinum jugum redactis, nunciumq; Lipsiensi decreto remittere compulsis, qvia Cæsar, depositâ larvâ, intentionem suam, profundis dissimulationum involucris hactenùs obtectam, renudare idoneum jam tempus rebatur, Tillio, de Electore Saxoniæ, non secùs ac cæteris Protestantibus, in ordinem cogendo, & mandatorum avocatoriorum exsecutione, si amicam viam reperiret obseptam, vi armisve admotis pertendendâ, imperatum. Tillii ad Electorẽ Saxoniæ Legatio minacior. Qvi, ubi Comitem Fürstenbergium jam præ manu esse constitit, subsortitione vigore mandati cæsarei, qvo instructus erat, factâ, Johannem Reinhardum à Metternich, Episcopatus Halberstadensis Administratorem, & generalem rei tormentariæ Præfectum, Ottonem Fridericum Baronem à Schönburg, ut subdelegatos Cæsaris Commissarios, Wolmerstadio ad dictum Electorem, Mersburgi id temporis commorantem, missum ibat: Revocans illi denuò ad animum causas, qvibus permotus Cæsar Lipsiense decretum, & promanantem inde armaturam improbaret; simul commonefaciens *Electorem*, (*cujus dicionibus ac subditis, magis, qvam alterius cujusqvam in Imperio hactenùs parcitum fuerit*) *ob prætensas belli pressuras minimam omnium habere qviritandi, & ad extrema hæc recurrendi ansam*; demùm, qvia alii protestantes Principes

ac

ac ordines delectus suos, ipsius & Electoris Brandenburgici exemplo convelarent, ab eodem postulans. *A conscribendo porrò milite absisteret; quem autem coactum sub signis jam habebat, Cæsari ad bellum cum Sveco eò expeditiùs terminandū transcriberet, unà cum tributis, illi sustentando imperatis: Consortes qvoqve suos, Romani Imperii Electores, Principes, Ordines prævalidæ auctoritatis suæ pollentiâ, à præfracta, qvà ingressi essent, inobedientiæ viâ retractos, induceret; ut cæsareis mandatis morigeros se gerere, qvàm per extrema & prærupta consilia in præceps ire mallent.*

Electoris ad hanc declaratio.

His Tillii Subdelegatis Elector Saxoniæ Lipsiensium actorum justitiam & æqvitatem è scriptis, qvæ eidem astruendæ jam ediderit, qvorūq; exemplaria Tillio per eos transmittat, satis elucescere, respondit; ulteriùs subjungens. *Meliori spe duci, qvàm ut, ominetur, pro officiis, Cæsari adeò fideliter præstitis, remunerationis, toties data fide sanctè promissæ, & debitæ protectionis loco, vim sibi illatum, ac, qvalis qvidem rumor atqve eminatio jam aures suas tetigerit, qvem non omninò vanum, incursiones, prædationes, alii excessus, velut belli præludia arguant, hostilem se in modum oppugnatum iri: Præcipuè, qvia hoc ipso tempore amicabilis tractatus, cum Pontificiis bonorum ecclesiasticorum causâ Francofurti institutus, qvam maximè caleat, & Elector, hujus negotii maturandi, Legatos ad Cæsarem Viennam mittere, jamjam animo destinarit. Optimæ ergò & saluberrimæ hæ intentiones ne, remora injecta, aut sufflaminarentur, aut retrò penitùs cederent, orare Tillium: Communi Paci & tranqvillitati promovendæ, avertendæve sangvinis effusioni, ut ne subditos suos prædationibus, incursionibus, militaribus hospitiis, transitu, aliis belli incommodis gravaret imposterùm; sed hæc talia ab iis omninò abstineret. Alioqvin acribus his remediis morbum non lenitum, sed exulceratis magis magisve animis asperatum, & auctum iri; prudenterq́ subducenti calculos facilè venire judicatu: Qvorsum, si actiones ejusmodi continuent, res tandem evasura sit.*

Tillius Fürstenbergio junctus, in Misniā tendit.

Durante adhuc tractatu, priusqvàm Subdelegati ab Electore cum responso reverterentur, Tillius Wolmerstadio Eislebam cum omni Exercitu moverat: Ubi Italicæ, sub Furstenbergio, copiæ, triginta duobus eqvitum alis, & qvadraginta qvinq; peditum cohortibus constantes, qvæ jam ante aliqvot dies illuc locorum appulerant, eidem junctæ. Inde, castris triduo post sublatis, totis viribus, & qvadraginta, ut scribitur, millium Exercitu, rectà in Electoratum Saxoniæ itum: Cujus fines simul ac contingere datum, prædando, diripiendo, nihilq́; non hostile patrando, apertè se hostem profitebatur.

Saxonicus miles Torgam se recipit.

Electoris noviter conscriptæ eqvitum, peditumve Legiones ad Lipsiam convenerant: Ab Idibus Augusti ad duodecimum usqve Calendarum Septembris castra ibidem metati. Undecimo autem Calendarum Septembris, Exercitu lustrato, peditatus, ob Cæsarianorū adventum, Eulenbergā, & porrò Torgam concessit: Ad custodiendum Albis transitum; qvem Tilliū inhiare, conjectura erat. Eòdem eqvitatus, unà cum decem tormentis, è vestigio subsecutus. Dresdâ qvoq; complures machinæ secundo flumine subvectæ, locusq́; castris ibidem designatus, & subitario vallo indui cœptus.

Tillii postremæ ad Electorē literæ, vim denunciantes.

29. Octavo Calendarum Septembris universus Cæsaris Exercitus Halam Saxonum venit: Castrisq́; ad Salam locatis, Tillius & primores Ducum in Urbe diverterunt. Exinde postremas Tillius ad Electorem literas dedit; eidem insinuans. *Cæsarē ipsius contestationibus minimè contentum, aut acqviescere: Ne itaq́ in abrupta & desperata consilia se abripi pateretur, sed monitoriis & avocatoriis Cæsaris mandatis, suove postulato morem absqve ulla tergiversatione gereret. Alioqvi, si contumaciter refractariis esse pergeret, inevitabilem Tillio fieri necessitudinem exseqvendi; qvod Cæsaris voluntati foret consentaneum, & belli ratio flagitaret.*

Tillius Misniam irrumpit.

Huic armatæ autem executioni ut principium fieret, summo Electoris in diœcesi Mersburgensi Præfecto, & Senatui Urbis, certum, sustentando Exercitui, commeatus modum præbere, illicò imperatum; dilatoq́; paululùm responso (qvia rem ad Electorem priùs referendam duxerant.) Septimo Calendarum Septembris,

Pap-

Pappenhemius Campiductor, sex militum millibus, nec non octo machinis, eò missus: Qvi, suburbiis primo adventu hostiliter direptis, Urbem ipsam dedi postulabat. Nec restitêre qvadringenti, qvi illic servabant, præsidiarii è provincialis militis genere, sed, de discessu pacti, Pappenhemio locum tradiderunt, suo milite muniendum. Ex qvo Cæsaris miles, excursionibus hinc inde factis, Mersburgensem ac Naumburgensem, Episcopatus, ut & alias finitimas Electoris provincias ac Urbes, direptionibus, igne, ferro hostiliter vexare exorsus, inter alia, ergà Electoris non infimæ notæ ministros, fune variis nodis aspero circa caput contorto, & trocho pollici aptato, arctèq; intenso pecuniam extorqvendo, barbarum in modum se gessisse, scribitur.

Lipsia à Tillio obsidetur, Qvarto Calendarum Septembris, Lipsiam, eâdem, qvâ Mersburgum, ratione, commeatum nempe imperando, tentatam, civico Magistratu rem pariter in Electoris & Domini sui assensum rejiciente, eqvitatu postridiè circumcinxit; excubiis ad portas usq; dispositis, omniq; circumjecto agro ad tria usq; milliaria fœdè direpto: Demùm, larvâ depositâ recipi cum milite in Urbem postulans. Caussantibus autem, in sua id potestate haud esse, sed Electorem de eo reqvirendum, ultimo Nonarum Septembris, Halâ Saxonum cum Exercitu digressus, proximâ nocte Scheuditzii exactâ, vixdum illucescente die, Exercitum in aciem dispositum ad Lipsiam stitit; postulatum ergò hos, qvos Urbe evocârat, simul leniter, bonis verbis iterans, simul minitabundus: Ni promtè mos gereretur, summis viribus, qvoad satisfactum ipsi foret, hostiliter illos persecuturum. Exiguo qvoq; deliberandi spatio petentibus concesso, ad vim intereà nihilominùs se præparabat: Dispositis, qvatiendo muro, tormentis nonnullis; ut & mortariis, igni artificiali in Urbem evomendo. Intùs in Urbe ad arma animi initio inclinare visi: Unde in eos, qvi muris proximarent, machinis & tubis longioribus acriter detonatum; parumq; abfuit, qvin ipsemet Tillius, dum grandior globus nonneminem, proximè ad latus eqvitantem, discerpit, vixisset. Suburbia qvoq; elegantis structuræ, ne hosti succedenti velamento forent, pridiè Nonarum Septembris, igne subjecto, ab urbicis exusta: Qvasi qvi justum obsidium tolerare, vimq; opperiri extremam decrevissent. Nec Cæsariani, Tillii mandatu ad restingvendum concurrentes, flammæ eripere valuerunt: Vento huic suffragante, & obsessis crebro è muris tonitru restingventium operam interpellantibus.

Et deditione capitur. Ubi verò Tillius, à meridie, tormentis eos infestare, & subsecutâ nocte, ollas æreas, id genus, qvod pulveris sulphurei, qvo impletur, violentiâ frustillatim diruptum, vicina qvæq; obterit & prosternit, (granatas seu mala punica, sveto militiæ nomine, vocamus) sphærasq;, excitando incendio factas, projicere in Urbem cœpit, simul minis exæstuans, & diris se devovens; Ni deditio properaretur, Magdeburgi fato perituram, nec ullo nato homini, qvin nec fœtui in lucem nondum edito, parcitum iri: In eam animi consternationem & stuporem abrepti fuêre; ut ipsis statim Nonis Septembris Legatos, de deditione acturos, Urbe emitterent. Eâdem adhuc vesperâ de legibus certis scripto conventum, & postridiè, anteqvam in meridiem adolesceret dies, deditio subsecuta: Unicâ provincialis militis cohorte, qvæ ex civibus Lipsiensibus constabat, in arcem transeunte, reliqvis cum sub Tribuno à Porta, Urbis Præfecto, discedentibus. Qvorum in locum Cæsarianorum ad mille, Wangeleri Tribuni ductu, ingrediebantur.

Ut & Pleissenburgi arx. Arcem qvoq; adversùs vim satis munitam (Pleissenburgum vocatur) electoralis Præfectus, Johannes Voppelius, seqventi die, qvo acie depugnatum, increbescente jam in vicina planitie tumultu, nullâ necessitate coactus, ignaviter dedidit.

Elector Saxoniæ Regis Sveciæ conjunctionē ambit. 30. Dum hac ratione Tillius ipsummet Saxoniæ Electorem oppugnatum it, atq; velut victimæ, ad explendam Cæsaris libidinem destinatæ, jugulo secespitam admovet, Ele-

Elector his tandem mediis uti vi hostium compellebatur, qvæ ut arriperet, vicinorum ejusdem Religionis consortium, infortunium, pericula ac miseriæ permovere haud potuerant: Oblatam pridem à Rege Sveciæ, Magdeburgo liberando, armorum conjunctionem, qvam tum respuerat, nunc, qvo semet suosve subditos à præsenti exitio tutaretur, ultrò ambire & amplecti, extremâ necessitate coactus. Id qvod, Arnhemio Campiductore pariario, factum; brevi ternis vicibus, septimo, nimirum, & qvarto Calendarum, ipsisq; demum Calendis Septembris, ad Regem eo nomine profecto: Et Rex, qvi, ruiturâ hac in Electorem tempestate eminùs prævisâ, qvò propiùs ad manus esset, è Werbenensibus castris vetus Brandenburgum se contulerat, ut ne Electorem sub cultro linqveret, sed arma jungeret armis, officiosè rogatus.

Et fœdus cum eo init. Nec Rex petitioni & voto ejus defuit, sed qvâ animi promtitudine erga Religionis suæ consortes foret, re ipsâ potiùs ostensurus, qvàm ut verbis diu, multumq; jactaret, post brevem tractatum, Fœdus cum Electore pecussit; *proprio ac Regnorum, dicionumve suarum nomine* recipiens. *Contra universos & singulos amborum hostes, Electori, pari utriusque sorte, affore, operamve ad provinciis ejus arcendos, avertendos, opprimendos, unà daturum: Nil qvoqve commissurum, qvod in electoralis status, dignitatis, privilegiorum, munimentorum, territorii præjudicium vergeret; sed Electori, ejusve dicionibus ac subditis præstiturum, qvicqvid ad omnimodam electoralis status, dicionum, subditorum liberationem ab ipso desiderari posset.*

Vicissim Elector, *electorali fide, nec non christianæ conscientiæ Religione interposita, pro se, electoratu, dicionibus suis* sanctè repromisit (1) *Militem suum Regis Exercitui contra communem hostem juncturum, eandemve subiturum aleam; in eo, qvod unanimi consilio decerneretur, dum exsecutioni mandatur, absolutæ directionis clavum Regi relicturum, &, qvantum pote, accommodaturum se Regis voluntati; copias suas à Regiis, qvousque discrimen ab hoste immineret, haud separaturum; nec alterutrum de Pace, absqve alterius consensu, tractaturum, transacturumve.* (2) *Regi loca, Albi incumbentia, ad transeundum flumen opportuna, non modò reseraturum, sed etiam, urgente necessitate, recepturum intrò cum suis, ac summis viribus de eorum incolumitate sollicitum fore.* Deniq; (3) *Regi, & militi regio, qvamdiu in territorio ipsius hospitaretur, pro qve ejus salute pugnaret, necessaria alimenta pabulumve pro eqvis subministraturum.*

Synallagmate hoc datâ utrinq; in scriptis fide firmato, Rex Sveciæ Exercitum, tredecim millibus peditum, & octies mille, octingentis, qvinqvaginta octo eqvitibus, inito è Ducum laterculis Regi hoc tempore editis numero, constantem, tertio Nonarum Septembris, Witteberga Albim traduxit: Secundis castris Dibenam, ad Muldæ fluvium sitam, perveniens.

Eodem tertio Nonarum Septembris, Elector Saxoniæ ex abundanti, qvo omnem malorum subsecutorum culpam à se amoliretur, ultimas ad Tillium literas dedit: Exaggerans *obedientiam & fidelitatem suam erga Cæsarem; qvas non ore tenùs tantum ac nudis verbis præ se tulerit, sed utilibus factis atqve opere ipso palàm toti mundo contestatus sit, meliusq; hostimentum, qvàm modò tribuatur, meruerit. Qvod verò benefacta sua indignâ adeò mercede jam compensentur, omnipotenti DEO, ut justo omnium humanarum actionum Judici, & malarum vindici, committere judicandum, vindicandumq; nec diffiteri: Ab aliis, qvicqvid jam malo suo experiatur, abunde sibi prædictum; qvorum tamen monitis ut fidem adhiberet, induci nunqvam potuerit. Non habere, qvod ulteriùs polliceatur; qvam obedienter & submissè exhibiturum Cæsari, qvæ Imperii Constitutiones postulent: Qvippe ad inviolabilem harum observantiam caput ac membra mutua obligatione obstricta. Imò adhucdum in Cæsarem, ut apprimè carum caput, firmam collocasse fiduciam: Nihil præterea à se flagitaturum; tantum abest, ut atroci & inaudita ejusmodi vi invadi & exagitari velit. Negotium hoc reliqvos etiam Electores, Collegas suos, concernere; qvibus non minùs, ac ipsi, pro Imperii Libertate advigilare incum-* Elector Saxoniæ literis ad Tillium, belli culpam à se removet.

incumbat: Nec, vi fœderis & vinculi, qvo Electores inter se colligentur, uni licitum, qvicqvam, qvod in omnium præjudicium tendat, admittere. Qvia verò his minimè attentis, populationis, direptionis, aliarum crudelitatum in provinciis suis nullus finis aut modus sit, adigi vel invitum, ad arripiendum media, vim vi repellere idonea: Qvæ omnia jura, imò Natura ipsa, communesve Gentium mores illum doceant, & amplecti adhortentur; utut, eò recurrere, nunqvam antehac in mentem venerit.

Regius & Saxonicus Exercitus conveniunt.

31. Post has velut clarigationis literas Tillio transmissas, Elector Saxoniæ, Brandenburgico, qvi præsens hoc tempore aderat, comitatus, motis Torgâ castris, Dibenam se conferens, ipsis Nonis Septembris, vires suas Regi ac regio Exercitui junxit.

Deliberatio inter Regem & Electores: De acie, necne, tentanda?

Illic mox, militari Senatu habito, inter Regem & utrumq; Electorem variè deliberatum: Qvâ viâ qvàm optimè hosti obviam eundum foret? Et Elector qvidem Saxoniæ, *aperta acie confligendum*, obstinatè censere; causam opinionis afferens. *Qvod hostis alia ratione dicionibus suis, qvæ occupârat, pelli posse haud videretur, sed bellum, cum exitiabili & internecino earundem damno, trahendum veniret: Qvo casu ipsi impossibile, utriq, & Regis, & proprio Exercitui, de commeatu, aliisve rebus necessariis prospicere; adversarius opimiore territorii sui parte jam potitis.* Rex econtrà, tutiora qvàm prærupta sectatus, *omnium Protestantium fortunam, his Exercitibus nixam, ancipiti adeò discrimini exponere, & in unius prælii eventum conferre*, haud consultum arbitrari: Qvin ejus potiùs esse sententiæ. *Halam Saxonum deflectendum, Urbem hanc arcemq Mauritioburgi imminentem, nec non Mersburgum occupanda, &, circuito sic à lateribus hoste, faciendum periculum: An hoc forsan modo supplantari & clade aliqva affici, aut, siqvidem acie certandum, ex opportunitate loci, qvem insederat, in apertam, ac utriqve parti æqvam planitiem protrahi posset?* Nec enim sibi persvaserat Rex: Tillium adeò fore temerarium, ut prælii aleam, nullâ necessitate urgente, esset subiturus. Siqvidem, modò castris Exercitum, qvem instructissimum habebat, contineret, ad defensionem sui unicè intentus, indubium erat: Regem ac Electorem oleum, operamve perdituros, suas ipsosmet vires continuis vigiliis, ac intensis militiæ laboribus, utpotè adversus munita castra in aperto tendentes, attrituros, tandemq; eventurum; ut, re infectâ, retrocedere, & in obtutu potentissimi hostis (qvod bellicarum artium periti periculosissimum semper jure arbitrati sunt) se recipere cogerentur. Imprimis qvoq; Rex utriq; Electori discrimen, qvod præ Rege immineret, in memoriam revocabat: *Si aciem*, inqviens, *tentare lubet, ludum ludimus ambiguum, & qvo de una Corona, ac duabus electoralibus mitris certamen velut cernitur. Jam verò fortuna, ut in omni humana vita, ita vel maximè in bello, potissimùm in acie, lubrica ac volubilis est: Et forsan, summi Numinis providentiâ ob peccata nostra ita dispensante, evenire poterit; ut hostis victoriam reportet, nos superemur. Qvo casu mea qvidem Corona, utut vel Exercitus, qvem adduxi, vel mei etiam ipsius jacturam faciat, concutietur, non pessum tamen dabitur; vacillabit, non concidet: Tam procul enim dissita, tanta armatarum navium classe instructa, tot claustris ad fines munita, tot novis militum delectibus in procinctu jam stantibus ad integrandum bellum parata est; ut de incolumitate & salute sua ob id minimè periclitatura sit. De vestro autem cumprimis luditur corio: De vobis, qvorum cervicibus hostis proximè instat, imò qvorum in visceribus jam grassatur, siqvidem acie vincamur, actum erit; mitræq electorales tremebundæ micabunt, aut fortè, capitibus planè excussæ, aliorsùm transilient, & aliorum haud condigna fastigio tanto cingent tempora.* His rationum momentis Elector Saxoniæ ab intentione, qvam obstinârat, adeò

adeò se dimoveri non passus, ut potiùs inconsulto animi impetu præ se ferret: *Rege pugnam detrectante, solum cum suis in hostem ire, & prælio de summa rerum decertare certum.* Rex ergò conspicatus, ad tutiora consilia surdum, & omnis moræ impatientem, præcipiti qvodam ausu ruiturum in præsens exitium, ipse tandem in hanc qvoq; partem se transdidit; Ut rectâ in hostem iretur, & acie decerneretur, assensus: Qvippe unà cum Electore, qvàm solus, Electore prostrato, Tillium adoriri malebat. Decretâ porrò semel acie, nihil procrastinandum, sed citato gradu in hostem properandum, duxit; armis utrinq; in æqvilibrio stantibus: Priusqvàm Tillii Exercitu copiarum, qvæ Aldringero, generali vigiliarum Præfecto, Duce adventabant, jamq; Erfordiam attigerant, accessione aucto, victoria redderetur difficilior, & spes ejus conseqvendæ magis ambigua.

Rex & Elector Saxoniæ in hostem procedût.

Postqvam igitur Brandenburgicus, domum discedens, iis valedixerat, ultimo Iduum Septembris, instructâ acie, ita ut regius Exercitus ad dextram tenderet, electoralis ad sinistram, Dibenâ processum: Habito rectâ Lipsiam & hostem versùs itinere.

Regis ad suos oratio.

32. Vesperi, Exercitu sub dio tendente, Rex primores Ducum ad se accersitos, de aliqvammultis, qvæ in futura acie observanda arbitrabatur, admonuit: Eosdem demùm, qvò currentibus calcar adderet, animosq; illorum jam ante satis alacres ac fervidos, ad pugnam fortiter capessendam magis adhuc incenderet, seqventem in modum adhortatus. *Siqvidem cum alio milite, & ejus farinæ hominibus, qvorum animus imperterritus, & fortis bello dextera mihi ignoti, & non vobiscum, carissimi commilitones, qvorum virtutem toties expertus sum, atqve ad periculorum obrussam examinavi, res mihi foret, verbis animos illis addere, operæ pretium ducerem. Animadverto autem eam in renidente vestro vultu confidentiam, & alia infractæ, non nisi pugnam & hostem flagitantis, fortitudinis signa, ut labore hoc supersedere facilè possim: Tum in eo qvoqve cardine res jam vertitur, ut haud prolixa verba, sed impensa facta deposcat. Non vilipendo aut contemno, in qvem tendimus, hostem; nec verbis elevabo, qvod imminet, discrimen: Injuriam enim vobis facerem, si rei, qvam aggredimur, arduitate absterreri vos & percelli posse, arbitrarer. Meliùs vos novi, reapse expertus: Nullum unqvàm certamen exstitisse tam acre, qvod detrectaveritis; nullum periculum tam grande, qvod, meo auspicio, invicta animi magnitudine non superaveritis. Sit sanè hostis, qvem invadimus, potentissimus & viribus insignis: Sit exercitatus, lõgo armorum usu duratus, & cruenti hujus ludi haud insolens: Sit victoriosus & talis, qvi inter diuturna bella, nusqvàm interpellato rerum secundarum cursu, vinci penè dedidicerit. Sed qvò illustrior hic hostis, eò major vestra, qvam eo devicto estis adepturi, gloria reddetur: Nam omnibus laureis, qvas tot certaminibus reportavit, unico hoc prælio eum exuetis; & omne decus, qvod tot annorum curriculo variis laboribus sibi peperit, intra viginti qvatuor horarum spatium, vestrum, cum DEO, proprium erit. Confliximus tamen jam antehac diversis cum eo vicibus; virium nostrarum periculum erga illum fecimus, & novimus, qvid polleat: Non adeò terribilem experti, prout prima fronte apparet; nec adeò insuperabilem, qvin de victoria cum eo cernere liceat. Ubi nostras & hostis vires contemplor atqve metior; numero hosti certè pares, si non superiores sumus. Et virtuti qvidem vestræ nullatenùs diffido, sed certus sum; universos singulos, à summo ad infimum, prout magnas & vitam gloriæ posthabentes animas decet, prælium ituros: De Saxonicis qvoqve utut non omnes veterani sint, aut multorum stipendiorum, qvia tamen de Patria, omniumq; salute hac agitur acie, certa spe alor, officio suo haud defuturos. Præcipuè autem justitia causæ à nobis stat: Qvam impensiùs & pluris æstimo, ac multa militum in acie millia. Non enim humani qvippiam, sed DEI ipsius gloriam ac doctrinam propugnatum imus: Nempe, veram & ad æternam beatitudinem unicè ducentem Religionem*

nem, qvam Pontificii adeò graviter hucusqve pressere, & nunc penitùs opprimere, eradicare, abolere nituntur. Qvid ergò ambigimus? Qvin clementissimus Iehova, qvi nec-opinantes, qvicqvid etiam hostis contra machinaretur, superatis tot remoris & objectaculis, mirandum in modum, velut via præmonstrata, in hunc usqve locum deduxit, divino auxilio suo cœlitùs efficaciter nobis affuturus sit; dexteras nostras roboraturus; & ab hoste inflato, multoq; fastu turgido, victoriam benignè largiturus. Recordaminor miseræ & desolatæ Urbis Magdeburgensis: Qvæ in miseriis atqve ruderibus suis qviritatur; vindictam à DEO efflagitans. Recordaminor tot millium innocentium animarum: Qvæ, inibi crudeli ferro mactatæ, væ & dira qvoqve hostium cervicibus succlamant. Nec dubitate: Qvin divina Iustitia, truculentorum tot homicidiorum, aliorumve horrendorum scelerum, qvibus in Urbis hujus expugnatione se impiarunt, condignas ab ipsis pœnas expetitura sit. Eamus ergò fidenter in hostes, & ferrum alacriter stringamus. DEUS nobiscum; de qvo, conscientia suffragante, certus sum: Ejus ope arduum, qvod instat, expatrabimus opus; ejus ope hostium vires conteremus. Memini qvoqve militaribus facetiis, proverbii vice, inter vos, & manipulares vestros antehac jactatum: Beatos qvidem vos, me Imperatore, haud divites fore. Nec sanè diffiteor: In provinciis, ubi hactenùs bellatum, ut ab hoste jam exhaustis, maximamve partem devastatis, tum amicis qvoqve, seu amicos agnoscentibus Dominos, & vanam, & illicitam fuisse divitiarum congerendarum curam. Sed imposterùm, modò hac vice strenuos vos præbueritis, cum æternæ beatitatis mercede, temporalium etiam bonorum præmia abunda vos manent. Nam & castra opimis spoliis exuberantia in prædam cedent: Et valvæ, qvibus rasæ cohortis sedes tanta solicitudine servatæ hactenùs, ac in hunc usqve diem intactiles præclusæ, unico felici ictu reserabuntur. Qvas ubi irruperimus, ob labores & pericula, meo auspicio exantlata, ita vos remunerabo: Ut operæ huic bello impensæ vos pœnitere neutiqvam debeat, sed, opibus & fortunis luculenter aucti, secundùm DEUM, mihi gratias sitis habituri.

Ultra hanc erga Duces exhortationem, Rex copias qvoqve circumvectus, eqvitemq; pariter ac peditem humaniter & exporrectâ fronte compellans, ad prælium animabat: Ipsemet, qvomodo erga hostem se gerendum esset, qvanqvàm bellicâ experientiâ subactos, nec præceptorum indigos, ex abundanti tamẽ instruens; & eqvitibus imprimis, qvi pars eqvis gracilibus, nec adeò robustis vehebantur, præcipiens. Sicubi cum cæsarianis cataphractis, gravi ingentium caballorum mole superbientibus, manus ipsis conferendæ forent, nec latera, armis præmunita, ferro recludere statim daretur, eqvos saltem suffoderent, enseq; tortu qvodam obliqvato, os vulneris in grandem hiatum dilatarent: Ita eqvum doloris vehementiâ facilè collapsurum; & sessorem ipsum eqvi, armorumve mole oppressum iri.

33. Tillius, qvi eo ipso die, qvo Lipsia imperata fecit, de Regis & Electoris conjunctione, adventuq; cognoverat, hæsitabat, & animi dubius erat: Num extrema tentaret, &, in aciem prodeundo, volubili fortunæ rerum summam in manus consignaret? Nec immeritò. Versabatur enim in hostico; locis opportunis, qvibus se, ab hostium insultu tutus, continere poterat, potitus: Nec ulla, qvæ invitũ in certamen detruderet, necessitas suberat, aut annonæ, similiumq; penuria. Qvin potiùs in hostem sors ista recasura, nec Elector Saxoniæ, si Tillius bellum traheret, sustentando numeroso militi, qvem adducebat adversùm, in longum par futurus videbatur. Ad hæc generalis vigiliarum Præfectus, Aldringerus, cum copiis non temnendis propè aberat; cujus adventum præstolandum, cautiores arbitrabantur: Ut, siqvidem confligendum foret, viribus auctis tutiùs, & certiori victoriæ spe id fieret. His rationibus motus Tillius tres tormentorum thoros exstrui, & castra ad Lipsiam vallo subitario incingi, imperaverat: Qvod postero

Tillii, de prælio ineundo, consultatio.

ſtero mane jam in eo penè ſtatu fuit, ut adverſùs hoſtilem aggreſſuram defendi poſſet. Primus ergò hic animi motus ad bellum potiùs ducendum, qvam periclitandam aciei aleam inclinare viſus.

Sed Campiductoris Pappenhemii, & aliorum primorum Exercitus Ducum faſtuoſa imaginatio, invictæ hactenùs veteranorum ſuorum, qvos Germanicæ militiæ florem eſſe noverant, dexteræ fidens, nec rata, ſimplicem ac primâ ſpecie contemtibilem Svecorum manum, & muſteos Electoris Saxoniæ delectus pares ullatenùs iis fore, nedum palmam extorturos, de compoſito hoc mentis ſtatu Tillium dejecit. Fallor; an ipſi qvoq; Tillio fortuna, cui nimiùm forſan fidebat, nunc demùm occipitium obvertens, illuſerit? An divina potiùs Providentia, Domus Auſtriacæ & ſociorum ſuperbiam valido ictu concutere deſtinans, cauti aliàs ſenis, ſeu oculis, ſeu menti caliginem offuderit? Ut incerta pro certis, ancipitia pro tutis ſeligens, opportunitate loci, qvo ſtabat, relictâ, in apertam exire planitiem, & rem in caſum dare, decerneret.

Tillii ad Exercitū oratio. Septimo ergò Iduum Septembris, irrubeſcente aurorâ, ſolis prænunciâ, ſigno tormentorum aliqvot ictibus dato, extra caſtra cum Exercitu procedens, aciei inſtruendæ aliqvamdiu vacabat, &, ad horæ dimidium ſubſiſtens, ordines circumibat: Eosdem circumqvâq; viſitando, & his, aut ſimilibus verbis ad ſtrenuè pugnandum adhortando. *Apparuit tandem, cariſſimi filii mei, tanta inſtantia, tanto ambitu quæſita, tot votis exoptata, tanto animorum pruritu deſiderata dies: Qva hoſtis, latibulis ſuis hactenùs deliteſcens, in lucem & apertum tandem campum prodire auſus eſt. Jam non alto flumine præcingitur: Qvalis in citeriori Pomerania Panis; ponè qvem ſe abdiderat, dum vos neoBrandenburgum audacter oppugnatum & expugnatum iretis. Non vallo jam protegitur: Qvo Svetæ & Werbenæ à veſtro impetu ſe tutabatur. Nec furtim inopinantes opprimet: Qvomodò ad pagum Angrem noſtrorum nonnullis obrepſit; ingentem ob id victoriam, qvaſi virtute ſua partam, ſibi imaginatus. Sed adverſùs accinctos jam, & pranſos-paratos in planitiem hanc deſcendit: Ubi æqvo marte dimicandum, & dextera, nullo vallo aut flumine ſepta, nullâ inſidiarum opportunitate adjuta, ſed ſolo robore ſuo freta, invictæ veſtræ dexteræ ipſi conſerenda veniet. Huc ut eum eliciarem, tot labores exantlavi, tot ſtruxi machinas, nullive induſtriæ aut artificio peperci: Ipſum tandem Saxonem, hæreticorum in Germania caput, armis aggreſſus; qvò verſutum hunc Regem è munitionibus ſuis in apertum campum protraherem. Feci jam, qvod mei muneris, illumq; ſiſto; de vento qvoqve ut aſpiret, deve loci altiuſculi commoditate, unde è declivi in hoſtem eò expeditiùs decurratis, proſpecturus vobis ſum: Reliqvum virtuti & ſtrenuitati veſtræ committo. Iam tempus eſt, ut memores ſitis, ingentium diſcriminum, qvæ ſæpiùs imperterritâ animorum magnitudine perrupiſtis; acerrimorum præliorum, in qvibus invicto veſtro robore exſtitiſtis ſuperiores; illuſtrium victoriarum, qvas à rebellibus Bohemis ad Pragam, Marchione Badenſi, Mansfeldio, Duce Brunwicenſi, & altero illo ad ſeptentrionem, Danorum nimirum, Rege reportâſtis. Nunc deniqve, deniqve de fide noſtra catholica agitur; cujus curſum præpedire, & ſufflaminare hæreticorum hæc colluvies contendit. De cæſareæ qvoqve Majeſtatis honore, autoritate, dignitate impræſentiarum agitur. Præſtate igitur vos piè religioſos ſimul & Cæſari devotos milites: Vibrate fortiter pro Religione & Cæſare veſtro arma, iraq; veſtræ aculeos. Efficite hac acie, ut Cæſar Dominus Germaniæ clueat: Ita viciſſim in ſubactis hæreticorum terris vos, univerſos ſingulos, divites & Dominos reddet. Reperietis ab uno latere adverſùs vos ſtantem Electoris Saxoniæ militem: Specie, ut fertur, egregium; armis coruſcantibus, & aciem oculorum perſtringentibus, inſtructum; elegantibus vexillis ſigniſve, & unicolore veſtium ornatu ſuperbum. Sed mementote, noviter eſſe conſcriptum, nec unqvam interfuiſſe, ubi ferro decernitur; adeoqve aſperi & cruenti hujus ludi inſolentem. Ingruite tantummodò alacriter, nec parcite dexteris: Videbitis cum admiratione ſimul & voluptate; qvomodò leves paleæ à pon-*

à ponderosis granis hinc inde dissilient. Ab altero latere miseri, seminudi, & famelici Sveci occurrent: Qvi animam, qvam à longinqvo & properato itinere vixdum receperunt, ægrè trahunt; qvorum eqves strigosis & exiguis adeò eqvis vehitur, ut calones vestri firmioribus penè jumentis insideant. Modò igitur incurratis illos acriter, & imparibus totâ mole incumbatis, certus sum: Eqvos, cum sessoribus primo impetu ad terram afflictos, à caballis vestris obtritum iri. Si vel minimum vobis diffiderem, aut hostis vires alicujus hili æstimarem, ad Lipsiam, loci & castrorum opportunitate tutus, consistere, & certamine hoc omninò supercedere, aut certè, donec Aldringerus, cum copiis, qvæ jam in proximo, adventaret, protollere id poteram. Sed injuriam vobis facerem, si invictam vestram virtutem includerem vallo; in ligone plus, ac armis & dexteris vestris ponens fiduciæ: Aut si alios admitterem in partem gloriæ, prædave, qvæ vos manent. Vos etenim, qvi Magdeburgo, vetusto hæreticorum nido, exitio fuistis, hæreticum hunc qvoqve Regem & Electorem, Lutheranismum, ne penitùs occidat, unicè suffulcientes, pessum dare par est. Agite ergò, carissimi filii, audeamus: Audaces fortuna juvat. Hæretici, ut Patres nostri observatum iverunt, nos Catholicos nunqvam hactenùs apertâ & plena acie profligârunt: Indubiâ hinc igitur spe alor, istunc qvi gradum adversùs infert, hæreticorum cœtum, utut satis fidenter se gerat, sanctissima DEI genitrice auxiliante, similiter terga nobis obversurum.

Tillii acies. In hunc modum universus cæsareus Exercitus, instructis ordinibus, pedetentim per pagos, Lindenthalam, minusq; & majus Wideritschium, Breitenfeldam versùs movens, regiis & electoralibus armis, ad integrũ milliare à Lipsia, in apertam planitiem obviam se ferebat. Ubi Tillius, ut senex & versutus satis miles, de vento, qvi ab occidente flabat, ut suis maximam partem secundus atq; à tergo esset, solicitè sibi prospiciens, post clivum, qvem tormentis occupârat, aciem stitit: Adversariam partem, copias admoventem, in hoc statu præstolaturus.

Licet autem aliàs in prælium, nisi acie subsidiis firmatâ, progredi haud moris sit; ut, si prima acies, ab hoste loco pulsa, se recipiat, altera in pugnam succedat, primæ recolligendi se & gradum iterùm firmandi spatium datura: Tillius tamen, hoc neglecto, & insuper habito, non nisi simplicem aciem struxerat: Qvod forsan hostem adeò parvi penderet; ut primo impetu omninò pellere, & in fugam conjicere, animum induceret. Universum ejus peditatum, in qvatuor ingentes phalanges, more Hispanico, distributum, eqvites pleriq;, duabus velut alis, ab utroq; latere cingebant: Constabat verò Exercitus septendecim eqvitum, & totidem peditum Legionibus. Eqvitum Legiones hæ memorantur: Renconica, Merodica, Saxonica recentior, Baumgartneriana, Piccolominæa, Strozziana, Montecuculica, Colloredica, Erwittica, Harancurtiana, Bernsteniana, Schönburgica, Cronbergica, vetustior Saxonica, Wingerskiana; tum duæ Croatarum, Saradetzkio & Forgatschio Ducibus, ac una draconum. Peditum Legiones erant: Holsatica, Chiesica, Gallassiana, Saxonica, Furstenbergica, Balderonica, Diterichsteniana, Tilliana, Corniniana, Geysiaca, Savellica, Blancardica, Pappenhemiana, Reinackeriana, Comargica, Waliana & Wangeleriana. Dextro cornui Fürstenbergius Comes, sinistro Pappenhemius moderabatur: In meditullio aciei ipse Tillius aderat, & ut devotus, tantumq; non superstitiosè religiosus pontificiæ doctrinæ, de cujus incremento hoc certamine cernebatur, assertor, *Iesus Maria*, tesseram militarem dederat.

A nonnullis haud postremæ notæ Ductoribus, qvi id temporis sub Cæsare stipendia merebant, relatum est: Tillium, anteà adeò ferocem, ut, locorum opportunitate, qvâ tectus periculosam hanc aleam subterfugere potuerat, sponte excedens, in prælium rueret, hoste, qvi, fiduciæ plenus, gradum rectâ in eum ferebat, conspecto, expalluisse, obriguisse, &, velut animi captum, nec auribus satis competiisse, nec lingvâ. Ita ut Campiductor Pappenhemius, aliive primores Duces, circa ipsum versantes, & signũ pugnæ jussaq; ejus exspectantes, ne verbulum qvidem, nedum, qvod

ad rem

ad rem præsentem faceret, qvicqvam exprimere ab attonito potuerint: Atq; exinde ipsosmet eventum prælii minùs secundum, & cladem imminentem sibi auguratos.

Rex & Elector rivum angusto tramite trajiciunt.

34. Regi & Electori, anteqvàm porrectam justâ latitudine frontem hosti, ad prælium jam accincto, obverterent, Exercitus longâ serie, & filatim, ut militari termino loqvimur, rivum qvendam traducendi necessitas erat; illi ad Podelwitzam, huic ad Ztolcham, pagos: Qvo antemeridianum tempus maximam partem insumtum. Prima qvoq; Exercitus statio ultra rivum adeò arcta reperta, ut, ob loci angustiam, peditatus ordines conduplicari oportuerit: Tantùm abest, ut tormenta suo modo collocare, & eqvitum, peditumq; phalangibus per debita intervalla, qvo altera alteri in prælio commodè succederet, dispositis, dilatare aciem justâ, ac debitâ ratione licuerit. Unde rerum bellicarum periti judicârunt: Si Tillius Regi toto incubuisset impetu, anteqvàm omni traducto Exercitu explicata patescebat acies, plus incomposito adhuc illaturum fuisse damni; qvam ex possessione clivi insessi, sed paulò post ultrò deserti, senserit commodi & utilitatis. Verumenimverò Tillius, seu qvod à clivo descendere nollet, seu qvod hostem, sepositis ejusmodi stratagematibus, aperto & ingenuo marte vincere decrevisset, satis spatii, qvo Exercitus traductus in aciem iterùm expanderetur, Regi dedit, immotusq; in positura, qvàm ceperat, stetit.

Regis acies.

Duplex ab hac parte in una fronte erat velut acies, suo qvælibet modo structa & instructa: Regiorum à dextris, electoralium à sinistris. Rex suos in duos ordines seu acies, primam & secundam, & qvamlibet harum in corpus, qvod peditatu, binaq; cornua, qvæ eqvitatu potissimùm constabant, iterùm distinxerat. Prima acies dextri, ut dignitate præcipui cornu, Svecis & Finnonicis eqvitibus suo jure data: Nimirùm, OstroGothis, Smalandis, VisoGothis, & duabus Finnonum Legionibus. Post hos Rhingravii eqves in subsidiis conspiciebatur. In secunda acie dextri cornu stabant Livoni, Curlandi, tum Damitzii & Sperreuterii, Tribunorum, Legiones. Ab hoc cornu Rex ipsemet prælium committere decreverat: Qvia tamen summi Imperatoris munus uni loco astringi haud patiebatur, optionem sibi asciverat Johannem Bannerium; qvi huic cornu secundùm ipsum præesset, &, si Regem forsan aliorsùm avocaret necessitas, individuus Dux adhæreret.

Sinistri cornu primam aciem conficiebant, duæ Campiductoris Hornii alæ, unà cum Calmbacchii & Baudisii eqvitibus: Secundam verò Hallii & Corvillii Legiones. Et hoc qvidem cornu, qvod, si electoralem militem, magis adhuc ad lævam tendentem, respiceres, medio, adeòq; honorificentissimo totius aciei loco stabat, Rex dicto Campiductori suo, Hornio, regendum concrediderat.

Interordinia, ubi eqvitum Legiones certo spatio inter se discretæ, Rex non contemnendâ sclopetariorum manu impleverat: Superiùs memorati Johannis Bannerii Legione peditum, qvæ, è meris sclopetariis constans, nondum sub signis erat, in certos globos distributâ, ad hanc rem usus; & prætereà certum sclopetariorum numerum, Legionibus peditum, qvæ viribus maximè pollebant, subtractum, eqvitatui intermiscens.

In corpore aciei, qvò peditum phalanges, seu ad sustinendam, seu inferendam impressionem validiores redderentur, plures sæpè Legiones in unam phalangem constipatæ cernebâtur; primaq; acies in qvatuor phalanges distincta incedebat. Priori phalangi meræ Svecicæ Achatius Oxenstirna, alteri flavæ, seu prætoriæ Regis Legioni Maximilianus Teuffelius, uterq; Baro, ille Svecus, vir moribus & viribus antiqvis, ferocis Dalecarlorum Gentis eo tempore Tribunus, hic ab Austria, Cæsaris injuriâ exul, moderabantur. Tertia è Svecis & Germanis compacta erat, Duce Erico Handio, Sveco. Hujus sinistrum latus cingebat vetustior cærulea Legio, sub Winckelio Tribuno. Post primam hanc aciem in subsidiis stabant, Regis Legio eqvitum prætoria, Uslario Tribuno parens, & tria valida sclopetariorum agmina, Ramsajo, Hamiltonio, & Monrojo,

rojo, Scotis Tribunis, Ductoribus. In secunda acie reperiebantur tres phalanges, sub Comitis Turnii, Hebronii & Vitzfumii, Tribunorum imperio. Cochtitzkius Baro & Schaffmannus Tribunus eqvitibus suis ultimam claudebant aciem.

Præter grandiora tormenta, qvæ Exercitus frontem more solito præcessêre, cuilibet phalangi legionarias qvasdam exiguæ molis machinas, ad sui defensionem, Rex attribuerat: Qvæ ab uno eqvo, vel etiam, in casu necessitatis, duobus tribusve viris tractæ, insigni agilitate hinc inde versabantur.

Electoris Saxoniæ acies. Electoris Saxoniæ acies, qvam Campiductor Arnhemius, Rege tamen, cui in charta delineatam ostendit, comprobante, struxerat, corpus itidem suum habebat, pedite, & alas seu cornua, eqvitibus constantia. Sex autem in ea eqvitum, & totidem peditum Legiones. Eqvitum qvidem primò omnium Legio prætoria, Duce Theodorico Taubio, SubTribuno: Tum Gulielmi, Ducis Saxoniæ, stirpis Altenburgensis, Arnhemii Campiductoris, generalis vigiliarum Præfecti, Bindauffi, Steinovii Tribuni, & provincialium eqvitum. Totidem qvoq; recensebantur peditum Legiones: Nimirùm prætoria, conflata è sex vexillis, qvæ libera vocant, nulli certo Tribuno parentia, porro Arnhemii, Svalbacchii generalis rei tormentariæ Præfecti, Löferi, Clitzingii, & Starschedelii, Tribunorum.

Tessera militaris à Rege hac parte dabatur, DEUS NOBISCUM.

Exercitus utrinq; tormentis se salutât. 35. Acie in hunc modum utrinq; instructâ, Tillius Regios, qvos jam sub tormenti jactum venisse arbitrabatur, tribus ictibus, sed frustraneis & aërem ferientibus, salutatum iit: Cui Rex duabus dimidiatis machinis respondit. Primoq; statim globo Baumgartnerus Tribunus discerptus, neq; læti à Cæsarianis augurii loco habitum: In hoc velut certaminis præludio Tribunum statim cecidisse, ac præcedaneæ instar hostiæ imbuisse conflictum. Nec Tillius, principio jam facto, tormentis suis post hæc feriari: Ex altiusculo loco in Regios, sine ulla intermissione, detonans Parcior initio his fulminibus Rex esse: Donec tormenta certiori & destinato magis ictu displodi possent, acie unà cum tormentis, eà, ut ne ordines ullâ sui parte laxarentur, temperie, sensim magis magisq; promotâ, hosti paulatim succedens. Qvandò circa secundam pomeridianam totâ deniq; vi manus conseri cœptæ.

Primus conflictus dextri Regiorum, & sinistri hostium cornu. Tillius, ut diximus, de vento suis prospexerat, illumq; penè propitium à tergo habebat, non armis tantùm & viris sed, inito velut cum aura fœdere, pulvere insuper fumoq; in hostem pugnaturus: Qvapropter Regi, versus sinistram, qvantum pote, circumagere aciem visum; qvò ventum cum hoste partiretur. Suboluerat id Tillio, vetulo & versuto militi; nec, commoditatem hanc sibi eripi, æqvo animo pati poterat: Qvin potiùs promotâ à sinistris ad dextram acie, ventum omninò lucrari, & pago, qvi à Regiorum latere dextro situs erat, incenso, fumum in eos propellere laborabat. Hinc sinistrum ejus cornu, & Holsatica peditum Legio ab aciei corpore divulsa est, longèq; citiùs ab hac parte, ac alibi, certamen incaluit. Qvod etiam cæsareus eqvitatus, ablectos in prima acie pedites inter eqvitum agmina conspicatus, eorum occursum, & lethiferos longiorum siphonũ ictus reformidaret, eò accidit, circuitu facto hinc deflectentem ad manus venire, cum subsidiaria Rhingravii Legione, & secundâ acie dextri cornu.

Ubi hostes in fugam conjecti. Cum qvibus Johannes Bannerius in hostem tanto animi ardore invectus, novisq; à Rege missis subinde ex prima acie subsidiis, adeò in tempore, qvod rerum omnium, & vel maximè militiæ primum, firmatus fuit: Ut sinistrum hoc hostium cornu, percúlsum, in fugam facilè compulerit; anteqvàm aliâ parte pugna ferè intenderetur.

Holsaticus autem pedes, qvem unà cum hoc cornu à reliqvo Exercitu impetus abripuerat, qvanqvàm trepidis rebus, arma ordinesq; retinebat; statu, qvem cœperat, ægerrimè emoveri se passus, regiisq; eqvitibus, aliqvoties eam aggressis, aliqvoties cum clade repulsis: Qvoad à delectis sclopetariis & eqvitatu undiq; circumveniretur.

retur. Qvando mistus pedes, eqvesq; rupêre tandem obstinatæ Legionis agmen: Eâq; ad internecionem cæsâ, qvem militum qvisq; locum vivus pede presserat, moriens etiam ferè texit.

Alter conflict⁹, qvo Saxonici ab hoste pulsi.

Dum Rex adversùs sinistrum Cæsarianorum cornu hac ratione satageret, & penissimè jam cum hoste illîc esset actum, universum cæsarei peditatus robur, unâ cum eqvite à dextris & sinistris collocato, descendens clivo, frontem ita circumegerat: Ut, Regiis præteritis, in Electoris Saxoniæ aciem totâ penè mole procumberet. Si qvid tamen horum in sinistrum Regiorum cornu impegerat, haud magno negotio ab iis impulsum & dissipatum, fugæ se dedit. E contrario Saxonici qvoq;, peditatus præcipuè ac provincialis eqves, sustinendo tanto oneri, qvod ingruebat, impares, ordinibus disjectis, armisq; abjectis, maximam partem campo cessêre. Qvæ autem Tillio mens hac in re fuerit? Et num fortè, Saxonicos, ut noviter conscriptum militem, facilius acie pulsum iri arbitratus, Regiis eorum strage metum incutere, metuq; incusso, tum animis, tum ordinibus fluctuantes eò minori mole & ipsos qvoq; fundere intenderit? An mortiferus imber, qvi è regiis tormentis, dexterrimè usurpatis, largiter depluebat, à Regiis in Saxonicos hostem averterit? curiosè anqvirere, nostri parum interest. Hostis certè, successu hoc elatus, omnimodam sibi victoriam jam imaginabatur: Persevqvendis Saxonicis plus justo, ordinibus aliqvantulùm laxatis & confusis, indulgens, eorumq; reliqvias, qvotqvot in statu adhuc stabant, circuitos penitùs pessum dare parans.

In hoc rerum turbine Elector ipsemet trepido & celeri gradu Eulenbergam se receperat: Arnhemius verò ad Regem recurrit, attonitus, & consilii opisve indigus.

Tertius inter Regios, subsidio venientes, & hostem acerrimus conflictus.

Regis itaq; mandatu, sinistrum ejus cornu, & duæ peditum phalanges è secunda acie, Hebronii, nimirum, & Vitztumii, Cæsarianorum stituri furorem, in Saxonicos debacchantem, frontem ad sinistram vertêre; Et sinistrum qvidem eqvitum cornu latus hostium invadens, dictæ verò phalanges frontem adversæ fronti impingentes, arripuêre vacui cum reliqviis Saxonicorum adhuc occupatos, integri fessos, compositi in cædem prædamq;, ordinibus penè solutis, effusos.

Qvo facto, eqvitatu licet cæsareo fugâ statim dilapso, peditatus tamen acerrimè prælium sumsit: Hostilem impetum in statu suo diu sustinens; & regiis eqvitibus, qvi ferociter ingruebant, pari ferociâ non semel rejectis. Adeò ut in atroci & cruento hoc certamine pleriq; penè Ducum, qvotqvot alicujus notæ inter Regios totâ acie ceciderunt, occubuerint: Interq; alios Teuffelius Baro, qvi generalis vigiliarum Præfecti vices hac acie functus, prædictas duas peditum phalanges, Regis jussu, in hostem duxerat.

Regiorũ victoria.

Demùm ubi Campiductor Hornius, cum eqvite & ablecto sclopetario sinistri cornu, cui è dextro Rex VisoGothos subsidio miserat, binæq;, suprà memoratæ, peditum phalanges, redintegratâ vi undiq; versùm incubuêre, legionariis qvoq; machinis, qvæ ab omni parte convehebantur, densum hostium agmen lacerantibus, ordines eorum fatiscere primùm cœperunt, mox dissolvi, & in apertam fugam proruere: Rege interim ad silvulam, in clivo sitam, progresso, &, qvicqvid illîc, in armis occurrens, victoriam adhuc morari videbatur, dissipante.

E regio autem Exercitu præcipuum peditatus robur, tota, scilicet, prima acies, qvatuor phalangibus constans, & tertia secundæ aciei phalanx, ociosæ penè in hoc prælio stetêre; spectatrices ejusdem & velut arbitræ.

Regii fugientium terga cædunt.

Post insignem istam victoriam, atroci qvinq; horarum certamine Regi partam, eqvitatus regius fugientium, &, impedimentis propriorum Ducum direptis, rimas elabendi, qvà qvisq; commodissimè poterat, qværentium vestigia acriter pressit, tergaq;, tardioribus qvibusq; vitâ mulctatis, cæcîdit: Manubiis opimis exinde auctus. Qvanqvam ingruens obscurum noctis, fugientibus obtentui, perseqventibus obstaculo, non paucos texerit, & exitio præsenti subtraxerit, qvos dira aliàs fata à Regiorum ferro manebant.

Certiorem qvoq; Rex de successu continuò fecerat Saxoniæ Electorem; Eulenbergæ, qvò suorum fuga eum

eum abripuerat, totum mœrori immersum, & è Regis sermone, ante prælium habito, nil boni sibi ominantem: Totâ nocte, cum victore Exercitu, ca[illegible] qvo hostem depulerat, sub dio, in acie & armis consumtâ.

Tillius penissimè captus.

Qvicqvid à Cæsarianis Lipsiæ haud intromissum, Mersburgum, Halã Saxonũ, & ulteriùs, timore alas fugientibus addente, raptim properabat. Ipsummet Tilliũ Fritzius, sub Rhingraviana Legione eqvitum Magister, qvẽ à corporis proceritate longũ appellitabât, eminùs agnoverat, agnitũ insecutus & assecutus: Oblatamq; vitæ gratiã respuentis caput ac dorsũ breviori sclopetulo probè commitigârat. Et captivitas certa, aut mors indubia ab homine, ætate integro, viribus prævalido langvidũ senem mansisset: Ni Rudolphi Maximiliani, Saxoniæ inferioris Ducis, interventus jam penè defecto dedisset effugium. Is enim à latere advolans, Fritzii, in unum Tillium intenti, caput, sclopetulo propè admoto, transverberavit: Ita ut globus, alteri auriculæ immissus, per oppositã erumperet. Et hac ille qvidem ratione Halam Saxonum evasit. Fertur autẽ, præter hæc verbera, tres corpore excepisse sclopetorum ictus; qvi tamen haud penetraverint, sed cutim tantùm sugillârint: Unde chyrurgus, Halæ Saxonũ eâ ipsâ nocte, qvâ è prælio profugus illò pervenerat, ad vibices has incidẽdum, & obligandum adhibitus, fascino adversùs vulnera duratũ judicavit.

Halâ Saxonum, festinato itinere Halberstadium se recepit: Qvindecim modò peditum signis comitatus; qvæ tamen ultra sexcenta capita haud seqvebantur. Ipsa in via autem Pappenhemius, cum qvadraginta eqvitum alis, raptim recollectis, nec ipsis qvoq; mille qvadringentorum eqvitum numerum superantibus, illi se junxerat.

Omen, qvod longiusculè aciè præcessit.

36. Ita augurium, qvod in comœdia, à clero Pontificio Hildesii pridem exhibitâ, acciderat, haud vanum fuisse, eventus docuit. In ea comœdia Regem Sveciæ & Tillium introduxerant, pugnam conserturos; eo tamen exitu, ut Rex à Tillio superaretur: Sed contrarium planè forte fortunâ evenit. Dum enim personatus Tillius fictitium Regem, qvod, contemtâ Cæsaris Majestate, Romani Imperii fines temerario irrupisset ausu, acriter increpat, & dextram armis jam admovet, alter agilior manuq; promtior, sclopeto rectâ in faciem disploso, terrore ita eum perculisse scribitur, ut eqvo defluxerit. Qvi insolens & fortuitus casus, pro præjudicio acceptus, plurimorũ animis jam tum solicitudinem, aut spem, prout qvisq; huc vel illuc inclinabat, injecit: Pro omine infelicis successus, infortuniiq;, qvod à Rege Sveciæ Tillio immineret, habitus.

Clades utrinqve accepta.

Cæsa hac acie Cæsarianorum sex millia sexcenti: Qvi passim campũ texêre, ut mox eosdem, victorũ jussu recensos, campus texit. Aliqvammulti etiam è Saxonicis desiderati: Regiorũ pauciores, & hi maxima pars eqvites; peditibus plerisq;, ut diximus, otiosè astantibus, & conflictus velut arbitris. Clades autem, qvantulacunq; tandẽ, adeò non afflixit Regios, ut potiùs, captivorũ, qvi in stipendiâ Regis promtè transibant, accessione, aliqvot millibus auctior, iter inierit Exercitus. Peditum enim, qvorum ultra tredecim millia Albim ad Witebergam non traduxerat Rex, pauculis post diebus, lustratione Halæ Saxonum institutâ, ad millia duodeviginti reperta.

È primoribus Cæsarianorum periẽrũt bini generales, alter rei tormentariæ, vigiliarũ Præfectus alter, ille, Otto Fridericus, Baro de Schönburg, hic Theodoricus Otmarus Ervitte, Baumgartnerus porrò Tribunus, Baro de Grotta sub Tribunus, alii. Adolphus, Holsatiæ Dux, lethali vulnere saucius & captus, Eulenbergã deferebatur: Ubi paulò post vitã cũ morte commutavit.

Nec Regii immunes à clade: E Ducũ numero, Barone Teuffelio, Calmbacchio & Hallio, Tribunis, Adercatzio & Damitzio, sub Tribunis, pluribusq; inferiorum Ductorum, præter gregarios, amissis. Corvillius Tribunus, levi vulnere frontẽ perstrictus, & cruore, è vulnere oculos inundante, occœcatus, medios in hostes delapsus vix sensit, vincentiumq; pars à victis captivus abductus est. Electoraliũ, inter alios Duces, Bindauffius, generalis vigiliarum Præfectus, mortẽ oppetiit.

Tormenta & trophæa Regiis parta.

Rex Sveciæ universis Tillii tormentis potiebatur, qvæ viginti septem numero reperta: Eorumq; un-

decim semimuralia fuêre, unum qvadrantale, qvatuor sedecim, tres octo ferri pondo vomentes; reliqva minuscula, & ad lapidum nimbum in hostem perpluendum apta. Præferebant autem pars Cæsaris, pars Comitis Palatini & Brandenburgici Electorum, pars Bavariæ, Brunswicensis, & Fridlandiæ Ducum, ipsiusq; Urbis Brunswigæ insignia. Duo magnæ molis vehicula, vehendis tormentis accommoda, pariter in Regis potestatem veniebant, & sex currus tormentariis globis, alii qvindecim pulvere nitrato, funiculis, ac plumbeis sclopetorum glandibus, deniq; tres, ligonibus, palis, atq; id genus bellicis instrumentis onusti. Supra centum eqvitum, peditumve vexilla & signa eidem à milite præsentata: Cui hostium insuper impedimenta, qvæ fugitans hostilis eqvitatus ipsemet nondum diripuerat, & occisorum corporum spolia in prædam cessêre. Nec illa exigua erat: Cũ nullus è victo Exercitu ejus fuisse inopiæ existimaretur, qvin ad minimum decem ducatos, seu solidos Ungaricos in ære haberet.

Auguria, qvæ propiùs aciei prolusêre. Paulò antè, qvàm concurreretur, candida columba in vexillo qvodam Saxonicorum consedit; inde mox evolans, & remigio suo universam aciem placidè circumvecta: Id qvod à fugaci atq; naturâ meticuloso ànimalculo, in hoc tumultu & armorum strepitu, insolens visum, proq; secundi eventus auspicio à milite arreptum. Nox, qvæ conjunctionem Regii & Saxonici Exercitus præcessit, Regi Sveciæ Dibenæ turbidam, sed læto exitu qvietem tulit: Tillium namq; colluctari secum, neve ad terram affligeretur, vehementer obluctantem morsu demùm sinistrum brachium perstringere; se verò, qvod effœtarum virium senex adeò pertinaciter resisteret, irâ incensum, capillitio eum arripere, &, humo afflictum, pedibus conculcare, per somnium videbat. Qvod somnium conjecturam suam illicò post se traxit: Qvippe cum & morsus, prælio depugnato, significationem suam haud difficulter repererit; cladem, qvam Saxonici, ad sinistram tendentes, perpessi fuerant, præsagiens. Tillius sub ortum diei, qvo prælium commissum, ad cœmiterium Lipsiense in vespillonis domuncula & cubiculo, feretris atq; sandapilis undiq; perpicto, Senatum militarem habuerat: Inde primores Ducum, dum oculis in parietes conjectis nil nisi funera obversari vident, & inter eos Campiductorem Pappenhemium, de cætero fortuitorum horum contemtorem, nescio qvis horror invasit; pro diro ac funesto omine id interpretantes. A diversis observatũ: Eo ipso die, qvo alea hæc Cæsarianis adeò infeliciter cecidit, Paswalcensi lanienæ annò principium fuisse datum; adeoq; divinam vindictam ob nefanda tunc temporis perpetrata facinora, nunc, redeunte in circulum sole, evidenter se exseruisse.

Et hoc est illustre illud, ac notatu dignum prælium; in qvo Tillius, antehac ***nunqvam altius ingredi aqvã, ac fundum conspicari posset***, gloriari solitus, etiam aliqvandò impingens titubavit, Cæsarq; cum complicibus, pontificii fœderis sociis, concussus est fatali ac gravi ictu: Qvi consilia ejus è solido, qvod jecerat, fundamento solicitans, Protestantibus econtrà se ac suos è prædura, qva ad hunc usq; diem pressi fuerant, animorũ, corporumq; servitute asserendi dedit ansam.

Fuit autem mensis hic September, non ad Lipsiam modò, sed alibi qvoq; Domui Austriacæ fatalis ac infaustus: Siqvidem pauculos dies antè, qvàm terrâ illìc decerneretur, Hispanus à liberis Belgii Ordinibus mari adeò malè mulctatus est; ut bis qvasi mille milites, qvi morti occubuerant, perditum ierit, & ad qvater mille captivos, ducenta circiter tormenta, nec non bellicorum instrumentorum, aliorumve divitum spoliorum copiam ingentem hosti reliqverit. September hic mẽsis Domui Austriacæ infaustus.

37. Sed, ut revertamur ad historiam nostrã, Rex Sveciæ, sexto Iduũ Septembris, qvi à parta victoria alter, Lipsiam, ubi, sub Wangeleri imperio, ad mille, ut retulimus, milites in præsidio erant, qvibus aliqvammulti, è prælio refugi, se junxerant, cum Exercitu perrexit: Deditione Urbi simul & Pleissenburgi castro imperatâ. Deliberandi autem spatium postulante Wan- Rex, victoriâ us⁹, Mersburgum occupat,

Wangelero, noluit obsidendis his diu immorari, sed Saxoniæ Electori, qvi cũ copiis, qvantascunq; inter has temporis angustias recolligere dabatur, Eulenbergâ ad eum redierat, ut abnuentes imperata facere compelleret, committens, ipse, rerum cursum secutus, Mersburgum cum parte eqvitatus properabit. Hic valida hostium manus, è nupera clade elapsa, iterùm coierat: Qvorum supra mille cæsi, ad mille qvingentos autem, in captivitatem redacti, pleriq; postmodũ in ejus stipendia lubentes, volentesq; transierunt.

& Halam Saxonum

Qvinto Iduum Septembris, recuperato Mersburgo, Halam Saxonum itum: Qvæ tertio Iduum Septembris, & Mauritioburgi arx postridiè Regis arbitrio permissa. Cæsarianus miles, qvi hic servârat, Ducibus, summo excubiarũ Præfecto Gratschio, & Centurione Winckelmanno, captivis Electori Saxoniæ transmissis, universus penè nomina regiis signis addixit: Pauci, qvi detrectabant, contra Regem & protestantes Imperii Ordines nunqvàm arma laturos, jusjurandum dare cõpulsi.

Elector Saxoniæ Lipsiam recuperat

Interim Elector Saxoniæ Lipsiense qvoq; obsidium absolverat, & pridiè Iduum Septembris, cum præsidio hostili de Urbe dedenda pacto convenerat. Cujus vi *Duci ac militi præsidiario, tum è Wangeleriana, tum aliis Legionibus delecto, modò pontificiæ esset Religionis, unà cum impedimentis, signis (qvorũ dena coloris rubri) complicatis, & justis armis exire* qvidem *licebat*; *hac tamen lege*: *Ut si qvis illorum Regi, aut Electori Saxoniæ imposterùm stipendia merere mallet, à summo præsidii Præfecto ne in eo præpediretur. Protestantium verò doctrinæ addicti extemplò à Cæsaris in Electoris partes transire jussi*: *Reliqvi, cõtra Regem, Electorem, eorumve socios nunqvam militaturos, sacramẽto adacti. Qvicqvid in Urbe, præter Duces, militesve, præsidio ab initio destinatos, repertum, cujuscunq; tandem condicionis & qvalitatis foret, à conventione exclusum, Electoris arbitrio se dedere, necessum habebat*: Qvorum in numero, Coroninus, & Blancardus, Tribuni, Walmerodius generalis Commissarius, qvatuor subTribuni, cũ nonnullis è pontificio Clero erant; in custodia ex pacto retenti.

Hac ratione electoratus Saxoniæ, Misniaq;, pro tempore, paucorum dierum intervallo, hoste iterum exonerati: Qvam ob causam per universam provinciam supplicationes institutæ, & preces pro felici imposterũ successu ad summum Moderatorem bellorum, & unicum victoriarum largitorem, Deum Opt. Max. solenniter habitæ.

Halæ Civitas Regi fidẽ suam obligat.

Rex verò Seciæ, pauculis diebus, qvibus Halæ Saxonum commorabatur, cũ Civitate omniũ primùm, in tutelam receptâ, certo modo transegit. *Utut* enim, *pro arbitrio suo, Leges Hallensibus præscribere, jure belli, qvo & Urbem & arcem occuparat, licuisset, nolebat tamen stricto jure cum his agere*; *palam professus*: *Modò de fide, subjectione, & obedientia scripto idoneè caverent, non tantùm privilegia, immunitates & jura, qvæ justo titulo possiderent, sarta tecta iis relicturum, sed ab hostili etiam injuria defensurum*. Qvocirca Senatus, curiarũ Tribuni, totaq; Universitas sanctè & sub juramenti fide eò promtius se obstrinxêre: *Regi Seciæ imposterùm contra hostes ejus, & qvemcunqve, qvisqvis tandem esset, obedientes, fideles, morigeros fore*; *ejus commodum promoturos, damnum, qvantũ in se, amolituros*; *multò minùs vel minimum qvippiam, consilio opereve ipso, directò seu per ambages, machinaturos, unde Regi & ejus fœderatis periculum aut præjudicium crearetur*.

Et Magdeburgensis regiminis ministri.

Ejusdem argumenti cautione præstitâ, Magdeburgensis regiminis Consiliarii, Secretarii, scribæ, pristina munia, qvousq; Regi aliud videretur, obire jussi. Ludowicus tamen, Princeps Anhaldinus, ut proRex, & Johannes Stalmannus loco Cancellarii, seu à libellis, iis præpositus: Tribuno autem Sneidwinio suprema præsidiorum his oris cura commissa.

Anhaldini Principes fœdus cum Rege contrahunt.

Post hæc *integra Familia Principum Anhaldinorum*, fœdere cum Rege decimo septimo Calendarum Octobris contracto, *sub regiæ protectionis umbonem se recepit*: *Certum tributum, ad sufferendos belli sumtus, Regi è Principatu suo qvotmensibus pendere assensa*; *&, siqvidem munitionem in territorio ipsorum excitare, Albimve ponte insternere Rex vellet, non modò in liberum ejus arbitrium id conferens, sed & operas subditorum, qvi absqve Regis impensâ, qvicqvid id esset, exstruerent, pollicita*.

Deliberatio Regis cum Electore Saxoniæ, de bello prosequendo.

Elector qvoq; Saxoniæ, post recuperatam Lipsiam, ad Regem Halam Saxonum venerat; deliberatum cum eo: Qvid porrò adversùs hostem tentandum veniret? Et sanè, ad dextram deflectendo, Tillii, qvi per Magdeburgensem Halberstadésemq; diœcesin, nec non Brunswicensem Ducatum aufugerat, vestigia legere, in primo statim consultationis limine displicuit: Ne, sede belli, in Saxoniæ inferioris Circulum translatâ, communis Religionis consortes incommodis, qvæ bello comitari solent, involverentur. Duæ ergò viæ superabant reliqvæ, qvibus hostis invadi poterat: Altera declinabat ad sinistram in hæreditarias, qvas vocant, Cæsaris diciones; ad dexteram, per Thuringiacæ silvæ aspera in Franconiam, & calidum rasæ cohortis nidum, ubi cuticulam tamdiu probè curaverat, rectà ducebat altera. Electori posterior hæc via maximè arridere visa: Adeóq; nihil non agere is, ut Regem ad sinistram Cæsaris hæredio immitteret. Qvanqvam autem opima satis hospitia, &, qvod Cæsar à milite aliove belli apparatu parum esset instructus, exiguo periculo conjuncta, manerent illuc euntem: Rex tamen, Electori hac in re assentiri, minimè consultum duxit. Tillius etenim, cum Exercitus, qvæ Lipsiensem stragem evaserant, reliqviis, Visurgim versùs se receperat: Ubi, Aldringeri Fuggeriq; copiis attractis, validum iterum Exercitum brevi coagmentaturus, &, Rege ab Electore disparato, alterutri, qvi ad dextram tenderet, ut proximo, omnibus viribus dubio procul incubiturus erat. Saxonicos autem, qvi, ut clade nuperâ perculsi, pusillanimes adhuc, &, hoc qvoq; respectu semoto, per se hostico robori pares haud videbantur, ancipiti huic discrimini objicere Rex nolebat. Maximè sub Arnhemio Imperatore: In qvo ad Lipsiam, acie Saxonicorum afflictâ, animi perturbati, nec rebus dubiis satis sui compotis signa haud obscura notaverat; adeóq; non usqveqvaq; idoneum judicabat, cui absoluta rerum in bello summa, adversùs strenuum belli Ducem, cumprimis in acie, committeretur. Namq;, non secùs ac lanistæ infirmioris animi, ubi rudibus batuitur, gladiatoriæ artis præcepta ad ungvem servant, nec nisi ad eorum normam ictus infligunt, & victores sæpiùs evadunt; qvandò autem stricto ferro cum adversario res est, perturbatione confusi, artis obliviscuntur, & plerumq; confodiendos se præbent: Ita hunc qvoq; theoriâ, qvàm praxi armorum meliorem militem, consilio qvàm manu promtiorem. Ulteriùs veniebat Regi in mentem: Silesiæ Principes ac Ordines in Saxoniæ Electorem, qvi, dum post Bohemicos motus Cæsaris obedientiæ colla, ejus interventu, iterum submitterent, de Religione & privilegiis sartis, tectis conservandis fidem illis dederat, singulari respectu ferri; atq; ad eum, simul ut cum Exercitu proximaret, undiq; confluxuros, velut vadem ac sponsorem religiosæ, profanæq; Libertatis. Præpotuit qvoq; in consilio Regis autoritas, & conclusum deniq; est: *Electori in Silesiam eundum, illic firmandum pedem, vires, qvantum pote, dilatandum, & ulteriori armaturæ comparandæ, communi Protestantium bono, operam dandum. Rex verò per Thuringos, rebus istbic omnium primò ordinatis (id qvod bonâ Electoris Saxoniæ, assensum suum præbentis, & iis, qvæ huc facerent, Regi sponte cedentis, veniâ licebat) in Franconiam penetrare, afflictos gementesq; sub onere Religionis socios in superiori Germania relevare, rasamve cohortem in suo sibi nido visere, simul Tillio, si id impeditum acceleraret, denuò frontem obvertere constituit.*

38. Illìc locorum ut viam adventanti sterneret, & in protestantium Imperii Principum, Ordinum, Urbium animis idonea intentioni suæ fundamenta præstrueret, Martinus Chemnitius, à Consiliis aulicis, eqvitum Magistro, Marco Relingio comite, à Rege iter præcipere jussus: Qvi Baireutum primò ad Christianum Marchionem Brandenburgensem, inde Noribergam profecti, ubivis, maximè Noribergæ, hominum animos in Regem, regiasve partes affectu pronos repererunt; nihilq; avidiùs, qvàm adventum ejus præstolantes.

Chemnitius in Franconiam à Rege præmittitur.

Publico tamen nomine Noribergenses in periculi pleno, & planè vitreo negotio, qvo in genere præcipi-

Noribergahic paulò timidi-

tantiâ

or & per- cauta est.

tantiâ & impetu non minùs, ac tarditate peccari solet, considerate admodùm se gerebat, nec adduci poterat; ut de percutiendo cum Rege fœdere promtè assentirentur: Versante ob oculos sacramenti, Cæsari secundùm Imperium præstiti, fide; qvàm ante aliqvot septimanas per chirographum, Aldringero, generali vigiliarum Præfecto, traditum, renovârant, & arctiori nexu connodaverant. Commune qvidem Protestantium onus humeris succollare velle, haud inviti, ab una parte videbantur: Sublestæ tamen fidei incusari, & calumniæ fenestram aperire nolebant ab altera; qvasi nec necessitate adacti, nec ullâ justâ causâ moti, sed solâ levitate impulsi à Cæsare descivissent. Maximè, cum Cæsaris delegatus, D. Poppius, Ambergâ aurem iis indesinenter velleret: Ampla ac magnifica qvæq; de Cæsare promittens, qvinimo chartam puram, Cæsaris manû ac sigillo firmatam, ab illo pollicitus; qvâ cautionem, qvaliscunq; tandem arrideret, & qvicqvid præterea expeterent à Cæsare, consignare ac perscribere ipsismet liceret. Quæ nimia & insolens Cæsaris largitas, gratiæq; velut prodigentia etsi suspecta plerisq;, effectu tamen suo non omninò carebat; sed unà cum aliis remoris non parum sufflaminatum ibat regiæ negotiationis cursum.

Regis minaces ad Noribergenses literæ

Rex ergò ad id, qvod interiori cordis recessu ipsimet ambiebant, vi qvodammodò compelli velle, conspicatus, literas, hostilium minarum plenas ad eos dedit; hoc argumento. *Qvoniam, moram postulatis suis gerere detrectantes, eò inclinare animadverteret, ut, aut in Cæsaris fide sibi permanendum, aut neutri certæ belligerantium parti astipulandum, censerent; ipse autem, Neutralitate omninò explosa, Protestantes, qui hanc præ se ferrent, pro hostibus, provinciasve eorum & Urbes perinde, ac si ab hoste vi & armis evictæ forent, habere, animum induxisset: Ideò ipsos qvoqve, ipsorumve Urbem, nisi ad meliorem mentem redirent, hostiliter tractaturum; ferro, cæde, flammâ illos, illorumve imperio parentes, velut capitales hostes, ad extremum usqve persecuturum; universis ac singulis Urbis civibus, incolis, subditis, horumve bonis, ubicunqve in suis, aut fœderatorum dicionibus & Urbibus nancisci daretur, injecturum manus; illave addicturum fisco, ac cuivis ad prædam expositurum.*

Qvibus acceptis, in Regis partes transeût.

Hæ literæ in ampliori eximiorum civium Senatu, qvi aliqvot centenis capitibus constat, unà cum propositione & postulatis Regis, publicitùs recitatæ, tantum operabantur: Ut tota civium Universitas, seu reverà his minis territa, seu speciosum mutatorum consiliorum nacta prætextum, in Regis partes palàm transierit, & unà cum aliis protestantibus ac Ordinibus Franconici Circuli ejusdem patrocinio paulò post se submiserit.

Relingius Ulmam & Argentoratum proficiscitur,

Relingius, eqvitum Magister, interim, dum Chemnitius, regiorum negotiorum satagens, Noribergæ commorari necessum habet, Ulmam, pari ratione hominum animos ergà Regis adventum præparaturus, perrexerat.

Trucidato, in itinere, Cæsaris qvodam Cômissario.

Qvo feliciter & dextrè satis peracto, discedens, mediâ inter Ulmam & Guntzburgum viâ, nescio qvem Cæsaris Commissarium, qvi ad lustrandam noviter conscriptam cohortem profectus, & primum, qvod lustrationis vocant, menstruum stipendium, illi exsoluturus, decies mille florenis gravis erat, incidit; viginti qvinq; sclopetariis comitatum. Nec mora: His inopinatò statim dissipatis, & æris sarcinâ, & vitâ, sclopeti globo humi prostratum, exuit; Pecuniâ omni Argentoratû secum avectâ. Ubi pariter animos hominum periclitatus, insignem, ut alibi locorum, ita & hic ad regias partes inclinationem reperit.

RexErfordiam progreditur.

39. Sed, ut curriculo ad Regem redeamus, is Electori Saxoniæ & Principi Anhaldino valedicens, decimo qvinto Calendarum Octobris; Halâ Saxonum cum Exercitu discedebat: Per Qverfurtum in Thuringiam promoto rectâ Erfordiam versus gradu.

Erfordensium Legatorum obviam factorum petitus.

Erfordiæ Civitas, Regis itinere explorato, præsidium militare sibi impositum iri, maturè præsentiscens, Legatis adventum ejus occupârat: Qvi Leubingæ, summo mane, jamjam ex hospitio digressuro obvii, redditis fiduciæ literis, sub dio statim auditi. Propositionis autem summa summarum

rum eò redibat. *Regi supplicare Erfordenses: Qvemadmodum ante menses non ita multos, & aliàs diversis vicibus, summi bellorum Duces à proposito imponendi iis præsidii dimoveri se essent passi, ita ipse eo haud secùs absisteret; de cætero omnes & singulos eorum cives, quorum nonnulli pontificius sacris addicti, & subditos provinciales, tum Electoris Moguntini illic exstantia bona, Consiliarios, ministros, unà cum papali Clero, & totam eum in modum universitatem, conterminamve regionem, hoc rerum statu in protectionem receptos, non pro tempore tantùm, Exercitu transeunte, aut finibus eorum inhærente, sed imposterùm qvoque à militum vi ac injuriis tueretur.*

Regis responsum. Qvibus Rex illicò respondit. *Haud libenter præsidio suo illis creaturum molestiam; modò ratio præsentis belli, & hostium status diversum admitterent: Sed eam utriusqve condicionem, ut de Erfordia solidè sibi prospicere, non postulet, sed flagitet. Multis prægnantibus de causis, ne qvidem proximâ sangvinis & vicinitatis necessitudine junctis potuisse hac re parcere; qvod Electoris Brandenburgici & Ducis Pomeraniæ exempla, ipsis dubio procul nota, clarè testatum faciant: Qvorum in electoratu ac dicionibus munitiora atque opportuna transitu loca milite suo firmarit. Nec magis his ea carere potuisse præsidiis, ac qvotidiano victu: Nisi cum maximo, & incolarum, & communis causæ detrimento, hosti velut voluntariè ac consultò iterùm prodi, ejusve lubidini exponi debuerint. Hinc illis facile conjectu: Precibus eorum locum relinqvere, aut à proposito vel unguem latum discedere, Regi haud licere. Summa tamen usurum moderatione, nec præsidio ulteriùs, ac suiipsius, & Civitatis qvoqve securitas, belliq; ratio necessariò reqvireret, gravem iis fore: Milites qvoqve, ne in licentiam erumperent, militaris disciplinæ freno injecto, qvantum pote, cohibiturum. Qvod reliqva Civitatis petita attinet, varias sanè rationes suggeri; cur Erfordia armis (nec, cum DEO, id arduum) in potestatem potiùs redigenda, & jure belli, qvod omnia contraria vincula obligationesve, qvæcunqve aliàs obtendi possunt, uno ictu incidit, ac funditùs destruit, absoluto suo arbitrio subjicienda videatur: Et, inter reliqvas, vel hanc maximè; qvia Elector Moguntinus, Regis ac Fœderatorum hostem spontaneo motu professus, patrocinium Urbis sibi arroget. Qvin opimiores forsan commoditates, ac utilitatem majorem, si absolutè Urbi dominetur, ex illa Regem manere. Ad testificandam tamen benevolentiam, qva universos, singulos, sinceriori Religioni addictos proseqvatur, malle diversam ab hac ingredi viam: Ut, nimirùm, Civitas, & qvicqvid Civitatis imperio ruri paret, suâ sponte ac certo pacto in manum suam conveniat. Securos itaqve illos esse jubere, regia fide, omni meliori, qvo fieri possit, modo, cum suo, tum Fœderatorum nomine: Ipsis, ipsorumve Civitati omnia & singula jura, privilegia, immunitates, qvorum in possessione bonâ fide sint, sarta, tecta conservatum, & contra qvoscunq; summis viribus regiè assertum iri. Qvê in finem scripto illis cavere, paratus existat. Pontificios cives ut, protectione exemtos, pari ratione, qva suæ Religionis asseclæ alibi multifariam habiti sint, tractet, satis subesse causæ: Hos tamen intercessione qvoqve Civitatis fruituros, & ita universam civium communionem regiæ promissioni inclusum iri. De eo verò frustra laborari, ut ad Electoris Moguntini bona, Ministros, & papatui addictum Clerum extendatur: Moguntinum enim, unà cum aliis pontificii fœderis sociis, Regem ejusve Fœderatos vehementissimè oppugnasse, fortunis vitæve eorum insidiatos, & nil non hostile ausos. Nolle tamen ad extrema idcircò digredi, sed, particulari tractatu instituto, adeò moderatè erga illos se gerere decrevisse: Ut ipsimet qvidem de clementia regia sibi gratulaturi, &, intercessionem Civitatis non frustraneam fuisse, judicaturi; superiores verò & Domini ipsorum causam habituri sint, desistendi tandem aliqvandò ab internecino, qvo in Regem immeritum hactenùs flagraverint, odio.*

Utut verò Legati preces, de non imponendo Urbi præsidio, tenuitate suâ, qvæ oneri ferendo par non esset, in medium adductâ, & intercessionem pro Moguntini bonis, Ministris, Clero magnâ instantiâ iterarent, Rex

Rex tamen responso, priùs dato, firmiter institit: *Non opus esse*, dictitans, *ut Erfordenses soli de sustentando præsidiario milite solicitos se præberent. Universæ enim Thuringiæ commodo præsidium cedere. Universos itaque Thuringiæ Ordines onus quoque succollaturos. Quia verò, hac de re nihil solidi in mandatis habere, asserant Legati, satius esse; si redeant in Urbem, ad Senatum referant, & certiori responso instructi revertantur. Interim ipsi decretum, nonnullas eqvitum, peditumve copias eò præmittere: Quæ, stationibus ad portas, & alia potiora loca insessis, adventantis ac Urbem ingredientis consulerent securitati.*

Regerere ad hæc Legati: *Regis securitati civium ac militum urbicorum excubiis satis superve prospectum iri; nec opus, ut militem idcircò suum in Urbem induceret.* Rex verò asseverare econtra; *id in excubiis, ubicunq; commoraretur, dispenendis sibi hucusq; semper fuisse moris, ne alienæ custodelæ se committeret, nec modum ab aliis in eo præscribi passum: Observato trito illo versiculo;*

Alterius non sit, qvi suus esse potest.
Hunc morem adhuc servare, operamve ludere, qvi secus svadeat, aut impetrare speret.

Eum in modum Erfordensium Legati dimissi, domum se conferebant. Ubi, postqvam rationem legationis suæ reddiderant, in sententiam, de Rege amicè recipiendo, demùm pedibus itum fertur: Assentientibus etiam Moguntini Ministris & Clero; qvod nullam, nisi in Regis clementia, salutis indipiscendæ spem superare viderent. Statimq; iis, qvi priùs missi fuerant, de referenda ad Regem hac declaratione injunctum. Revorsioni autem illorum Gulielmus, Saxoniæ Dux, stirpis Vinariensis, Regis jussu, unà cum Corvilliana Legione prævertens, portasq; subitò irrumpens, undecimo Calendarum Octobris, in ipso foro, & velut umbilico Urbis, instructis ordinibus se stitit, duobusq; Senatus primoribus accersitis, Regis nomine insinuatum iit: *Equites hos à Rege comites ipsi additos, qvos sub vesperam peditum aliqvot cohortes essent secuturæ: Ut, excubiis ad portas & alibi, ubi commodum videretur, dispositis, adventanti sternèretur velut via, & confusioni, qva Exercitu appropinqvante irrepere solet, tempori occurreretur. Velle autem & jubere Regem, suo nomine Duci claves portarum tradi: Qvod in omnibus Urbibus, qvas aut ingressus sit, aut præsidio suo firmàrit, ita fuerit observatum.*

Gulielmus, Saxoniæ Dux, præmissus, Urbem improvisò intrat.

Gravari hic initio Senatus, & tergiversari, mox tamen, instante Duce, assensum suum præbere; sub hac tamen, expressè adjectâ, condicione: *Ne traditio clavium Civitati, aut ejusdem juribus, privilegiis, immunitatibus, qvæ, sarta, tecta servare, Rex Legatis receperat, ullatenùs præjudicio foret.*

Et claves portarum in potestatem redigit.

Remansere qvoq; claves in regiorum Præfectorum potestate ad mortem usq; Regis, & millesimi, sexcentesimi, tricesimi tertii Anni auspicia: Qvando Regni Sveciæ Cancellarius, Senatui & civibus, enixè affectantibus, qvò in illa rerum ambiguitate animos eorum communi causæ magis devinciret, restitui jussit.

40. Postridiè, qvi decimus erat Calendarum Octobris, circa tertiam pomeridianam Regem propinqvantem, primores Senatus solenniter suscipientes, de patrocinio ac tutela denuò interpellabant: Tenuem Civitatis statum, ut *qvæ, agricultioni magis, qvàm commerciis operata, simplicive & humili fortuna contenta semper vixerit, præsentium insuper turbarum intemperie omni penè habentiâ nudata sit*, verbis adumbrantes, & ad animum Regi revocantes.

Rex Erfordiam ingreditur.

Ad qvæ à Rege responsum. *Promissorum fidem, de Civitate ac universa civium communione in protectionem recipienda, Leubingæ ipsorum Legatis datam, illibatam servaturum; eaq; de re, dummodò vice versa de fidelitate ipsi præstanda chirographo se obstringerent, scripto iis cavere paratum. Dolere adhæc summoperè illorum vicem, ob exantlata his bellorum tumultibus damna; Facilè qvoqve adduci, ut crederet; vitæ eorum modum in agrorum cultu versari potissimum. Meminissent tamen, incolas suos, non rusticanos, sed urbicos esse: Qvos pro aris ac focis pugnare, fortunasq; omnes, imò sangvinem & vitam præ illorum incolumitate insuper habere deceat.*

ceat. Majores illorum tot turrium, mœnium, vallorum, aliorum, quæ munitio alicujus loci reqvirit, operum structurâ luculentum dedisse specimen, qvomodo animati forent: Ipsis qvoqve omninò incumbere, ut vestigia eorum, maximè in hoc bello, qvo de vera Religione & Patriæ salute certamen cernitur, strenuè insistant, & gloriosos illorum spiritus laudabiliter æmulentur. Nec ullum superesse dubium: Qvin, si ancipiti hoc rerum statu violentæ oppugnationis discrimen Urbs incidat, munimentorum jam exstantium moles non contemnendæ, modò ne in illis hodierno bellorum usui accommodandis ulli operæ aut sumtui parceretur, ad depellendos hostium impetus, insigni, cum DEO, adjumento essent futuræ. Considerarent in animo secum tragica vicinorum nonnullorum exempla: Qvi, pecuniæ retinaces, præsenti necessitati sumtus, qvos flagitabat, impendere, aut saltem mutuare ad tempus detrectando, seq; fortunasve suas omnes præsenti exitio involverint. Horum calamitatem inservire ipsis loco speculi: Unde ejusmodi discrimini maturis remediis præverti discant.

Nono Calendarum Octobris Rex Urbem circumeqvitans, Ædili commonstratum ibat: Ubi & qvomodo munitiones novas, Urbi firmandæ, excitandas censeret.

Rex meditatam ad Primores Civitatis orationem habet.

Octavo Calendarum Octobris, circa tertiam pomeridianam, qvinos Urbis Senatus, regionum urbanarum principes cives, tum curiarum & extramuranorum Tribunos, qvi eo ipso tempore in publicis ædibus congregati erant, ad se in hospitium accersitos, illustribus aliqvot personis, nec non supremæ notæ bellicis Ducibus, aliisve magnæ dignationis hominibus non paucis præsentibus, insigni & memorabili oratione, sermonem ultra semihoram protrahens, compellare Rex aggressus est: E qva seqventia à curiosulis annotata reperiuntur, qvæ nec nos benevolo Lectori invidebimus. *Admiratio nonneminem vestrûm forsan subibit: Qvid causæ me permoverit, Regno & provinciis meis hæreditariis relictis, in Germaniam, discriminum ac laborum, qvæ illic, venientem excepturi manerent, respectu seposito, contendere, iterve adeò longinqvum, terrâ mari, variâ fortunæ sorte, ad hunc usq; locum emetiri. Enimverò DEum, cordium scrutatorem, testem invoco; nullo ambitionis pruritu, aut præposterâ dominatum meum per subjugatas exteras Nationes ampliandi cupidine, ad turbas ciendas impulsum: Qvin potiùs propria mei ipsius, & meorum Regnorum ac dicionum securitas, cui Cæsariani hostili animo, clam palamve insidiabantur, & indeclinabilis necessitas, qvod adversariorum aures ad oblationum mearum æqvitatem penitùs obsurduissent, inculpata legitimæ defensionis arma induere, adegerunt vel invitum. Hæc autem benignissimo Jehovæ felici adeò rerum successu, præter omnium spem, & supra meam ipsius opinionem cœlitùs beare visum: Ut ad suscipiendam meorum Consangvineorum, & illorum, qvi Religionis necessitudine in Germania mihi juncti, curam, eosve è calamitoso hoc statu, pressuris, corporum atque animarum servitute, imò malorum omnium barathro, qvo à Cæsare & ejus complicibus immersi, tantumq; non absorpti erant, eripiendos, lata mihi fenestra aperta fuerit. Iehova huic momentoso adeò operi me destinavit, animosve, viresve, benedictionem, victorias annitenti largiter impertiit; Iehovæ robore ac divino auxilio armis meis hucusqve, ut in propatulo est, penetrare, Pomeraniam, Megapolim, Marchiæ & Saxoniæ electoratus, Magdeburgensem diœcesin penè integram, nec non alia loca à violento hostium jugo liberare, & hac ratione, præfiscine dicam, veræ Religionis, illiusve innexæ profanæ Libertatis statui solidum fundamentum substernere datum est: Cui, dummodò unusqvisqve, qvod sui muneris, non omittet, qvicqvid firmandæ Christianæ, unicè beanti, fidei, qvicqvid protestantiū Electorum, Principum, Ordinum Libertati, utriqve tot hactenus machinis concussæ, facit, tutò & sine ullius ruinæ metu superstruere licebit. Muneris autem nostri est: Non communis modò calamitatis vicem corde dolere, & inani oris qvæstu proseqvi; sed, conceptis primo ad DEum Opt. Max: votis ac precibus, totis deinde viribus allaborare ad averruncandam, qvæ cervicibus imminet, pestem. Nobiscum enim omnibus, qvi puriorem Evangelii doctrinam amplectimur, cujuscunqve status aut conditionis simus, perinde agitur,*

tur,

tur, ac si per incerta maris & tempestatum corbitâ volveremur; Nunc velut ad sidera usque fluctuum tumore elati, nunc, iisdem subsidentibus, in abyssum quandam proruentes; adeòq; naufragiū jamjam facturi, & exiguo intervallo à morte discreti. Hic verò perquàm absurdum foret, dum nonnulli naufragio avertendo, & navi ab interitu conservandæ graviter incumbunt, alios complicatis sedere manibus, & otiosos undabundi maris se præbere spectatores: Sed quisque pro se, quantum potest & valet, id agit, id connititur, projectâ etiam oneris ac mercium parte; ut vitam tantummodò & reliquū irato mari eripiant. Haud absimiliter unumquemque nostrûm decet, manū alacriter admovere operi, & impensâ quoque aliqua fortunarum nostrarum particulâ, pro virili commoliri: Quò communis salus, sub quassantium periculorum mole laborans, procellarum æstui subducta, in securitatis portum succedat. Ubi postmodum furibundum mare, cujus potestatem jam effugimus, tutò & cū delectatione contueri licebit, & nemo non exantlatorum laborū levamentum aliquod sentiet; habebit certè, quod opimam à Deo Opt. Max. mercedem præstoletur: Quia ad divini Nominis & gloriæ assertionem, conservationemve veræ, unicè beantis, doctrinæ, temporalium aliquid bonorum insuper habuerit ac impenderit. Absque hoc respectu forem, jamdudum, priusquā adeò longè essem progressus, pro me speciatim æquas Pacis condiciones à Cæsare impetrare potuissem: Et nunc, post adeptam insignem hanc victoriā, easdem amplecti multò magis adhuc in meo staret arbitrio. Divinus autem instinctus, & divina vocatio, quæ communis necessitatis onus nec-opinanti imposuêre, compellunt, ut non de mei solius, sed eorū etiam, qui Religionis & sanguinis nexu mihi juncti, securitate solicitus sim, &, priusquam hos deserā, fortunas potiùs omnes, quin & sanguinem vitamq; extremæ sorti committam. Adhucdum sanè valetudine firma, per DEI gratiam, & integris corporis, animiq; viribus sum: Fortuna quoq; satis prospera, & felicibus rerum successibus utor. Recordaminor tamen, in atrocem & clade ipsa exacerbatum hostem denuò ire; qui ut noxiam mihi inferat, aut planè è medio me tollat, varias sutelas machinatur: Facilève divinæ Providentiæ permissu accidere possit; ut fortuna, quæ in toto hoc vitæ humanæ proscenio, maximè verò in bello variabilis, tergum obvertente, vel sanitatem meam, vel spiritum ipsum communi causæ impendam. Quicquid autem id periculi tandem sit, nullatenus reformido, nec ab eo, quod divina Sapientia imposuit muneris, deterreri me ullo modo patiar; certus de eo & securus: Nisi summi Numinis permissu nil adversi mihi posse obstringere; & quicquid, dū in munere divinitùs demandato versor, obtigerit, utut humanæ rationi in speciem triste & pessimum videatur, quia divinæ tamen gloriæ & doctrinæ satago, non nisi bono cessurum. Quinimò beatum me reputabo, si Salvator & Christus meus gratia hac sua dignabitur: Ut pro ejus nomine aliquid mali, ærumnarum, periculorum, aut mortem quoque ipsam sustineam. Ad eandem normam unicuique vestrum formandus animus: Ut, licet non omnes mecum in campum adversùs hostem prodeatis, quisque tamen in suo statu ac ordine sacrosancti Evangelii cursum validè promoveat; ab eo, quod temporalium bonorū summi Collatoris benignitate ipsi datum, largiter, pro opum suarum modulo, impendendo. Vel eo maximè intuitu, quod indubium sit: Communi causa deserta, & hoste, quod Deus avertat, rerum iterum potito, non modò temporalium bonorum jacturam vobis imminere certissimā, verum etiam universos, ingenti conscientiarū vulnere, & extremo æternæ beatitatis periculo, ad superstitiosos humanarū traditionum cultus adactum iri. Ego quidem invitissimè ulli gravis aut molestus sum, nec me latet; quid continuâ aliquot annorū serie sitis perpessi, & quantas argenti summas effuderitis: Quibus tamen, si rem ipsam intus & in cute contemplemini, adversarios in vestri ipsius, & sociorū, ejusdem Religionis sacra profitentium, perniciē armastis Excusatos nihilominùs hac in parte vos habeo: Ut, qui hanc sortem, non magis ac alii Religionis vestræ complices, subterfugere potuistis. Nunc verò incommodis ac molestiis quam lubētissimè vos penitùs exonerarem: Sed ea est temporū iniquitas, ut universale ejusmodi allevamentū respuat. Quoniam enim hostis iterū ingrandescit, ultionem agitat, & recuperandorū, quæ amisit, serio satagit. Ideo nobis quoque maturè vigilandū,

omnesve nervi eò intendendi; ut defensioni accincti, & furori ejus profligando parati reperiamur. Non autem sine milite hoc fieri, nec miles sine sumtibus haberi, nec sumtus absque tributis procedere possunt. Plurium cordatorum, strenuorum, & insignium Ducum, militumve jacturam in hoc bello jam feci: Ægrè, & magno cum sumtu alios requirere datur, qui in decedentium locum succenturientur. Id quod eapropter dico: Ut si vos quoque ad continuandum bellum contribuere quippiam deinceps oporteat, ne frematis, aut intoleranter indignemini; sed patientiam præstetis, & inevitabili necessitati vos exhibeatis morigeros. Cõmeditabor quoque cum vestrum nonnullis, adhuc ante discessum meum: Quomodo, vectigalibus quotidiano victui impositis, & aliis ejusmodi extraordinariis pecuniæ cogendæ mediis, quæ belli tempore alibi locorum introducta, & utiliter exercita memini, hi sumtus ex parte sarciendi sint; &, si iis uti libitum, contra quemcunque, eorum introductionem aut exercitium præpedire conantem, regiè vos defendam. Per sacrosancta & sanguinolenta Domini nostri Jesu Christi vulnera vos obtestor; ut arduum hoc opus, quo de vestræ Civitatis, vestrorum jam præsentium, & futuræ quoque Posteritatis æterna ac temporali salute agitur, quantum par est, ad animum revocetis, exemplum meũ sequamini, & quisque ad illud promovendum promte, atque fideliter pro viribus cooperetur: Summam summi Numinis benedictionem pro certissimo redhostimento habituri. Instantissimis precibus fatigastis me per Legatos vestros: Ut Urbem vobismet ipsis propriove militi custodiendam relinquerem. Quàm vellem autem vestræ morigerari voluntati! Dummodo vestri ipsorum, & communis causæ condicio permitteret. Satius mihi foret, militem meum, quem longâ experientiâ probavi, universum mecum trahere, & conferto agmine procedere in hostem, quam præsidio hinc inde, variis in locis, & ita quoque apud vos relicto, dispergere ac debilitare vires meas: Sed diversum efflagitat, cùm vestri ipsorum, tum omnium Protestantium salus ac incolumitas. Nam si hostis ob præsidii defectum subitò vos opprimat, & Urbe potiatur, cogitate quæso, & putate vobiscum rationem (vicinorum, opinor, exemplo putare jam didicistis) quæ vos maneant ærumnæ, quæ calamitates! Hærent & adhuc apud vos intra mœnia hujus farinæ homines non exiguo numero, quibus jure diffidimus, forsanve ludus foret; conspirare cum hoste, ac oppressioni ejusmodi ansam dare. Quid demũ damni & incommodi in publici boni summam sit restagnaturũ, si Urbs hæc sub hostili jugum redeat, cuilibet rerum perito conjectare in proclivi est. Absque præsidio itaque vos relinquere nullatenùs consultum videtur: Nisi præsentissimo discrimini exponere sciens, prudẽs velim. Simul ac verò res in firmiorem & securiorem statum collocâro, nec ratio belli abhorrebit, educam iterùm Urbe vestra militem, prout vobis pollicitus sum, & interim, quantum pote, accurabo: Ne ejus sustentatio in vos solummodo recidat, sed ut alii etiam vicini, quorũ emolumento præsidium pariter cedit, partem oneris pro rata vobiscum pariter ferant. Præfecto quoque meo in mandatis dabo: Ut, militari disciplina strictè observata, enormem præsidiariorum lascivientium licentiam cohibeat. Porrò collustravi circũquaque Urbem vestrã, quomodo munita esset; vosq; & Majores vestros cingendæ vallo, aliisve operibus, multum operæ, laboris, sumtuum impendisse reperio: Ut, mediocribus copiis instructus, locum hunc ab hoste asserere, cum DEO, confidam. Cum autem ad veterem obsidiorum simplicitatem multa nova accesserint, oppugnandĩs Urbibus, machinationũ ingenia, illaq; indies magis magisq; exacuãtur, ideò necessum: Ut defensioni Urbium, maximè in vasta ejusmodi amplitudine, eò impensiori cogitatione ac cura incumbatur. Ædili equidem ipsemet vestro indicavi; quibus in locis novas munitiones excitari, è re arbitrer. Vestrum jam erit; rem, in qua vestra posterorumve salus unicè vertitur, nullâ interpositâ morâ, aggredi, nec laborum, nec sumtum pertæsescere: Perpensis variis inde in vosmet redundantibus commodis, quorum non minimum fuerit; quod, quò munitiorem Urbem vestrã redditis, eò magis & citiùs præsidio exonerabimini. Enimverò cordi mihi Civitas vestra est, ejusq; salus & incrementũ: Ac adeò, quicquid pollicitus vobis sum, inviolatè servabo, juraq; vestra, privilegia, immunitates, non modò sarta, tecta vobis relinquam, sed etiam contra quemcunque, qui eadem temerare ausus fuerit, regiè, quantum in me, vos tuebor.

Non

Non habeo in more, supprimere Civitates, & sub jugum servitutis redigere, aut decerpere eorum Libertati ac privilegiis. Qvin id semper potiùs studui, ut dignitate, opibus, viribus crescerent, efflorescerent: Qvemadmodum Riga Livonum, quantumvis armis à me subacta, testatum facit. Si ergò Civitatem qvoq; vestram quaqvam in re sublevare, Libertatem & privilegia vestra additamento aliqvo augere, aut, commerciorum usus ut apud vos increbescat, efficere potero, commodis vestris, nulla in parte deero. Panduntur vobis hac rerum metamorphosi fores: Per qvas ad pristinum absoluta Libertatis statum rectà perveniatis, & quæ hactenus, qvò minùs de liberæ Reipublicæ nomine gloriari possetis, ob Patronorum seu Protectorum vestrorum iniqvitatem, defuerunt, adipiscamini; insuper jura etiam, qvæ ultionei mei hostes apud vos hucusq; usurparunt, vobis ac Civitati vestræ, insigni ejusdem emolumento, asseratis. Vice versa gratum & devotum, qvalem ejusmodi benefacta reqvirunt, animum à vobis indubitanter exspecto, & firmiter mihi spondeo. Ut verò fide, ore tenùs Legatis vestris datâ, reapse me absolvam, literas, quibus Libertati ac privilegiis vestris cavere institui, & chirographum, quo vicissim mihi obstringi vos volo, in scriptũ redacta, ut vobis perlegenda tradantur, jussi: Qvæ utraque, si animo vestro arrident, sine mora consummabuntur. Præterea agnato meo, Gulielmo, Saxoniæ Duci, ac, secundùm illum, Consiliario ac Legato meo, Jacobo Stenbergio, mandata dedi; communicare vobiscum de his, qvæ ut præstetis, præsentis belli ratio postulat, eòq; imprimis cogitationes intendere: Qva via quàm commodissimè Urbis muniendæ labos institui ac maturari, rerum bello necessariarum copia ad Urbem defendendam comparari, & præsidiarius miles sustentari qveat. Qvæ onera vos solos, absqve vicinorum Thuringiæ Ordinum, in qvorum commodum non minùs tendunt, subsidio, sustinere, difficile foret. Deligitote itaqve nonnullos è vestris certo numero: Qvi his de rebus consilia cum iis in commune conferant. Ultimò, ignorare vos nolo, dilectissimam thori regii consortem huc accersere, & vestræ Urbi concredere, animo mihi constitutum: Modò certus sim; mihi, illive, qvâ decet, fidem exhibituros. De qvo sanè eò minùs ambigo: Qvod exinde, qvo affectu vos amplectar, & qvantâ in vos ferar fiduciâ, sole meridiano clariùs elucescat. Nam ut conjugem, pretiosissimum pignus, & incomparabilem in his terris thesaurum, pro derelicto haud unqvã habiturus sum: Ita vos qvoqve eò securiores eritis; sicubi periculum ab hoste ingruat, necessitatibus vestris minimè gentium, me defuturum.

Haud diu post cautio regia, & Civitatis chirographum (civium communione utrumq; approbante) ad umbilicum perducta, ac hinc inde tradita. Qvorum vi Rex Civitati spopondit (1) *Omnia & singula, qvæ justo titulo possiderent, jura, privilegia, jurisdictionem, immunitates, bona tam feudalia qvam allodialia, cum intra Urbem, tũ in agro, nullus, qvæcunqve tandem forent, exceptis, sarta tecta eidem relicturum;* (2 *Contra qvemcunqve extremis viribus defensurũ:* (3) *Militaria hospitia & præsidiũ non ulteriùs extensurum, ac ipsius Civitatis securitas, belliq; ratio reqvireret:* (4 *Disciplinam militarem, qvantum pote, servaturum exactè & ad ungvem:* (5 *Omni sedulitate, cum Deo, incubiturum, ad propellendum, si qvod ab hoste eorum cervicibus immineret, discrimen:* (6) *Cessante hostili periculo, hospitiis & præsidio militum Urbem exoneraturũ, & inclusos Urbis territorio agros:* (7 *Si Civitatem, nomine eorum, qvæ, recipiendo Regis præsidium, aliave ratione ad commune Protestantium commodũ promovendũ, aut jam præstiterit, aut imposterùm præstitura sit, brevi, vel longo intervallo post, jure conveniri, seu vi & armis infestari contingat, unà cum Fœderatis suis ejus patrocinium suscepturum, servaturumve indemnem:* Imprimis (8) *in sperato pacis tractatu nominatim illius memorẽ fore: Deniqve* (9) *summatim, regiâ clementiâ & gratia, prout belli hujus ob Religionem gesti æqvitas postulet, constanter complexurum.*

Regis & Erfordensium synallagma

Oblatam hanc & fide scripto datâ firmatam regiam munificentiam universi Urbis Senatus, regionumq; Urbis & Tribuum Curiones gratâ subjectissimi animi testatione agnoscebãt: Chirographo mutuam fidem obstringentes (1) *Regi Sveciæ, ejusve hæredibus, & Regno, tum Fœderatis etiam,*

qvamdiu religiosum hoc bellum duraret, nec alia ratione componeretur, fidos, morigeros, & obedientes fore: (2) *Urbem suam ab hostium insultu pro virili defensuros*: (3) *In Regis, & supra memoratorum detrimentum aut perniciem, nil qvicqvam, clam palamve, neqve ipsosmet pro se, neqve aliorum interventu molituros, attentaturos, aut commissuros*; *qvin* (4) *summo potiùs studio allaboraturos, ut si qvid in eorum periculum, damnum, aut præjudicium vergeret, averteretur*: (5) & ultimò; *debita ubiqve submissione & gratitudine ergà Regem, ascriptosve, se, ut honestos ac liberales viros decet, inculpatè, sincerè, candidè gesturos*.

Pontificiꝰ Clerus fidem suam Regi obstringit. Pontificius autem Clerus, Canonici, nimirùm ad Divæ Virginis, & S. Severini, Monachi Ordinis Benedicti in monte S. Petri, Carthusiani, Jesuitæ, ac Scotorum Abbas, interposito Sacrosanctæ Trinitatis nomine, sub juramenti fide obligare se coacti. *Contra Regem & Coronam Seciæ, eorum Fœderatos, ejusdemve Religionis asseclas, nec verbis, nec consilio, nec operibus, clam palamve, qvomodocunqve humanæ rationis acumen adinvenire id posset, qvicqvam machinaturos, aut ullo modo hostes se præbituros*; *sed Regi, & supra nominatis, donec bellum præsens continuaret, fidos ac obedientes fore*: *Pontificio aliove jure, & privilegiis qvibuscunqve neutiqvam obstantibus*.

Protestantium Clerus, in potestatē receptꝰ, immunitate donatur. E contrario Ministerii ecclesiastici Ephoros, Pastores, Academiæ Professores, eorumve ministros, protestantium Religioni addictos, summatim, qvicqvid à templis, scholisve, seu intra, seu extra Urbem, qvòusq; Civitatis territorium extenditur, dependet, Rex specialiter in tutelam & patrocinium recepit: Personis eorum, bonisve ab omni hospitiorum militarium onere, aliisve belli incommodis, regiâ liberalitate exemtis.

Duces Saxoniæ, stirpis Vinariensis, Fœdus cum Rege jungunt. Eodem hoc loco fœdus Regis cum Gulielmo, Alberto, Ernesto, Bernhardo, Saxoniæ Ducibus, stirpis Vinariensis, utrinq; complacitum, & ad colophonem perductum: Qvo dictus *Gulielmus, fratrum natu major, Exercitui, in Thuringia congregando, summo cum imperio, secundùm Regem præesse, bellumq; ejus nomine & auspicio illic locorum gerere jussus*.

Ut verò initium aliqvod & fundamentum haberet, cui novi delectus superstruerentur, Erfordiæq; & totius Thuringiæ securitati, dum hi adolescunt, nihilo esset consultum minus, Rex è veterano suo milite, Corvillianam eqvestrem, Comitis Leostheniensis, & Mitschefalii, Monroji, Forbusii, Tribunorum pedestres Legiones, tum sub Tribuni Chemnitii qvaternionem peditum illi attribuit: Dicto Comite Præfecti Urbis, & Consiliario suo aulico secretiori, Jacobo Stenbergio, ordinarii Legati nomine, illo in militarium, hoc in civilium curarum partem addito.

Qvibus ita ordinatis, sexto Calendarum Octobris, Erfordiâ cum Exercitu discessum: Subq; ipsum abitum miles, pontificii civis ædibus rapaces manus injicere ausus, in crucem, Regis jussu, è vestigio sublatus. Dispertitus autem in duo agmina fuerat Exercitus: Qvorum alterum Gotham versùs missum; cum altero Arnstadium, eâdem vesperâ, progressus ipsemet Rex, apud Comitem Swartzburgensem primis castris pernoctatum iit. Unde postridiè rectâ Ilmenoam iterùm movebat: Montanis, qvæ Thuringiam & Franconiam intersecant, tramissis, hostem ulteriùs in ipso hostico perseqvi, & Pontificios, Electores, Principes, Ordines, qvi arma ejus ultrò lacessiverant, in suis sibi sedibus ac mollibus nidis visitare certus. Rex Erfordiâ in Franconiam movet.

41. Ad Viadrum & Silesiæ confinia Rex, inter hæc, novæ Marchiæ ac Pomeraniæ ab hostium irruptione tuendis, recentes Anglo-Scotorum delectus, Marchione Hamiltonio & Leslæo Ducibus, reliqverat. Qvorum hic, undecimo Calendarum Octobris, hostem Crosnæ insidiari, & eam ob causam illic in vicinia cum copiis haud spernendis in procinctu stare, exploratum habens, ejusdem Marchionis jussu, cum milite nonnullo, adversæ partis machinationibus obviam iturus, illò se contulit. Cæsariani autem, eo cognito, abjectâ intentione suâ, properè pedem indè moventes, Acta inter hæc Lesslei ad Viadrum.

ventes,

ventes, in Lusatiæ Hexapolin secedebant; relictis qvinq; magnæ capacitatis pontonibus, vimineis corbibus utrumq; latus munitis: Qvos Leslæus, unà cum moratoribus qvibusdam Crosnam, velut in triumphum, duxit.

Haud diu post, comperto, Cæsarianorum ad qvingentos Gubbenæ hospitari, ab eodem Leslæo, cum ablecto milite, raptim illuc itum, Urbeq; improviso assultu oppressâ, qvatuor Centuriones, cum optionibus, signiferis, aliis inferioris notæ Ducibus nonnullis, & ducentis qvinqvaginta gregariis, captivi abducti: Qvod reliqvum fuerat, ad internecionē cæsum.

42. Ab hostium latere, maximè Viennæ in aula cæsarea, qvo insperatus magis & præter opinionem tristis ac funestus ad Lipsiam casus, eò gravior atq; acerbior acciderat.

Cæsarianorū spes, de secundo ad Lipsiam successu, cōcepta.

Festinata Lipsiæ deditio, aciesq; Cæsaris hostili opposita, nec ab illa, nisi prælii interventu, dirimenda, longè lateq; percrebuerant, inq; omnium ore erant. Ingens, nec ullo seqvioris successus aspergine hactenùs contaminata, Cæsaris felicitas, continuatæ senis Imperatoris, non interruptâ serie, tot annorum protelo victoriæ, notissimum universo Orbi veteranorum, ab iis stantium, robur, omnium, summatum infimatum, animos indubiæ adeò spei impleverant: Ut, victoriâ animo jam præceptâ, Svecos eorumve socios deputarent pro victis; nec nisi sublimes qvosq; conceptus, de Cæsaris potentia nunc demùm solidè stabilienda, & magnis accessionibus augendâ, secum volutarent.

Falsi de eo rumores.

Variabilis ad hæc, & nunqvam sibi constans fortuna insignitè iis illuserat, spemq; illorum ad perbreve tempus altiùs extulerat, ut atroci lapsu affligeret. Nonnulli enim cæsarianorum Ducum, præproperâ usi diligentiâ, dum in Saxonicum militem pugna illis pro meliore apparet, certis hominibus in aulam Cæsaris ad amicos curriculo missis, victoriam, qvæ dubiis adhuc pennis inter utramq; volitabat aciem, indubitanter suæ parti asseruerant: Unde apud neminem non verum qvidem ex animo, sed præcox, ortum gaudium, & ingens jubilatus.

Veritate compertâ, cōsternatio.

Sed hæc mox, tristiori nuncio tardiusculè secuto, in ejulatum vertère, & Cæsarianis, non tam præsentium mœrore consternatis, qvàm futurorum metu anxiis, necessitudo imposita; loco insignium progressuum, qvos ex præcepta victoriæ opinione animo delineàrant, cogitandi de mediis ac remediis, qvibus semetipsos in suo à victricibus hostium armis tuerentur.

Aldringerus & Fuggerus retrocedunt.

Non minori terrore, strage hac suorum auditâ, Aldringerus & Fuggerus perculsi: Qvorum ille sex militum millibus Tillio subsidio properans, Thuringiacæ silvæ aspera jam transcenderat; hic, unà cum Comite Merodio, Exercitu novem millium adversus Hassiæ Landgravium occupabatur. Uterq; enim, metu proximantis tempestatis (qvam, ut qvæ principem suarum partium Exercitum conqvassaverat, opperiri consultum haud ducebant) retrò in tutiora pedem retulère: Ubivis tamen, qvà ipsis pertranseundum, crudeliter grassati; & atrocibus populationum, incendiorumq; vestigiis post se relictis.

Hassus Vaccham impetu capit.

Sub qvem Fuggeri discessum, Gulielmus, Hassiæ Landgravius, Vacchæ Urbem, in qva pedestris, ter centum capitibus constans, cohors, unà cum eqvestri ala Fuggeriani militis hospitabatur, adortus, vi expugnatum iit: Hostibus omnibus, præter centum qvatuordecim, trucidatis, utrumq; vexillum Cassellas secum reportans.

Tilliani itineris tractus, post cladē Lipsiensē.

Tillius autem ipsemet, post acceptam cladem, plagis, licet incruentis, probè maceratus, qvarto Iduum Septembris, Ascherslebâ Halberstadium pervenerat: Ubi dissipatus Exercitus congregari iterùm cœptus, Edictoq; publicè affixo, fugitivis ac erronibus, qvo locorū Legionis qvisq; suæ signa inveniret, denunciatum. Qvod verò diutulè hic commorari, Regiorum metu, diffideret, ultimo Calendarum Octobris, clavibus portarum Senatui Urbis (qvibus per integrum sexennium caruerat) traditis, eodemq;, ut fidem Cæsari constanter exhiberet, admonito, cum copiis, qvas recollegerat, & Johanne Reinhardo à Metternich, Halberstadensis diœce-

diœceseos Administratore, longoq; pontificii Cleri, locis, qvæ nuper reformando deformârat, hærere diutiùs metuentis, syrmate, in viam denuò se dedit: Eâdem adhuc luce Osterwicum attingens; inde postridiè Schledam, & decimo sexto Calendarum Borckelam, Hildesiensis diœceseos oppidum, pergens. Hic qvatuor campestribus machinis, unà cum Christiano Gulielmo, Marchione Brandenburgensi, ArchiEpiscopatus Magdeburgensis Administratore, qvi in Urbis excidio captus fuerat, Gvelpherbyto adductis, instructi Exercitus facies apparere denuò qvadantenus cœpit. Borckelâ decimo qvarto Calendarum progressus, Alefeldæ, non nisi duo milliaria Hildesio distanti loco, ob afflictam valetudinem, & qvò dispersus ac restans miles eò faciliùs coiret, aliqvot dierum intervallo substitit.

Alefeldâ Metternichius ad eqvestrem Halberstadensis diœceseos Ordinem literas dabat: Fidei, Cæsari, ac Cæsaris filio, Leopoldo Gulielmo, ArchiDuci datæ, admonens; eamq; ut intemeratam servarent, & de rerum statu subinde certiorem ipsum facerent, adhortatus.

Undecimo Calendarum Octobris Tillius, Alefeldâ relictâ, postridiè Hoxteram, qvæ Corbejensi monasterio paret, pervenit: Visurgim ponte navali ad Corbejam sterni imperans. Qvo loco Ritbergius & Sultzius, Comites, Tribunusq; Farensbacchius, cum sua qvisq; Legione, Exercitui ejus, non contemnendum auctarium, accessêre: Nonusq; Calendarum Octobris qvieti datus.

Octavo Calendarum, post relictum ad Visurgim Comitem Gronsfeldium, generalis bellicæ rei his oris Præfecti nomine Cæsaris commodis invigilaturum, ulteriùs cum Exercitu procedebat; Borcholti pernoctans, & secundis castris Warburgum, Paderbornensis diœceseos Urbem amplexus: Ubi militi reficiendo, & Clero, monachis, monialibusve, qvi, ex Halberstadensi diœcesi profugi, hactenùs comitati ipsum fuerant, per vicina Westphaliæ monasteria distribuendis seqvens triduum insumtum.

Comperto autem, Regem, asprето Thuringiacæ silvæ superato, Franconiam irrupisse, tertio Calendarum Octobris inde movens, & in Hassiaco qvodam pago (Baldronum vocant) noctem inseqventem commoratus, pridiè Calendarum Aldringerianis & Fuggerianis copiis ad Fritzlariam se junxit. Ubi qvatuordecim tormenta aciem iterùm præcedere visa. Qvorum decadem Aldringerus & Fuggerus secum adduxerant.

Fritzlariâ, sexto Nonarum Octobris, unitis viribus in Fuldensis abbatiæ territorium contendebant: Ut Regi, in fœderatorum Pontificiorum perniciem totâ mole ruenti, prævertentur, ejusve impetum aliqvâ, & qvantum pote, refrenarent.

43. Nam Sveciæ Rex, post unicum diem Ilmenoæ, ad Thuringiacorum montium radices qvieti datum, tertio Calendarum Octobris, transitum eorum moliri cœperat: Vixq; integro triduo Exercitus universus, unà cum impedimentis, longo agmine, & difficili satis itinere traductus.

Eodem die, Cæsaris Commissarius, & inferioris Masfeldiæ, castri comitatus Hennebergensis egregiè muniti, Præfectus, Costa nomine, dum leporum venaturæ cupidiùs, qvàm cautiùs indulget, regiorum eqvitum, in subsessis delitescentium, casses necopinatò incidit: Et ipsemet hac ratione irretitus, locum qvoq;, fidei suæ concreditum, qvi aliàs, nisi justo obsidio, expugnari haud potuisset, in Regiorum manus tradere cogebatur. *Inferioris Masfeldiæ arx Regiis occupatur.*

Rex autem montanis, qvæ Thuringiam à Franconia discriminant, tramissis, integro Hennebergensi Comitatu, ab Aldringero miserum in modum afflicto, potitus, Aulam regiam, seu Kônigshofium, Herbipolensis diœceseos propugnaculum & Franconiæ velut clavem, rectâ pergebat: Nicolao Hasvertio Tribuno, & Wolmaro Rosladino, summo vigiliarum sub prætoria eqvitum Legione Præfecto, cum valida eqvitum, peditumve manu præmissis. *Kônigshofiū venienti Regi deditur*

Hi, propè Kônigshofium, in armatorum agricolarum ad primum turbarum

barum rumorem coeuntium, colluviem impingentes, vi resistere ausos contrariâ vi aggressi, plerosq; trucidârunt: Qvo ipso præsidiariorum Königshofensium animi statim infringi visi. Rege etenim cum Exercitu mox subsecuto, defensio eorum intra paucos leviorum machinarum ictus stetit: Nec ab Regiorum parte tormentum ullum disponi, nedum displodi necessum fuit; sed evocati ad colloqvium oppidani promtè paruerunt. Qvibuscum, Regis nomine, Benedictus Oxenstirna, Baro, brevem sermonem miscuit: Regiarum Legionum, sub oculis versantium, robur, cujus impressioni sustinendæ ipsi haudqvaqvam pares, ad animum perculsis revocans, persvasionibusq; subjungens minas. Regi, nimirum, decretum, artificiosis ignibus injectis incendio perdere Urbem: Cujus ædificia è lignis transversariis & limo maximam partem constructa, flammæ excipiendæ prona erant. Hæ minaciæ præsidiariis, è mero provinciali milite constantibus, tantum injecêre terroris: Ut, deditionem illicò pacti, eâdem adhuc vesperâ, munitissimum locum Regi in manus consignarent. Ubi insignis annonariarum omnis generis specierum, armorum qvoq;, tormentorum, & similium, nec non mundi ecclesiastici aliqvid repertum.

Königshofio Rex, curâ ejus Hasvertio Tribuno demandatâ, Swinfurtum cum Exercitu contendit: Qvò similiter præcursores nonnulli eqvites, Boonis Olai, è nobilium, qvi bovini capitis nomen & insignia gerunt, prosapiâ, eqvitum Magistri, ductu, viam exploratum, præire jusserat. Par autem horum, ac priorum fortuna. Lauringam enim, vicum exiguum ubi perventum, rusticorum multitudo, qvam Herbipolensis, nescio qvis, unoculus centurio, ad arma concitatam, regebat, transeuntibus se oppositum iit: Infessâ lateritiâ qvadam domo, obstructisq; ejus aditibus, crebris longiorum tuborum ictibus in appropinqvantes detonans. Nec Magister hic eqvitum consilio, aut manu sibi defuit: Sed qvod nullus, nisi præter hanc domum, transitus pateret, eqvite in pedes descendere jusso, violentam impressionem in levidense hoc rusticorum munimentum fecit, ejusq; statim potitus, rusticos universos ad internecionem cecidit; capto, qvi Dux eorũ fuerat, Centurione. Nonnulli tamen Regiorum qvoq; desiderati, & ipsemet eqvitum Magister graviter læsus, ex vulnere fato postmodùm suo functus. Rex verò, vestigia ejus legens, & paulò post subsecutus, prandioq; Lauringæ sumto interqviescens, recognitâ, temeritati Centurionis, debili adeò loco Exercitui, iter illac habenti, resistere ausi, adeò indignabatur; ut in crucem confestim tolli hominem mandaret. Cujus tamen bono cessit: Qvod summus rerum capitalium Præfectus, cum carnifice, asseclâ suo, haud esset ad manus. His enim inqvirendis dum mora intercedit, laqveum ille à gula sua amolitus fuerat; enixis simul precibus, simul spe facta: Revelaturum Regi, arci Herbipolensi invadendæ & expugnandæ opportunum qvàm maximè locum.

Lauringâ relictâ Swinfurtum ibatur: Qvod nullo negotio Regi patuit. Scripserat enim ad hanc, & alias liberas Imperii Civitates in Franconia, qvæ pars Cæsarianorum præsidio, velut compedibus, adhuc coercebantur, Rex, & submonuerat: *Inter alias causas, qvæ progredi hucusqve illum permovissent, non postremam esse; ut Religionis suæ consortes ex intolerabili conscientiarum carnificina, & Pontificiorum jugo ereptum iret. Darent ergò ipsæmet operam qvoqve ad utabilem, jugum, expulsis hostium præsidiis, excuterent; portasve Regi reserarent: re ipsa ostendentes: Liberationem hanc se agnoscere pro concesso divinitùs beneficio. Sin autem: Necessitudinem ipsi fori, tractandi ut hostes, qvi amicitiæ commoda oblata amplecti detrectassent.* — Regis literæ ad Swinfurtum, & alias Civitates Imperii liberas.

Unde, Rege proximare audito, Delegati statim Civitatis Swinfurtensis in occursum venientes, universa Regis fidei, nullâ interpositâ morâ, permisêre. Cujus Urbis custodiâ Carolo Hartio commissâ, militeq; sufficienti ad tuendam Urbem eidem relicto, Herbipolim in continenti properatum. — Swinfurtum Regis fidei se committit.

Qvo dum appelleret Rex, suburbii portam probè obseratam, firmoq; — Herbipoleos sub-

urbium vi invaditur.

moq; ingesto hunc in modum obstructam reperit: Ut, appenso crepitaculo seu pedardâ, in aditu patefaciendo neqvicqvam laboraret. Ex turricula etiam, portæ inædificatâ, nonnulli paucis ictibus Regios initio impetere, sed, iisdem propiùs ingruentibus, loco statim cedere visi. Rex enim, post crepitaculi vim fimi aggestu elusam, militem propiùs succedere, valvasq; securibus refringere, &, refractis, fimum raptim egerere imperans, cum universo mox peditatu suburbium introrupit. Nec minùs eqvestres excubiæ exteriùs circumcircà magnâ providentiâ dispositæ, & imprimis Fridericus à Stenbock, Baro, cum Smalandis suis, in convalle ad molam stare jussus: In qvem arcis Præfectus dimidiatis & dodrantalibus tormentis detonare non destitit. Ictibus tamen plerumq; innoxiis: Qvod globi, desuper ad devexa promissi, stridulo, sed inani sono aerem ferientes, capita Regiorum maximam partem supervolitarent.

Urbs certo pacto in Regis potestatē transit.

Suburbio à Regiis occupato, Urbs defensionem primò meditari, & arma in hostem stringere, longiorumq; tuborum fulmina: Qvorum unum in Zabettitzium, Tribunum, proximè Regem stantem, & cum eodem collocutum, incidens, latus ejus transegit. Deditione verò imperatâ vacillare statim civium animi. Et ab initio qvidem tergiversari, variaq;, lucrando tempori qværere effugia; mox diverticulo omni per Regis instantiam intercluso, in colloqvium descendere: Ablegatis ad tractandum cum Rege duobus; qvorum alter è Clero, natione Scotus, ex urbanorum numero alter. E diverso Melchior à Falckenberg, generalis Commissarius, & Tribunus Marretich à Rege in Urbem missi: Ut reciproci securitatis vades, & amicitiæ jamjam coituræ. Qvos in diversorium, aurei Falconis oculiferio insigne, deductos arcis Præfectus ipsemet convivio vesperi excepit, & prolixè ac comiter habuit; nihilo tamē ob id animo ad se defendendum remissior: Interim enim, dum ipse convivatur, pons, qvi Mœnum jungit, ejus jussu intercisus, & penissimè, uno jugo, qvod illæsum remansit, excepto, destructus. Nocte subseqventi, qvod miles, largâ vini copiâ in suburbio repertâ, plusculùm se invitaret, & ignē haberet negligentiùs, incendium subortum regios obsides in vitæ periculum penè conjecit. Plebes enim urbana, deliberato animo ignem tectis immitti rata, ad hospitium illorum coire, dirùm fremere, & truces jacere minas; in perniciem eorundem erupturas: Ni è pinnis mœnium prospicientibus, Regios ad restingvendum undiq; concurrere, adeòq; casu, haud voluntariè ignem erupisse, apparuisset. Mitigatis enim hoc ipso animis, & sedatâ pauló post flammâ, tumultus qvoq; resedit. Subortâ verò postridiè luce, postqvam de certis deditionis legibus Urbem ingressus, ponte è vestigio reparari jusso, ad castrum vividâ vi oppugnandum, summâ industriâ accingebatur.

Arx impetu expugnatur.

Castrum Herbipolense Urbi superbo situ trans Mœnum exardua imminet rupe. Qvà Mœnum spectat, præruptâ adeò & inaccessâ, ut inexpugnabile castrum reddat: Qvà verò campos, acclivitate aliqvantò clementiore, ac monte sensim in arduitatem assurgente; unde hinc aditus qvoqve in castrum qvæsitus. Castrum ipsum, magnificâ & regiâ structurâ, à procestriis discriminatur profundo fossato è rupe exciso: Adeò angusto tamen, ut pons pensilis demissus interius labrum exteriori jungat. Extimam procestriorum portam munimentum, qvalia semilunulas vocamus, protegebat: Præter qvod castrum nullis pugnaculis, hodiernum in morem mutuò se respicientibus, & reciprocâ ope tutantibus, defendebatur.

Hunc locum adorturus Rex, simul ac pons aliqvatenùs refici potuit, Axelium Lillium, Tribunum, cum ablectis aliqvot è propria Legione sclopetariorum centuriis, pauló infra castrum, navibus hanc in rem conqvisitis, Mœnum trajicere, eodemq; momento Jacobum Ramsæum, paris dignationis Ducem, cum valida militum manu pontem transire jussit. In qvē postremum effusissimus plumbearum glandium imber è castro depluit: Nec pauci Regiorum cecidêre; alii saucii è factione reversi, interq; hos ipse Ram-

Ranſæus dextrum brachium graviter læſus. Haud reliqvos id tamen abſterruit, qvò minùs alacri gradu pergerent, &, ingruente ſimul ad latus Axelio Lillio, in ſuburbio ad rupis, cui caſtrum ſuperimpoſitum, radices jacente, poſt hoſtem levi inde negotio pulſum, nidularentur. Rex ipſemet ſub portâ, ponti contiguâ, verſabatur, per exiguum foramen omnium, qvæ ſtrenuè à ſuis aut ſecùs gererentur, arbiter. Dum autem qvippiam, qvod è re videretur, imperaturus, caput paulò longiùs foramine exſerit, deſtinato è ſuperiori loco ictu impetebatur: Adeò ut calx & pulvis, lateritio muro globuli impetu excuſſus, faciem ejus usqvequaq; reſpergeret.

Mox ſummâ diligentiâ Caſtro propinqvatum, & tormentorum ſuggeſtus exſtrui cœpti: Tardiùs tamen & magnis difficultatibus procedente opere; ob inæqvale, aſperum, ac petricoſum loci ingenium. Perfecto tamen ſuggeſtu, tormenta ſtatim in eo collocata, & in ſpeculatoriam turrim, qvæ medium penè montem occupat, verſus verberationis impetus: Nec diu ſuſtinuit, ſed paucorum ictuum violentiâ latam dans ruinam, defenſores ſuos vel invitos evomuit. Modico poſt intervallo aggreſſuræ alea, Regis mandatu, tentata: In qva primæ ſortis honor Lillianæ è Svecorum gente Legioni obtigit; omnium primum agmen ductante Roberto Burtio, proTribuno. Hanc vetus cærulea Legio paribus animis ſecuta; & deinceps ſuo ordine reliqvæ. Prævaluêre qvoq;, poſt modicum certamen, Regii, vallo ſemilunulæ ſcalis ſuperato, proceſtriorum vi potiti. Qvorum furori dum, qvi in interiori caſtro verſantur, ſocios extrà ſervantes eripere ſtudent, & pontem penſilem eo fine demittunt; ipſam tamen portam, ne hoſtes unà irrumperent, reſerare haud auſi, ſed per anguſtum tantùm oſtiolum receptum præbentes: Mirus & miſerabilis in ipſo ponte, effuſâ ab omni parte fugâ huc ruentium, concurſus exſtitit. Qvorum pleriq; Regiorum, veſtigiis cominùs inhærentium, ferro ceciderunt: Adeò ut pons triplici vel qvadruplici cadaverum ſerie conſtratus fuerit. Horum autem cadaverum mole præſidiarii pontis penſilis privabantur commodo, in altum eundem rurſùs elevare prohibiti. Porta tamen adhuc probè obſerata Regiorum impetû pauliſper diſtinuit: Donec, crepitaculo allato & appenſo, hic qvoq; obex disjiceretur. Ita, irrumpentibus interius qvoq; Caſtrum Regiis, præſidium univerſum, qvod, annumerato provincialium delectu, ad ſesqvimille militum erat, & qvicqvid virilis ſexus primo Regiorum ardori occurrit, occidione occiſum. Arcis tamen Præfectus, Adamus Henricus Kellerus à Sleitheim, eqvitum Magiſter, à rei tormentariæ tunc temporis Tribuno, qvi hactenùs regiorũ in Germania Exercituum Campiductoris nomine claruit, Leonhardo Torſtonis, vitæ gratiam impetrabat. Imbelli ſexui vita & pudicitia, præclaro (ut Caraffa vocat) Regis Edicto conſervata.

Arci ingens auri, argentive, ſignati, facti, infecti theſaurus inerat, è tota circumcirca provincia illinc, velut in tutum receptaculum, congeſtus: Qvi militum direptioni patuit. Commeatus qvoq;, pulveris tormentarii, aliorũ bellicorum inſtrumentorum affatim ibi repertum. Deniq; triginta majoribus tormentis, eqvili eqvis generoſiſsimis referto, & vini qvodam velut copiæ cornu à multis annis illic recondito, Rex potitus.

44. Tillius, redintegrato per affluentes hinc inde copias Exercitu, animis non ſecùs ac viribus auctior, oppugnatione acerrimâ caſtri, qvod conſervari omniũ pontificii fœderis ſociorũ intererat, ut qvàm maximè, intellectâ, liberare id, & aciei aleam cũ Rege denuò tentare decreverat: Par pari relaturum Regi, & labem, qva priſtinam gloriam, arbitrio variabilis fortunæ rerum ſummâ absq; ulla neceſsitate paulò antè ſubjiciendo, ſordidârat, eluturum, firmâ ſpe ductus. Excruciabatur enim animi ſenex, tot bellorũ experimentis ſubactus, nec hactenùs, niſi vincere, ſvetus Imperator, juniori, ipſiusq; opinione, minùs experto, acie ceſsiſſe; & qvidem æqvâ in planitie, æqvo marte manum conſerenti: Qvem, prudentiâ ſenili, & tot annorum experientiâ, nec non invicto veteranorum numero ac robore fretus, vel locorum opportunitate tectum aggredi, & campo exturbare confiſus fuerat.

Tillius ſecrò ſubſidio venit.

Stimulos addebat pugnaci & ambitioso seni, qvod in armilustrio, ipsis Nonis Octobris, Fuldæ habito, insignem & prævalidum Exercitum, octodecim, nempè, peditum millia, nec non centum octoginta duas eqvitum alas recensuisset. Jamq; Ducis etiam Lottharingi copiæ, qvas accersiverat, in propinqvo versabantur.

Cui Lottharingus, arma pro Cæsare induens, se junxerat.

Lottharingus enim, Galliæ Regis gratiâ certis de causis excidens, Cæsaris ac Domus Austriacæ patrocinium ambiebat: Utq; beneficio haud proletario Cæsarem eò arctiùs devinciret, peculiarem Exercitum suis impensis, & Cæsaris bono, conscripserat. Spe qvoq; electoralis dignitatis adipiscendæ allectum à Cæsare, sunt qvi scribant; Saxonem & Brandenburgicum, ut rebelles, dignitate hac exuere meditante.

Huic, qvi de duodecim millium armatorum numero gloriabatur, Tillius ad finem, qvem diximus, Miltenburgi se junxit: Isthoc tempore viginti sex omnis generis machinas secum iterùm trahere visus.

Qvod autem Rex rapidâ castri Herbipolensis expugnatione Tillii, suppetias ferre laborantis, conatibus prævertisset, rationes consiliorum, de eo liberando initas, expungere, & cogitationum suarum summam aliò intendere hic coactus est. Prout in seqventibus suo loco patefiet.

Convent⁹ Francofurtensis, re infectâ, intercidit.

45. Suprà conventus inter pontificios & protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines, componendæ controversiæ, ob bonorum ecclesiasticorum possessionem exortæ, utrorumq; Consensu Francofurti instituti, mentionem injecimus: De qvo hic paucula, & tribus verbis. Protestantes qvidem in hoc conventu omnimodam urgebant restitutionem, cùm bonorum ecclesiasticorum, tùm exercitii Augustanæ confessionis, in statum, qvo Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo fuerant: Modò hanc obtinerent, qvoad reliqvos ArchiEpiscopatus, Episcopatus & bona ecclesiastica Pontificiorum Reservatum non ampliùs in dubium vocaturos, offerentes. Pontificii verò adduci nullatenùs poterant, ut Edicto cæsareo, Anno millesimo, sexcentesimo undetricesimo promulgato, velut unico, qvod hoc bellorum curriculo à Protestantibus consecuti sibi videbantur, præmio, vel digitum transversum decederent; adeoq; omnem tractationem respuebant, nisi qvæ salvo fieret Edicto: Id qvod, ipsorum opinione, nihil contineret novi aut insoliti, sed antiqvæ tantùm Pacis religiosæ placita, renovato scitu, confirmaret. Cæsar qvoq; de non temeranda Edicti sanctione per Legatos protestatus, conclusionem, adeòq; puppim & clavum tractatuum dirigendorum ac ratihabendorum, sibi reservârat.

Qvæ verbis-velitatio paulò antè, qvàm ad Lipsiam ferro decerneretur, cœpta, duravit: Donec Sveciæ Rex, victoriâ Lipsiacâ usus, Pontificiis in dies magis, magisq; ingrueret, & jam circa Herbipolim infestis armis grassaretur. Qvando tractatus tela à Pontificiis abrupta est, conventusq; sub mensis Octobris initium, re infectâ, intercidit.

46. In Franconia interim fructus sævitiæ & pressurarum, qvibus Cæsar Protestantes hactenùs exagitârat, affulgente proximantis liberationis spe, luculenter ubivis se exseruerant: Ita ut, qvicqvid sub duro militarium onerum jugo gemens, ne hiscere qvidem antehac ausum fuerat, ruptâ nunc patientiâ, res novas moliretur.

Protestantes in Franconico Circulo Regi se associant.

Nam Circuli hujus Principes ac Ordines, qvotqvot Protestantium Religioni addicti, per Legatos apud Regem comparuerunt: Decimo Calendarum Novembris, certis condicionibus cum eo transigentes. *Rege, illos, illorumve provincias ac diciones, Urbes, oppida, vicos, pagos, cives, subditos, incolas, & qvavis necessitudine junctos, contra suosmet & ipsorum fœderatos hostes, seu impetu in hosticum dato bellum divertendo, seu suppetias omnibus viribus ferendo, qvinimò propriam, sicubi opus, personam impendendo, protegere ac tueri pollicito: Illis è diverso, ad belli sumtus, certam pecuniæ summam, qvo loco Regi commodum foret, pendere spondentibus.* Qvod autem Legatis necessarium videretur, de

uno

uno alterove articulo referre ad Dominos, priusqvàm specialia singulorum fœdera cum Rege consummarentur: Ideò concessa qvidem à Rege illis hæc delatio; vice tamen versâ recipientibus. *Curæ sibi fore, ut fœdera isthæc qvamprimùm perducerentur ad exitum, eove nomine universa Franconici Circuli membra, Protestantium doctrinæ addidicta, intra qvatuordecim dierum spatium à supremo Circuli Præfecto convocarentur: Qvem ad conventum Rex mandatarios qvoqve suos mitteret, de re omnimodè conventuros.* Prætereà Rex sibi reservabat: *Si qvisqvam ultra duorum mensium curriculum fœdus cum ipso inire procrastinaret, velut beneficio hoc indignum, ad amicitiæ jura neutiqvam deinceps admissum, sed pro aperto hoste à se habitum iri.*

Culmbacensis Marchio speciatim de fœdere paciscitur.

Stitit qvoq; sese, secundùm hujus conventionis legem, anteqvàm adhuc annus currens in circulum rediret, Christianus, Marchio Brandenburgensis: (Culmbacensem ab aulæ sede vulgò vocamus) De fœdere ad normam, qvâ cum Hassiæ Landgravio antehac convenerat, cum Rege pactus.

Regis literæ ad Ducem Wirtenbergésem.

In Svevia, hoc armorum suorum florente statu, Rex Ducum Wirtenbergensium familiam, non potentiâ modò viribusq;, sed autoritate qvoq; & dignatione inter protestantes Svevici Circuli Ordines facilè principem, impellere ad retractandum, qvæ non ita pridem posuerat, arma, & jugo, qvod Cæsar non ita pridem denuò injecerat, excusso, cornua adversùs eundem redivivo impetu erigendum, rebus suis & communi Protestantiũ causæ admodum conducibile arbitrabatur. Literis itaq; ad Ducatus Administratorem datis, eidem revocabat ad animum *ingentes & miraculosos penè successus; qvibus summi Numinis providentia cœlitùs arma sua mactasset: Omni belli mole ex amicorum provinciis, qvibus hactenùs incubuerat, in hosticum devolutâ. Ita, ut nil ampliùs restare videretur: Qvàm, Svevico qvoqve Circulo, non secùs ac aliis factum, è diutinis pressuris & imminente servitute erepto, viam ubiqve sterni almæ ac fidæ Paci, pristinorumq; seculorum felicitati per hanc brevi rediturae. Administrator ergò, qvid ipsi esset animi, & qvidnam Rex de eo sibi polliceri haberet, rotundo ore ac candida mente palam scripto declararet. Nec enim temporum condicionem, & rationem status sui diutiùs ferre; ut in incerto deinceps versetur, aut amicorum numero recenseat: Qvi (velut à Ducibus Wirtenbergensibus hucusq; in summum communis causæ præjudicium, fuerit factum) manifestarios hostes suos, gremio susceptos, foveant; tributave pensitando, & commeatum, rem tormentariam, alia belli necessaria largiter subministrando, contra ipsum instruant ac arment; summatim, plus penè, qvam ipsimet hostes, noxiæ inferant & detrimenti. His si imposterùm re ipsâ abstinere, & exspectationi regiæ, non modò in partes palam transeundo, sed alios qvoq; Svevici Circuli Ordines eò inducendo, respondere, Duci collibitum sit: Se qvoqve, eundem cum sociis, non secùs ac alios hostilium armorum iniqvitate oppressos, sub patrocinii sui umbonem recipere, paratum. Sin minùs: Pro hostibus illos habendi, & ne qvid res Protestantium publica detrimenti capiat, providendi, vinculo, qvo DEO Opt. Max. obstrictus sit, & conscientiâ adurgente, sibi imponi necessitatem.*

Pontificiorum timor & fuga.

47. Et hac qvidem ratione prosperis Regis successibus Protestantes qviq; certatim applaudere, inq; ejus partes ingenti animorum alacritate transire. E contrario Pontificii non minori terrore percelli; animorum incerti & fluctuantes: Cuinam Divo (ex vulgato dicterio) se devoverent? Aut ubi tandem ab ingruente hac procella sibi qværerent perfugium? Pleriq; eorum, interq; hos primorum principes, secundo Mœni & Rheni flumine, Coloniam versùs, aut aliò locorum, fugâ sibi consulere: Nonnulli, iiq; infimates ac minorum gentium, aris, focisq; suis inhærentes, Regi se submittere suppliciter. Neq; enim Religionis causâ qvenqvam perseqvi aut durius habere, instituti ejus esse, deprehenderant.

Regis ad Herbipolensis diœceseos incolas Edictum.

Nam ad eundem finem, ut ne imis summa bellicis his turbis miscerentur, & res in confusum anarchiæ chaos reciderent, sed, qvos è Pontificiorum

numero in protectionem receperat, re ipsâ æqualiter hoc fruerentur beneficio, Rex Herbipolensis diœceseos statum, Episcopi nuper electi, & præcipuorum cleri capitum fugâ pro derelicto habitum, in ordinem digessit: Novo ordinato Regimento, & Edicto ea de re publicato. Qvo, causis primò armorum induendorum & in Germaniam transferendorum pauló altiùs repetitis, commemoratisq; felicibus successibus, qvibus Omnipotens eadem supra spem suam extulerit, tum extremâ necessitate, qvæ Saxoniæ Electorem regiis armis arma fœderis vinculo jungere adegerit, ob oculos positâ, de Pontificiorum Ordinum iniqvitate graviter conqverebatur. Nimirùm, *voluntarios se Regis hostes professos, & arma ultronea intulisse: Cum ipse Galliæ Regi receperit, de amicitiæ seu Neutralitatis jure cum iis sarto, tecto conservando; modò hostilibus animis depositis, intra amicitiæ aut Neutralitatis cancellos qvieti se continerent. Movisse eapropter in Franconiam; utrumq; tamen Episcopum, Bambergensem & Herbipolensem, adventus sui maturè reddidisse certiores: Et, utut, ob hostilitates ergà se, sub fœderis pontificii, cujus membra sint, corpore exercitas, secùs meruerint, tolerabiles obtulisse condiciones; qvibus amicè secum transigere ipsis licuisset. Verumenimverò ab Herbipolensis parte, loco amicabilis responsi, tormentorum fulmine ac ignibus sibi occursum, & occasionem datam: Provinciam porrò irrumpendi, nec modò præcipua ejus occupandi loca, sed etiam, divino Numine conatibus suis enixè & evidenter suffragante, vi expugnandi munitissimum, qvod Herbipoli immineat, castrum. Qvia verò magna pars hujus seu Episcopatus, seu Ducatus, alioqvin nemini adhucdû sacramento obstricta, reliqvi, si qvi Episcopo homagium præstiterint, nullâ necessitate urgente, ab eodem deserti sint: Ideò operæ pretium Regi visum, provinciæ hujus & inhabitantium curam suscipere tamdiu, statumq; collapsum qvadantenùs restaurare. Donec, divinâ clementia aspirante, belli incendium optatæ ac fidæ Pacis interventu sopiri contingeret. Huic fini certum, qvod toti provinciæ ad tempus moderaretur, instituisse Regimentum: Selectis ad id idoneis, virtutisq; nec non doctrinæ expertæ personis. Mandare itaqve universis ac singulis rei Oeconomicæ Præfectis, Magistratibus, Universitatibus: Comparerent ipsimet illic loci, qvem Rex esset præfiniturus; de servanda intemerata fide, & obedientia debito modo præstanda se obligarent; si qvid ulteriùs Regi è re communi videretur, præsentes in loco acciperent; moremve gererent postulatis. Obedientibus demùm tutelam ac patrocinium suum, conscientiarum libertatem, liberum Religionis usum, profanorum qvoqve jurium, consvetudinum, privilegiorum conservationem, æqvabilem deniqve justitiæ administrationem pollicitus: Refractariis verò & clementiæ suæ contemtoribus dira & gravia qvæqve interminatus.*

Bambergensis Episcopus, prætextu tractatus cum Rege, imminens malum subterfugit.

Et ita qvidem diœcesin Herbipolensem, qvantum temporum condicio ferret, à militum injuriis, omnimodo certè exitio, Rex asserebat: Qvanqvam Episcopus, præcipiti pavore inde profugus, exulare cogeretur. Haud pauló, callidior dicam an felicior, Bambergensis: Qvi, primo ingruentis procellæ impetu in vicinum incumbente, tempori obsecundando cladi caput subducere decreverat; Adeòq; ad amicam tractationem cum Rege instituendam promtum se obtulit. Qvam eò cupidiùs Rex amplexus: Qvod, arma in diversas oras, & Rhenum versùs propagare potiùs, qvàm domando Bambergensi occupare animo sederet. Huic verò, non cum Rege pacisci, sed tempus lucrari, & interim alia se conservandi media circumspicere, propositum erat. Variis ergò prætextibus, nunc Ordines provinciales priùs convocandos, eâq; de re audiendos præ se ferens, nunc de commoditate loci, qvò à Rege ad tractandum venire jubebatur, ambigens, in longum extraxit tractationem: Qvòusq; tandem, Rege cum Exercitu, è diœcesi Herbipolensi antrorsùm in remotiora progresso, Tillio verò his oris iterum appropinqvante, amicitiæ velum rejiciens, apertum se hostem profiteretur.

Tillius in Franconiam iter dirigit.

Tillius namq;, spe Herbipolensis castri liberandi evolutus, nec adversùs Regem, opportunitate stationum, qvas Herbipoli & circumcircà locorum

rum

rum ceperat, se continentem, inq; omnes ejus motus pervigilem, qvicqvam Dominis suis conducibile patraturum confisus, intentione suâ aliorsùm, Regis è stationibus munitis prolectandi, ferebatur: Ab Hanoviæ prius Comite, qvò de Mœni possessione sibi prospiceret, præter tres cohortes, qvas, ad Urbis tutelam conscriptas, Cæsari non minùs, ac sibimet ipsi, juramento is devinxerat, qvatuor adhuc alias Cæsarianorum in Urbem recipi, postulans. Incassum tamen: Nec Comes, onus hoc prægrave sibi, suisve fore autumans, ut assentiretur, adduci ullatenùs potuit. Secundiori auspicio de Bobenhusæ arce & oppido, qvæ Comite Hanoviæ Busweilleriano parent, occupandis consilia inibantur: Hæc enim, astu intercepta, valido præsidio Tillius firmatum iit.

Qvo peracto, duodecimo Calendarum Novembris, Miltenburgo movens, postridiè Hulsenæ, & decimo qvarto Hachusæ pernoctavit: Ibiq; & in conterminis locis, usq; ad octavum Calendarum, cum Exercitu moram traxit.

Cladem repentinâ Regiorū irruptione patitur,

Dum hîc interqviescunt Tilliani, regius miles, nono Calendarum Novembris, in binos pagos, qvibus qvatuor eorundem Legiones, Steinbacchi, nimirùm, Tribunus de Hispania, & junior Comes Fuggerus, Wenckemi autem Comes Piccolominæus cum Ecstadio Tribuno diverterant, subitam & acrem impressionem tentabat: Nec infelici successu. Hostes enim, animis ordinibusq; perturbatis, non sine hominum ac impedimentorum jactura, ad Tillium suum, ubi loci hospitium delegisse ipsummet noverant, citato cursu se proripuêre: Totum Exercitum terroris ac formidinis adimplentes.

Qva clade à qviete interpellatus Tillius, lustrato postridiè Exercitu, & ducentis qvadraginta sex eqvitum alis, unà cum numeroso peditatu repertis, Rotenburgum ad Dubarum iter intendit.

Rotenburgum ad Dubarum in ditionem redigit,

Rotenburgo Exercitus, qvinto Calendarum Novembris sub diluculum proximabat: Qvatuorq; dispositis tormentis, verberatio in continenti cœpta. Miles qvoqve primo statim rerum calore murum subiit, exiguâ jacturâ: Nisi qvod Schrenckius Tribunus, femur glande plumbea trajectus, postridiè vitam cum morte commutaret. Circa decimam antemeridianam obsessi, duobus candidis vexillis è mœniorum summitate sublatis, tubicinem in Tilliana castra ablegatum ibant, deditionem offerentes: De cujus tamen condicionibus convenire necdum potuit. Ad vim ergò reditum, donec advesperasceret: Qvando deditio demùm secuta, & Princeps Phaltzburgi, Ducis Lottharingiæ Campiductor, à Tillio divertere in Urbem permissus. In qva Lottharingi perpetem noctem prædis & stupris petulanter grassati: Germanorum enim militum haud qvisqvam intromissus; qvi autem furtim irrepserant, pari cum civibus forte Lottharingorum direptioni patuerunt.

Et Winshemum.

Exemplo Rotenburgi edoctum Winshemum Tillio venienti portas ultrò reserabat: Ubi locorum cum Exercitu denuò, refocillandis viribus, aliqvantisper interqviescere, visum.

Hanovia à Rege intercipitur.

48. Hanoviæ interim, tum structuræ nitore, tum munitionum firmitudine insignis Urbis, intercipiendæ consilium Regi suggestum: Qvod, ductu Christophori Hubaldi subTribuni, adjunctis ei aliqvot eqvitum alis, & desultoriorum sclopetariorum, seù draconum, ex omni Exercitu ablectorum, numero non exiguo, haud strenuiùs tentavit, qvàm feliciter exsecutus est.

SubTribunus hic, accepto Regis mandato, copiis, qvas diximus, stipatus, citatissimo gradu, ne consilium morâ dispalesceret, unicæ diei, noctisq; continuo tractu, Herbipoli & Carlstadio iter Hanoviam usq; emensus ipsis Calendis Novembris, intra qvintam & sextam matutinam, superatâ post arcem fossâ vallum inscendit, & post excubitores oppressos, portamq; refractam, toto impetu Urbem irrupit. Moxq; loci ingenium in commodum suum vertit: Portâ, qvæ novam à veteri Urbe discriminat, obseratâ, ac præsidio suo insessâ, novæ Urbis incolis, ne illis in veteri suppetiatum venirent, viam intercludens.

Bran-

Brandisius, peditum ductor, qvi in nova Urbe hospitabatur, ab initio, qvando, strepitu in veteri Urbe exorto, rumor de Regiorum adventu increbescebat, ad arma inter cives, militesve suos conclamari penè vetuerat, dictitans: Nil causæ, cur percellerentur. Militem, qvi ad Urbem veterem turbas det, non regium esse, sed Cæsaris: Longiùs abesse Regios, qvàm ut adeò citò advolare qveant. Pridiè Aschaffenburgum misisse, supplementum præsidii solicitatum: Certòq; sibi habere persvasum, hos ipsos esse, qvi improviso adventu suo tumultum exciverint. Tandem verò re, prout erat, compertâ, ad defensionem seriò se comparare Brandisius; & milites pariter civesq; ad arma arripiendū hortari: Nec tamen minùs, dum Hubaldus præsentem illi vim ostentat, longioribus tubis è vallo veteris Urbis in novam detonando, tormenta qvædam illuc dirigendo, & validam impressionem eqvitatus, qvi in procinctu ad id jam stabat, portâ reclusâ minitando, armorum inducias, deditionis prænuncias, flagitare. Callidè & aliud clàm intendens: E familiaribus enim suis certum hominem, tranatâ novæ Urbis fossâ, Stenhemum, ubi hoc ipso tempore Tribuni Einotti Legio, & aliæ Cæsarianorum copiæ commorabantur, se conferre, festinataq; flagitare subsidia, dapsilibus promissis induxerat. Sed spem horum Hubaldus, ne ad qvadrantem qvidem horæ armis feriaturum contestatus, frustrari. Vero igitur, non simulato amplius animo de deditione agere Brandisius: Dummodò Comes præberet assensum. Qvi à Regiis in vallum adductus, se qvoqve pariter captivum, respondit, nec sui compotem, haud scire satis, qvid sibimet agendum foret: Qvantò minùs, qvid alteri? Consuleret Brandisius rebus suis, prout qvàm commodissimè videretur. Iterùm ergò pro se ac milite suo, cum impedimentis omnibus, armisq; ut dimitteretur, hic postulare; non impetrare: Hubaldus enim aures justæ deditionis legibus occludens, alias, siqvidem præsens exitium evitare vellent, amplectendas, pro lubitu præscribere. Cives domum qvisq; suam qvieti digrederentur: Præfectus verò Urbis & alii Ductores, cum binis, qvæ aderant, militum cohortibus, ad veterem Urbis portam versis armis comparerent, hisq; depositis Regiorum se committerent arbitrio. Dictum factum: Et Hubaldus, lateralia arma seu enses retinere comiter gregariis indulgens, qvicunq; sub Rege stipendia mereri mallent, liberos esse jussit. Nec difficiles se præbebant illorum pleriq;: Nomine suo regiæ militiæ sine mora transcripto.

Ipsemet Præfectus Brandisius, & alii nonnulli hostiles haud infimæ notæ Duces, qvi è vulneribus ad Lipsiam acceptis ægri hîc decumbebant, captivi remansère. Interq; hos Baro Mercius, sub Piccolominæa Legione summus vigiliarum Præfectus, & bini eqvitum Magistri. Hubaldus sub Tribunus, ob strenuum hoc facinus dignitate ac nomine Tribuni à Rege cohonestatus, peditum eqvitumq; delectus ingenti statim concursu habere cœpit.

Hanoviâ inopinatò in potestatem redactâ, Rex, victoriâ ritè usurus, cum omni Exercitu, haud longâ morâ interpositâ, Herbipoli ac Carlstadio movit, & utriq; Rheni ripæ insistens, Aschaffenburgum perrexit: Gulielmo qvoq;, Hassiæ Landgravio, cum copiis, qvantascunq; præsidiis, salvâ propriarum dicionum securitate, educere posset, Mœnum Rhenumq; versùs properare, & regio Exercitui se jungere jusso. *Rex Mœnum cum Exercitu descendit.*

Nam hic qvidem, simul ac Tilliani Exercitus abscessu respirandi spatium, & aliqvid tentandi occasio data est, pridiè Nonarum Octobris, Mundæ Urbem, Visurgi incumbentem, aggressus, &, tormentis dispositis, deditionem Præfecto loci imperans, illo jussa ab initio detrectante, aliqvot ictibus, incutiendi magis terroris, qvàm ruinæ edendæ, mœnia salutârat, &, qvid nunc animi de deditione ipsi foret, denuò exqvisitum ierat. Qvo à prioris responsi rigore non modicum remittente, & postulatis ejus aures præbente, de legibus deditionis eâdem adhuc vesperâ hoc pacto conventum: Ut præsidium cæsareum, impedimentis armisq; salvis, & signis expli- *Hassus, post Mundam occupatam, eò qvoq; tendit.*

explicatis, Gottingam, vicinam Urbem, discederet. Landgravius autem hoc loco potitus, non contemnendam Paderbornensis dioeceseos partem, & contermina qvæq; Westphaliæ milite suo complectebatur: Tributis, qvousq; armorum terrore pertingere daretur, continuando bello, imperatis, & diribitoriis novisq; delectibus institutis. Non diu tamen post, de Regis voluntate certior factus, posthabitis aliis, qvæ animo moliebatur, huic obseqvi satius duxit; & cum triginta eqvitum alis, qvatuor peditum Legionibus, nec non collecto è popularibus sesqvimille militum numero, qvò Rex jusserat, Mœnum, scilicet, Rhenumve versùs, in viam se dedit.

Rex Aschaffeburgum & Stenhemum in fidem recipit.

His in oris, qvi Cæsarianorum Aschaffenburgi agitârant præsidium, Regis adventum opperiri noluerant: Loco priùs direpto; saluti suæ maturo discessu consulentes. Qvo haud magnâ mole occupato, Rex Hanoviam & Stenhemum porrò contendebat: Posteriori huic, Cæsarianis arma obvertentibus, vim admovere coactus. Post muri autem partem tormentorum violentiâ dejectâ, hiqvoq; deditionem & liberum abitum pacti: Nec, eo tamen obstante, qvò fortuna, eòdem animis inclinantes, pleriq; in Regis stipendia transière.

Cum Francofurtensibus transigit.

Hinc Francofurtum ad Mœnum rectà itum: Qvò Rex Philippū Reinhardum, Comitem Solmensem præmiserat; tentaturum, Num Civitas bono induci posset modo, ad aperiendum Regi portas, & communi Protestantium bono, admittendum ejus præsidium? Alioqvi, qvod spontè negaretur, vi extorqvere paratum, haud obscurè significans. Et Francofurtenses sanè tritam de Neutralitate impetranda cantilenam, variis causis in medium allatis, ab initio occinebant Regis auribus: Sed surdis, & ad hæc talia obturatis. Regi enim fixum ac immotum stabat: Ulterius haud progredi, nisi Urbis hujus omninò securus foret. Necessitatem enim id & rationem belli flagitare: Meliùsq; à Patre ac Majoribus edoctum, qvàm ut locum ejusmodi magni momenti, nisi præsidio suo firmatum; à tergo relinqvere deberet. Ne ergò in hostes euntem differrent superfluâ, nec profuturâ ipsis morâ, aut suspicionibus seqvioribus & diffidentiæ indulgerent. Necessarium hoc jam esse, non arbitrarium, & amicam viam recusantibus vim admotum iri: Supersedere tamen hac malle, &, ne ipsi ansam præbeant, rogare. Ad hæc Senatus de transitu tandem eqvitatui, impedimentisve per Urbem turmatim concedendo, pedite verò navibus ac cymbis Mœnum infra Urbem trajiciendo assensus, præsidium tamen deprecabatur: Et Rex declaratione isthac paulò magis contentum se ostendens: non nisi sexcentos suorum Saxenhusæ recipi postulabat. Interim, dum Civitatis Legati in Urbem regrediuntur, de re omni relatum, Rex, non exspectato ulteriori responso, progressus, decimo qvinto Calendarum Septembris, summo manè ad Saxenhusam instructâ acie stitit Exercitum; Civitati brevibus insinuans. Ob prægnantes causas illicò, Urbem ipsi transeundum: Amputatis ergò ambagiosæ moræ diverticulis, recluderent portas.

Factum id qvoq;: Et decimoqvinto, qvem diximus, Calendarum Septembris, potior Exercitus pars, tormentaq; complura cum instrumento, Saxenhusam, sexcentorum tamen præsidio illic relicto à Rege firmatam, ingressa, atq;, ponte qvi Mœnum jungit, tramisso, Bockenhemianâ portâ Höchstam, Electoris Moguntini oppidum versùs, iterum egressa, mediam Urbem transiit. Qvo in transitu Rex singularem erga cives humanitatem, aperto capite, & exporrectâ fronte blanditer passim obvios salutando, præ se ferens, animos hoc ipso adeò sibi lucrabatur: Ut nemo non de ejus adventu sibi gratularetur.

Rex Höchstâ in potestatem redigit.

Höchsta eodem adhuc die, circa decimam vespertinam Regis arbitrio se dedidit: Præsidiariis, ad trecentos, regia signa promtè secutis.

Postridiè rursus eqvitatus pars, impedimentorum, longo tractu viantium, terga claudere more belli sveta, Urbem traducta: Militum qvoqve, tormentorum, aliorum belli instrumentorum, impedimentorumq; numerus

merus non exiguus navibus Mœnum devehi; & ultrata insuper ripa, promiscuo militum, calonum, impedimentorum, Höchstam versùs tendentium, agmine calere conspecta.

Cum Georgio, Landgravio Hassiæ, de Russelsheimi arce paciscitur.

Höchstæ cum Georgio Hassiæ Landgravio, Darmstadensis stirpis, de Russelshemi castro potestati regiæ permittendo actum: Iisdemq; ferè legibus, qvibus qvarto Iduum Maji Spandoa Regi ab Electore Brandenburgico tradita fuerat, decimo tertio Calendarum Decembris, transactum.

Cui, Pacis pararium se offerenti, luculentæ conditiones cōcessæ.

Landgravius tamen præter has leges, *de fide & obedientia, quam Cæsari deberet, & Neutralitate servanda*, expressè protestabatur. Qvam protestationem Rex, pacis tractatus, qvem ille prætendebat, respectu, haud difficulter admisit: Qvo Landgravius ad interponendum se inter belligerantes utrinq; partes, & honestam ac tutam Pacem eò citiùs conciliandam, tanqvàm neutri parti addictus aut obnoxius, magis idoneus foret. Imò præmii loco, pro suscepto hoc labore, provincias ejus, donec de tractatus exitu constaret, ab omni pecuniæ exactione, militum hospitiis, diribitoriis, & similibus, qvæ bello comitantur, incommodis immunes fore, spopondit.

Landgravius enim (ut hoc addamus) Pacis ineundæ mentionem apud Regem injecerat: A parte Protestantium semet, & Marchionem Brandenburgensem, qvi Culmbaci sedem habet, à Cæsaris verò & sociorum latere Leopoldum Austriæ ArchiDucem, nec non Wolffgangum Gulielmum, Comitem Palatinum Rheni, huic rei offerens pararios & mediatores. Qvi tamen tractatus, licet Rex, qvemadmodùm diximus, in aliqvo eum numero habuerit, in prima statim herba exstinctus, ne in florem qvidem se induit: Tantum abest, ut ullos fructus maturos proferret.

Duodecimo Calendarum Decembris, Rex Francofurtum rediens, in ædibus, Braunfelsæ appellatione insignibus, divertit; & cum Civitate, nec non Wetteraviæ Comitibus, qvi ad regii adventus famam certatim eò convolârant, tractatione de certis rebus habitâ, decimo Calendarū Höchstam denuò se contulit. Ubi ejusdem jussu, in arcis sacello sacra, Protestantium more, peracta, &, ob Francofurtum exiguo negotio in partes traductū, supplicatio solennis instituta.

Moguntinus Elector defensioni accingitur, Hispanis in Urbem receptis.

49. Moguntinus Elector, in se fabam jam cudi, facilè sibi persvaserat: Maximè, qvod Regem multa congregare navigia, crassis qvernis asseribus, loricarum instar, ad latus prætexere, palarum, rutrorum, similium, moliendæ terræ, instrumentorum magnam comportare copiam, Gulielmum qvoqve Hassiæ Landgravium, eidem junctum, pro comperto haberet. Itaq; ipse econtrà ad defensionem seduiò se comparare; Regiosq;, ne, navigiis Mœnum devecti, in ultratam Rheni ripam evaderent, impediturus, palis crebrò impactis, & navibus, qvæ ingentium saxorum mole implêrat, demersis, Mœni ostium, qvo in Rhenum se exonerat, obstruere conari: Hispanis ultra bis mille intra Moguntiam, Urbi defendendæ, admissis. Ipsemet verò, Wormatiensi Episcopo comitatus, secundo Rheni fluento Coloniam, majoris securitatis ergò, se recipere; cum pecuniæ & rerum qvarumcunq; pretiosarum thesauro. Hispani etiam, qvibus Moguntiam tuendam commiserat, ampullari, & verbis sesqvipedalibus feroculi, magnificè jactare. Dum vel unicò ipsorum sangvinis calidi gutta superesset, infestis in Regem animis ac armis fore; nec Urbis hunc potiturum: Qvinimò in cineres ab ipsis potiùs redactum, qvàm hosti deditum iri.

Regii Rhingoā invadunt & occupant.

Intereà Rhingoam, ab Hispano munimentis qvibusdam firmatam, & valido præsidio infessam, Regii adorti, expugnato in Walloffii oppido, qvicqvid in armis repertum, neci dederant: Provincialibus qvoq; nonnullis, qvi ab Hispano, ut arma caperent, persvaderi sibi fuerant passi, immaturæ temeritatis pœnas luentibus. Reliqvi regionis incolæ, exsolutâ priùs ob arrepta temerè arma, non mediocri pecuniariâ mulctâ, in regiam protectionem recepti: Ita tamen, ut Regi fidos fore, & qvotmensibus tantundem tributi, qvantum Moguntino Ele-

Electori hactenùs pensitaverant, collaturos sponderent.

Potissima regii Exercitus pars Casfellis è regione Moguntiæ, & illic locorum ad Rhenum, circa hoc tempus tendebat: In qvos Hispanus ex adversa ripa, qvadraginta, qvinqvaginta, sexaginta, usq; ad septuaginta pondo globos ejaculabatur; sed innoxiis plerumq; ictibus, & nullâ Regiorum jacturâ. Rex verò, Rhenum tramittere satagens, Erenfelsam munitam arcem, erga Bingium sitam & murinam Rheno circumfluam turrim, Bernhardi Saxoniæ, è stirpe Vinariensi, Ducis industriâ, jam occupârat: Qvandò, Tillium Noribergæ propinqvare, & egregiæ ac opulentæ Civitati, qvæ primoribus Germaniæ meritò accensenda venit, obsidium jugumq; minitari, relatum est. Hanc ergò neqvaqvàm deserere, sed suspensis, donec uberior occasio se offerret, qvæ de Rheno trajiciendo agitabat, consiliis, in tempore opem & promissas suppetias flagitanti ferre, satius visum.

Tillius Onolsbacū transit.

50. Tillius etenim, qvarto Iduum Novembris, Onoltzbacum se contulerat: Ubi, reperto divite armamentario, & insigni eqvorum, è vicinia à rusticis undiq; eò, velut in tutum receptaculum, congestorum, copiâ, Exercitum pariter omnium armorum genere, & rem simul tormentariam recentibus jumentis affatim instruere datum. Administrator qvoq; Magdeburgensis, qvem hucusq; secum circumduxerat, Dinckelspulam hinc, & Ingolstadum porrò ablegatus: Tillio ipsomet cum Exercitu Guntzenhusam movente, & ad decimum qvartum usq; Calendarum Decembris isthic commorante.

Ad Noribergam castra facit.

Decimo qvarto Calendarum Decembris Campiductor Pappenhemius, cum qvo, ut Lipsiensis inauspicati conflictus præcipuo autore ac incentore, Tillio, ex hoc tempore, haud adeò benè convenerat, vale ei dicto, in Westphaliam, res novas moliturus, discessit. Tillius verò, qvò Regem, circa Francofurtum rerum suarum tunc satagentem, concito alibi tumultu, à laboranti Rheni ripa retraheret, Swabacchum iter retrò legens, postridiè ad Noribergam Exercitum sistit. Ingentem pecuniæ summam, & commeatum à civitate minitabûdus postulans; sed utrobiq; repulsam passus. Qvâ acceptâ, Exercitum pagatim circumcirca Urbem distribuere, & ad obsidium instituendum, vimq; præsentariam faciendam cōparare se visus. Nec Noribergēses animis aut facto sibi deesse, sed defensioni pro viribus accingi, ac munimentis, qvæ moliri nuper extra antiqvum Urbis fossatum cœperant, attollendis noctes diebus continuare: Regii qvoq; eqvites, peditesve, Henrici Gulielmi Comitis Solmensis, hoc ipso tempore, duarum Legionum, unius eqvestris, alterius pedestris, delectus Noribergæ & finitimo tractu habentis, ductu, assiduis velitationibus Cæsarianos incurrere: Ex mœnium deniq; pinnis, & propugnaculis, maximè immani turrium, qvos aulicos scyphos vocant, mole, sicubi forsan hostium audentiores intra tormenti jactum insinuarent, sulphureus tormentarii pulveris nidor largiter illis propinari.

Ejus tormentarius pulvis flāmâ corrūpitur.

Dum ad Noribergam ita sedet Tillius, vimq; extremam Civitati minatur, accidit: Qvendam, qvi Ulmæ paulò antè stipendia merens, hac Lipsiensi decreto nuncium remittente, in Cæsaris militiam transire compulsus fuerat, & tormentarium deinde apud Tillianos egerat, hostium partes, conscientiâ dictante, deserere certum, pulveri tormentario funiculum ardentem clàm priùs applicare, raptimq; transfugere in Urbem. Hinc, qvicqvid ejusmodi pulveris in Exercitus usum Tillius secum trahebat, in flammam fumosve abiit: Qvo vicina aliqvot tormenta graviter qvassata, nec modicum prætereà Exercitui damnum rapidi ignis violentiâ illatum.

Tillius Noribergâ recedit

Præter infelicem hunc casum, miles qvoq;, maximè ille ex Lotharingiâ novitius, brumâ jam appropinqvante, ob cœli & frigoris inclementiam, variis morborum generibus affligi; adeòq; nec in castris sub dio longiùs duraturus, nec tantæ Urbi obsidendæ par videri: Noribergenses econtrà nullis minaciis terreri, sed strenuè omnia instruere ad sui defensionem. Tillius ergò laboriosæ & diutinæ obsidioni se implicare, &

Cc vires

vires suas, jam antè langvidas, atterere, haud consultum censuit: Sed, motis inde castris, Exercitum in duo agmina dispescens, alterum Lauffum, & inde per superiorem Palatinatum in Bohemiam contra Saxoniæ Electoris militem, qvi id temporis illic dominabatur, Cæsarianis opitubatum ire jussit; cum altero ipsemet Guntzenhusam repedans, Nordlingam iter sine mora instituit. Ubi Lottharingiacarum copiarum reliqviæ Rhenum versùs, illis in oris hiematum, seq; refocillatum, dimissæ. Qvorum Dux in sua revertebatur: Princeps verò Phaltzburgi, dum Bavariæ Ducem Monachii visitatum iret, morbo acri correptus, supremum isthîc vitæ diem egit. Qvicqvid copiarum supererat, Tillius partim per Risam in hiberna distributum, partim in Palatinatum superiorem ablegatum ibat: Ut hac ratione ora Danubii, & Bavariæ fines Exercitus objectu undiq; protegerentur.

Eâdem ipsâ die, qvâ Tilliani vasa ad Noribergam conclamârunt, in muri circuitu, ad nosocomii portam, non exigua antemuralium portio, cui è fascibus arenâ, & compactili ligno suggestum superstruxerant, duoq; in eo semimuralia tormenta, fundamentum muri vitium senio fecisse haud advertentes, collocârant, in fossam cum onere suo præcipitatum iit: Ita ut ex parte illam compleret, & aditum viamve aggressioni hostili qvodammodò sterneret. Qvod ut periculosæ plenum aleæ fuerat, si hostis Urbem obsidere instituisset: Sic, postqvam periculo jam defunctis accidit, pro singulari propitii Numinis nota habitum est.

Dum inter hæc Sveciæ Rex, Exercitu à Rheni ora reducto, qvam secundo Mœni flumine venerat, viam Herbipolim regredi parat; Noribergam, Urbis liberandæ, perrecturus: De Tillii discessu maturè certior factus, & hac curâ jam exoneratus, deposita ad tempus consilia resumsit, & ultrà Rhenum penetrare, transituq; obtento, ipsi Moguntiæ manum injicere, animum induxit.

Franco-furtensiû cum Rege conventio scripto consummata.

51. Cum Francofurtensibus tamen inita jam ante transactio scripto priùs comprehensa, & ad umbilicum perducta. Cujus vi Civitas recepit: *Urbem Regis ac Coronæ Sveciæ omniumq; Protestantium bono ac securitati, contra qvoscunqve Regis & Protestantium hostes, tuituros ac defensuros: Erga regium, qvod iis relinqveretur, præsidium, & nunc, & olim, candidè, fideliter, humanè se gesturos, nec qvicqvam contra, clam palamve, agitaturos consilii, nec qvicqvam facto ipsò contra molituros. Regi & Regiis, qvocunqve tempore, hinc inde transitum, seu cum toto Exercitu, seu cohortatim, turmatim, integrisve Legionibus præbituros, Regis verò hostibus præcisè denegaturos; tantum abest, ut Urbem in eorum manus tradere aut præsidium eorundem recipere vellent: Qvin hoc potiùs casu, donec sangvinis gutta reliqva, cōtra hostes pro focis suis dimicaturos: Qvod si Rex, imminente ab hostibus discrimine, præsidiū novo milite augere, necessarium arbitraturus sit, bonâ ipsorum voluntate id factum iri, parem tunc cives cum milite regio subituros fortunam, & pariter sub absoluta Regis directione, Urbis defensioni incubituros: Verbo ut dicamus, id facturos; qvod cordatos, Patriæ ac Religionis amantes Viros, jureq; clientelæ alteri devinctos deceat, nec non Regis securitas, tum belli, pro omnium salute suscepti ratio flagitet.* Vicissim Rex, *de Urbe neutiqvam destituenda, sed fideliter qvocunqve tempore protegendâ, & privilegiis ejus sartis, tectis conservandis* fidem interposuit; repromittens unà: *Si ad Pacis tractatum res deveniret, Civitatem pacto inclusum, & providè cautum iri; ne fœderationis hujus nomine post factam Pacem ulla eidem moveretur controversia.*

Hoc peracto Rex, ipsis Calendis Decembris Francofurto discedens, Darmstadium versus iter intendit: Cui Gernshemum, Moguntinæ diœceseos oppidum, Rheno assitum, vi minimè exspectatâ patuit. Ladenburgum qvoq;, Benshemum, Winhemum, Heppenhemum, Starckenburgi arx, & universus montanæ, qvam vocant, viæ tractus, ab hostibus deserta, in Regis potestatem concessêre: Qvi nihil antiqvius habebat; qvàm ut his in oris Rhenum opportuno aliqvo loco tramitteret.

Stocsta-

Rex transitû Rheni, hoste neqvicqvam renitente, obtinet.

Stocstadii ergò, ad qvadrantem milliaris à stellato, qvod Hispani è regione Oppenhemi excitârant, propugnaculo, ultimo Iduum Decembris scaphas nonnullas nactus, ipsemet, qvatuor tantummodò comitatus personis, in ulteriorem ripam loci situm exploraturus, trajecit. Ubi, dum in terram exscensionem facit, Hispani eqvites, excubias illic agentes, impetum in eum dedêre: Qvos tamen, raptis conscensis iterùm scaphis altum petens, frustrabatur.

Postridiè, septimo Iduũ Decembris, circa sextam matutinam, prius qvam in diem nox iret, tercentum è prætoria Legione ablecti milites, aut robora potiùs militum, Duce Nicolao, Comite Brahæo à Wisingsburg, ejusdem Legionis Tribuno, duobus grandioribus navigiis (qvibus, inter alia, adductis, nauta, Nirsteno oriundus, Regis, trajicere molientis, conatus validè promovit) impositi, transitus aleam tentare primitus jussi. Vix autem terram tetigerant, cum à qvatuordecim Hispanorum eqvitum ac draconum alis acerrimam incursionem paterentur. Et sanè malè ab initio habere Regem isthæc hostium impressio: Vereri enim, ne sui, & numero pauciores, & meri pedites, exiguâ loci opportunitate adjuti, anteqvam à citrata ripa veniretur subsidio, multitudine pariter ac rapido impetu eqvitum, eqvorumq; hostilium obruerentur. Comes autem Brahæus, cũ exigua, qvæ ipsum seqvebatur, manu, adeò strenuè & statim rem gessit, ut Hispani, ter summâ vi irruentes, ter insigni cum clade rejecti sint: Donec, adventantibus subsidiariis à Rege cohortibus, fugam arripientes, ripam Regi omninò liberam, transitumq; minimè impeditum relinqverent.

Et ita dictus Comes coronam sibi promeruit murali multimodis excellentiorem: Qvia primus omnium Regiorũ non mœnia alicujus Urbis transiluit, sed Rheni claustra, nescio fortiùs an feliciùs, perrupit, & hoste, qvi ripæ assiduus incubabat, submoto, valvas ulterioribus Regis progressibus, ad complures hostium, non Urbes, sed provincias subjugandas, patefecit: Qvam Coronam nos etiam jamdudùm pro Patria vitâ defuncti cineribus, ad Famæ & Æternitatis aram, jurè, meritò suspendimus.

In sempiternum memorabilis hujus transitus monimentum, eo ipso loco, qvo Regii primitùs Rhenum tramisêre, pyramis, eleganti structurâ, erecta postmodùm fuit: Qvam, utut hostium iniqvus livor, rerum illîc iterùm potitus, pessum dedisse feratur, rei tamen haud proletariæ memoriam ex animis hominum nunqvam eradet.

Hispanis repulsis, Rex, utriusq; ripæ jam potens, tormenta, eqvitumq; ac peditum Legiones aliqvot illicò Rhenum transportari imperabat: Ipsemet flumine tramisso cum Exercitu, hinc illinc, versùs Oppenhemum, nec non munitionem, qvæ ultra Rhenum Oppenhemo objacet, pari passû progressus. E qvibus stellata qvidem isthæc munitio deditione in manus ejus venit: Urbs verò, tum arx, redintegrato mox impetu, vi captæ, Hispaniq; (civibus, qvi jugi Hispanici dudùm pertæsi erant, operam adjutabilem dantibus, & qvamplurimis manus inferentibus) ad qvingentos trucidati.

Hispani Stenium ad Rhenũ deserunt, Lotthatingi Wormatiam.

Dum Regi ita ad votum omnia fluunt, Hispani & Lottharingi, qvos rapidi Rheni vortices non protexerant, mediocrium locorum munitioni fidere ampliùs non audebant. Prout, inter alia, illi Stenium, firmum satis propugnaculum, igne priùs subjecto destructum, deserentes, pars Moguntiam, pars Franckendalam se contulêre: Ex his Osselandius Tribunus Wormatiâ, liberâ Imperii Urbe, postqvàm satis acriter emunxerat, & exactionibus immodicis vexârat, cessit. Indignam hospitibus gratiam pro hospitio benignè præbito referens; qvinqvaginta tormentarii pulveris dolia, in cavum propè Divi Andreæ conjecta, incendendo: Qvâ flammâ plurima circùm ædificia graviter afflicta, & hominum non pauci ambusti.

Rex Moguntiam Hispanis extorqvet.

Rex, transitu Rheni obtento, Opṗehemiq; Urbe ac arce in potestaté redactis, fortunâ, cœptis blâditer aspirante, usurus, Moguntiæ statim Exercitum admovit. Et hic reluctari qvidem initio Hispanus manibus, pedibus; freqventissimisq; tormentorum ac lóngiorum

 tuborum

tuborum ignibus in propiùs subeuntes debacchari. Sed regio milite accessibus adeò brevi proximante, ut ab una parte vim tormentorum, qvibus è propugnaculo, in Divi Jacobi monte excitato, vehementissimè impetebatur, parum ampliùs extimesceret, ab altera jam in medio Urbis fossato versaretur, nec non, crepitaculo ad pratensem portam appenso, hinc etiam, & sic undiq; versùm minaretur aggressionem, flecti animorum iste rigor se passus est, & de legibus deditionis, ipsis Idibus Decembris, conventum: Qvarum vi Hispanus cum armis, impedimentis, duabusq; insuper machinis dimissus, & Mosellam atq; Lutzelburgensem agrum versùs à Regiis deductus.

In Urbe octoginta tormentis, centum viginti pulveris nitrati doliis, & insigni omnis generis annonariarum specierum, cumprimis vini, penu potitus, Rex in electorali arce divertit; &, in aulico templo sacris operatus, pro re feliciter gestâ supplicationem solennem habuit. Militum, qvi huic obsidio impensi, jactura intra exiguum numerum stabat: Inter alios tamen Axelio Lillio, Tribuno, è memorato superiùs propugnaculo, grandiore tormenti pilâ pes elisus erat: Qvem, ceu inutile jam membrum resecari mox necessum fuit.

Regii eosdem ad Mosellam malè mulctant.

Nonnullis post expugnatam Moguntiam diebus, Rhingravius cum Legione sua in novem Hispanorum eqvitum alas ad Trarbacchum impingens, post acre certamen terga vertere, tribus vexillis ademtis, coegit. Qvo facto, Simmeræ Urbs & præfectura, in manus ejus promtè veniebat. Baccharacum etiam, vini, qvod producit, generositate nobile, scalis admotis, paulò post ab eo de improviso captum: Cujus tamen arx (Staleccum vocant) in Januarium usq; seqventis anni obstinavit. Eandem sortem Bodobriga & superior Wesalia expertæ, Regios admiserunt.

Loca montana nonnulla, interq; ea Königstenum subjugant.

Gulielmus Hassiæ Landgravius, à Rege, ut in opposita Rheni ripa servaret, relictus, Falckensteno & Riffenbergâ, montanis arcibus, paulò anteqvàm Moguntia in Regis potestatem concederet, occupatis, Königstenum, munitissimum castrum, obsidione interim cinxerat: Qvam præsidiarii aliqvamdiu tolerantes, nono demùm Calendarum Januarii deditionem pacti, loco excesserunt. Castrum autem hoc & Comitatum annexum Rex Comiti Stotbergio, cui Elector Moguntinus olim ereptum iverat, restituit.

Caubam item, Gudenfelsiũ, & Palatinam arcem.

Idem Landgravius Conradum Uffelium, Tribunum, Caubam, Gudenfelsiũ, & Palatinam arcem in Rheno expugnatum, miserat. Qvi, ejus mandatu, secretò illuc se conferens, Urbemq;, octavo Calendarum Januarii, noctu desubitò irrumpens, præsidiariorum nonnullos cecìdit: Reliqvis partim in arcem, partim in turrim, qvam surinam vocant, raptim confugientibus. Repentina autem isthæc Urbis expugnatio non exigui momenti ob id visa: Qvod arx, Urbi imminens, à Palatina arce, valido adhuc hostium præsidio infessâ, hac ratione disjungeretur. Nihilo tamen minus istæ, utut ad deditionem statim invitatæ, & recusantibus vis admota foret, ad sextum usq; Iduum Januarii inseqventis anni obsidentium desiderium remoratæ: Qvandò demùm utriusq; arcis præsidiarii, tormentorum qvassus, & alias obsidentium artes experti, ad deditionem descenderunt; salvis armis, impedimentisq;, ac signis explicatis, dimissi.

Hispanus Wetteraviâ cedit.

Inter felices hos Regis, Regiorumq; progressus, Hispani qvoq;, in Wetteravia hactenùs dominati, rarescere cœperant: Wetzlariâ, & Geylhusio sponte suâ desertis.

Fridbergæ Præfectus, Ludowicus Verreikenius, Regi deditionem imperanti, injussu Philippi de Silva, supremi armorum Hispanicorum in Rheni tractu Moderatoris, hac in re qvicqvam statuere, sibi haud integrum responderat: Decendii inducias, rem omnem ad illum relatum, postulans, & impetrans. Intra qvod tempus Urbs & castrum Fridbergæ, per nonnullos Creutznacum ablegatos, ut præsidio, ulterioris ruinæ evitandæ, liberarentur, petierant; sed neqvicqvam: Legatis à Philippo de Silva ne admissis qvidem, & Præfecto, Urbem Castrumve, dum virium ac virorum

qvic-

qvicqvam superesset, iteratis mandatis propugnare jusso. Hoc tamen non obstante, Verreikenius, de conservatione loci desperans, militem præsidiarium Braunfelsam, arci huic eò meliùs prospecturus, ablegare: Ipse, cum familia sua, plus justo longiùs illîc moram trahens. Christophorus enim Hubaldus, regius Tribunus, Hanoviæ Præfectus, eo comperto, cum copiis nonnullis confestim advolare, castrum pariter ac Urbem, Regis nomine, occupatum ire, & Urbe qvidem milite vacuâ relictâ, castrum tantummodò valido præsidio munire: Verreikenio deprehenso in captivitate, jure belli, apud se retẽto.

Spira Nemetum, cum aliis ad Rhenũ Urbibus, Regis victoris arma veneratur.

Circa hoc idem tempus Spira Nemetum, libera Imperii Civitas, in Regis partes transgressa. Qvod simul ac Hispanis, qvi Germershemi & Neostadii hospitati hactenus erant, cognitum, dilapsi sunt inde: Oppidis his regium mox militem recipientibus. Similiter Landavia & Weisenburgum, qvod à corona agnomen sortitur, victricia Regis arma suppliciter venerabantur.

Regii cũ Philippoburgi præsidiariis, acri, ipsis tamen secundâ velitatione collisi.

Philippoburgum, munitissimum dioeceseos Spirensis propugnaculum, valido hostium, hoc tempore, tenebatur præsidio: Qvorum, vergente ad finem Decembri, circiter ducenti, Rhenum Rhenhusii transmiserant; Regiis, qvi Spiram freqventes commeabant, struentes insidias. Sed Horneckus Tribunus, exploratâ insidiantium subsessâ, cum eqvitibus nonnullis rectà illuc pergens, post aliqvod certamen eos fudit, fusosq;, octo in campo mortuis, nec non captivis octodecim in hostium potestate relictis, ad Rhenum in naves compulit: Qvas dum tumultuario qvisq; nisu insilire præfestinat, non pauci insuper, aqvis absorbti, periêre.

Manhemum stratagemate à Regiis interceptum.

Qvarto Calendarum Januarii Manhemum, Urbs munita ad confluentes Nicri ac Rheni fluminum, à Bernhardo Saxoniæ Duce, stratagemate interceptum. Summo etenim mane, cum trecentis suorum sub Urbem rectà & festinanter pedem ferens, excubiis inclamantibus, &, qvis esset, aut qvid sibi vellet, sciscitantibus, Cæsarianarum se partium, à Regiis, qvi vestigiis infesti inhærerent, premi simulabat: Reserarent ergò portas, & præsenti exitio amicos eximerent. Qvo paulò inconsultiùs facto, non hospitem sed hostem se ostendit: Et Germanorum qvidem militum vitæ parcitum; reliqvi ad ducentos qvinqvaginta ferro mactati. Maravallius Centurio, ejusq; signifer capti, sed, persoluto lytro, Hedelbergam mox dimissi: Ubi Urbis tamen Præfectus, qvod Manhemi amissionem culpæ eorum ascriberet, venientibus, loco adventitiæ, manu confestim injectâ, cis paucos dies capite truncari utrumq; fecit.

Rex, de commerciorum usu reducendo, mandatũ promulgat.

Eodem qvarto Calendarum Januarii, qvia Senatus Urbis Francofurtanæ de commerciis inter bellandum penè desitis, in antiqvum statum reponendis, nec non peculiari diplomate, majoris ergò securitatis, & qvò enixa ejus voluntas in omnium perveniret notitiam, muniendis, Regem interpellaverat, Edicto publicitus affixo, omnibus Tribunis ac Ducibus, tum gregariis etiam qvibuscunq;, qvà eqvitibus, qvà peditibus, sub capitalis poenæ comminatione, severè injunctum: *Ne mercatores, qvi Francofurti, vel alibi locorum negotiarentur, eorumve familiam, seu Protestantium, seu alterius Religionis, aut mercimonia minimè suspecta, & artificiales confecturas, cujuscunq; generis, sive intra sive extra mercatus tempora, detinerent, multò minùs vi spoliarent, ac diriperent; qvin potiùs tam emtoribus, qvam venditoribus liberum, nullatenùs impeditum, commeatum præberent, nullamq; vexationum aut exactionum inferrent molestiam.* Qvod Edictum, anno proximè subseqventi, instantibus nundinis iteratum; adjectâ non contemnendâ appendice: Qvâ *Ducibus & Præfectis militiæ, intra locorum, ubi hospitarentur, territorium, viarum & securitatis publicæ cura demandata, additumq;; si qvisqvam mercatorum inter vias latronum incursu expilaretur, illos ipsos Duces, qvorum intra terminos facinus perpetratum foret, ob id conventum, & ad spoliatos indemnes servandos, compulsum iri.*

52. In Franconia Gustavus Hornius, Campiductor, summæ rerum illîc

Hornius Mergenthemum occupat.

illic præesse jussus, dum Rex ad Rhenum victoriæ partæ adeò impigrè insistit, nec ipse interim feriari, aut otio torpere, sed arma in conterminum hostem, qvousq; liceret, extendere. Proximum illi ad manum Mergenthemum: Qvo Cæsariani, nisi vi seriò admotâ, haud videbantur cessuri. Hornius igitur cum pedite & eqvite nonnullo, qvantumcunq; raptim colligere potuerat, Herbipoli, tertio Iduum Decembris, movens, subitâ locum obsidione aggredi. Præsidiarii econtrà (ad qvingentos inerant) unà cum civibus ac incolis, initio qvidem bono esse animo, & acriter se defendere: Mox tamen, accessus brevi ad ipsa penè mœnia successisse conspicati, & tormentis, qvorum vasta pondera, ob hibernam viarum uliginem, & tenues jumentorum trahentium vires, Exercitum, ultimo demùm Calendarum Januarii, assecuta, se impeti sentientes, Hornio ad deditionem invitanti haud difficulter assentiri, resq; eò sine mora devenire; ut postridie, qvi decimus octavus erat Calendarum, arce & Urbe Regiis traditâ, Dinckelspûlam miles abiret. Gregariorum nihilominùs dimidia ferè pars, in discessu Duces suos frustrata, apud Regios remanere, & nomen profiteri militiæ.

Repertus hoc loco, præter duodecim tormenta, octoginta nitrati pulveris centenarios, & aliorum armorum, rerumq; militarium copiam non exiguam, insignis frumenti ac vini penus. Qvapropter Hornius, qvod arx satis munita appareret, nec nisi justo obsidio expugnanda, commeatus & rerum necessariarum velut horreum, cujus fundamentum non contemnendo initio jam substructû erat, hic erigere constituit: Ubi, qvicqvid annonæ in finitimis præfecturis deprehensum foret, congestû asservaretur.

Tum Winshemum, Post Mergenthemum Winshemi Urbem tentare placuit: Qvæ, utpote nullo præsidio constricta & occupatu facilis, (pronis in Regem urbicorum animis) & Regiis opportuna admodùm erat; utpote qvâ infessâ, communicationis cum Noribergensibus linea arctiùs connecteretur. Baro igitur Tscherotinius, subTribunus, cum aliqvot solummodò sclopetariorum delectorum centuriis, & dimidiatâ Baronis Cochtitzkii eqvestri Legione, subTribuni Cracovii ductu, illuc missus. Hic, decimo qvinto Calendarum Januarii, cum luce simul Civitati propinqvans, per qvendam familiarium Campiductoris Hornii literas, Magistratui tradendas, in Urbem præmandatum ire: Certos homines Senatorii ordinis, tractatum, & certâ ratione conventum emitti postulans. Inter hæc centum sclopetariis laterariam qvandam insidere; reliqvos in pago, qvi haud procul Urbe aberat, continere; eqvitatu autem portis, ne qvis egrederetur incubare, & rumorem spargere: Qvasi eqvitum aliqvot, peditumve Legiones essent præ manu; qvorum adventum præstolantibus acerbiores, qvàm nunc offerrentur, deditionis leges præscriptum iri. Comparere ad hæc universus Senatus, & expromtam ad Regis imperia obedientiam nomine civium offerens, petere: Commrearet cum ipsis in Urbem Tscherotinius; de omnibus specialibus porrò illîc acturus, & extremam negotio impositurus manum. Nec refragari is, portis tamen Urbis milite prius suo insessis; moxq; conveniri, de recipiendo intra mœnia trecentorum peditum, & centum eqvitum præsidio: Qvorum sustentandorum onus, qvia Civitas variis exactionum generibus omni penè facultatum habentiâ se à Cæsarianis exhaustam conqverebatur, in finitimos provinciales ex parte inclinandum veniret.

Et Heilbronnâ. Dum Tscherotinius hic negotiosus est, Hornius ipsemet, Sperreuterii, Witzlebii, & Baronis Cochtitzkii, qvotqvot superabant, eqvites, nec non sexcentos sclopetarios draconesq; assumens, Heilbronnam adoriri animum induxit: Qva in Urbe defuncti Principis Phaltzburgi integra, decem cohortibus constans, Legio, qvæ adhuc septingentorum validorum, & bello aptorum militum capita recensebat, hospitata, ipsos adeo cives, ne adversùs occupatos foris cum hoste interno motu insurgerent, armis exuerat. Referebant de hoc loco exploratores: Præsidiarios in portis tan-

tantùm, & medio Urbis foro, neutiqvàm verò in murorum & turrium pinnis, minùs in antemuralibus, obire vigilias. Decreverat ergò Campiductor regius; Certo loco, ubi fossa Urbis siccanea, antemuralia scalis admotis transcendere, inde per ostiolũ, qvo antemuralia è porta adeuntur, ad interiorem Urbis portam penetrare, eamq; appenso disjicere crepitaculo. In hũc finem aliqvot ejusmodi pyrabolares machinæ, & artifex, applicandarũ peritus, Stutgardiâ ut præsto essent, per Schavelitzkium Tribunum accurârat: Centurionem etiam, Wirtenbergensi agro oriundum, locorum in Urbe & accessuum omnium gnarum, ducemq; se exsecutioni insultus ultrò offerentem, in Urbem clàm biduo antè, qvàm eò moveret, præmiserat; stationum, qvibus vigilias præsidiarii agitarent, & loci, cui impressionem minabatur, positum sedulò, ex abundanti, adhuc semel exploraturum. Jamq; miles Mergenthemo Winspergum, qvod dimidium milliare Heilbronnâ distat, pervenerat; jam dictus centurio redierat, omnia in proclivi, locũq; designatum, haud advertentibus hostium excubiis, irruptioni patere, asserens; jam in eo res erat, ut exsecutioni mandaretur: Cum perpendere secum Hornius cœpit. Qvam ægrè miles, freno semel laxato, maximè noctu, qvandò, tenebris perditissimi cujusq; audaciam obumbrantibus, reverentia Ducum minor esse solet, à prædando coerceretur: Unde periculum; ne Civitas satis opulenta, qvæ fortunis suis communi Protestantium causæ, tractu temporis, multimodis inservire poterat, militari direptioni subjecta, uno momento pessum iret. Eventum qvoq; ejusmodi consiliorum & stratagematum in ancipiti esse nôrat, autoresq; hæc suos sæpiculè, vel minimâ circumstantiâ variante, frustrari: Qvod si contingeret, nec res cederet ex voto, præsidiariorum animos prospero successu inflatum, civium verò dejectum, adeoq; occupationem Urbis postmodùm difficiliorem redditum iri; qvam aliàs civium operâ haud adeò arduam fore, confidebat. Spes enim illi facta fuerat: Qvamprimùm regius ad Urbem compareret miles, cives, affectu in regias partes pronos, coituros in unum, præsidiariosq; aut adacturos ingratiis, aut bonis verbis, ut, deditionem pacti, Urbe excederent, inducturos.

Mutato itaq; in arena consilio sustinuit impetum Hornius, & à nocturno furto ad vim apertam transgressus, illucescente die, eqvites ac dracones in proxima planitie explicatis se ordinibus ostendere jussit; cum pedite, ne apertus campus paucitatem ejus proderet, loca qvædam Urbi subjecta, ut Carmelitarum cœnobium, & similia, insedit: Æneatore mox ad Præfectum Urbis ablegato, deditionem flagitans. Verùm is tubicinem ne admittere qvidem dignatus, (tantum abest, ut cum civibus sermonem serere, concederet) evectione tormentorum in sublimiores turres, & festinatâ operum, ubicunq; necessarium videretur, reparatione, ad defensionem enixè potiùs se comparare: Molendinum, qvod Urbis fossæ, qvà Nicrũ spectat, incumbit, & ipsum qvoq; fossâ aqvæ plenâ, cæmentitio muro extrinsecus præcinctâ, circumdatum, adeòq; non parum munitum existit, qvadraginta sclopetariorum præsidio firmans. Eo tamen non satis obstante Hornius, molendinum, obscuro noctis auspicatò adortus, primo impetu cœpit: Subcenturione, qvi cum imperio illìc erat, & triginta circiter militibus in potestatem redactis; reliqvis partim obtruncatis. Subjacebat autem Urbs ipsa eodem momento expugnationis periculo, si Regii irrumpentes scalæ, qvà præsidiarii ex Urbe & in Urbem vicissim commeabant, rationem illicò habuissent: Per hanc enim, ipsorummet hostium confessione, in munitiones interiores transcendere, & deniq; in Urbem ipsam penetrare, nullo negotio licuerat. Dum verò Regii moram nectunt, & alibi occupantur, obsessis sat temporis, qvo, scalam in Nicrum deturbarent, datum est. Manifestò tamen illicò apparuit: Animos eorum admodum infractos subitaneâ ac inopinabili hac jacturâ, tot simul militum, & munitæ adeò stationis: Maximè, qvia propugnaculum è regione situm, qvod defensioni Urbis præ reliqvis accom-

accommodum erat, destinatis in molendino delitescentium ictibus patens, adeò infestari exinde primâ luce cœptum; Ut nemo eo caput exserere tutò auderet; nedum ad tormenta in obsessores displodenda comparere posset. Nam in hoc ipso diluculo jam octodecim numero, interq; illos tormentariorum scientissimus, occubuerant. Campiductor ergo regius, deditionis mentionem denuò injiciendam, ratus, spe suâ haud falsus est. Qvamvis enim Præfectus Urbis respuere eam initio videretur, mox pronis tamen auribus admisit: Qvod non obscuris indiciis animadverteret; & militum vigorem langvescere, & cives in ipsum erecturos cornua.

Sic deniq; eò res devenit, ut, undecimo Calendarum Januarii, primâ luce, cum impedimentis, armis, signis explicatis, & fomitibus incensis, discederet. Præter ægros, qvorum non pauci, ad qvadringentos qvinqvaginta validos & arma portantes milites, Urbe secum educens. Reliqvi, natione Galli, regiæ militiæ nomina addixerant: E qvorum numero Covetto Centurioni ducenti sexaginta, & Margalio qvasi qvinqvaginta obvenêre. Exeuntes à qvinqvaginta Schavelitzkii Tribuni eqvitibus Philippoburgum & Spiram Nemetum versùs (huc enim ultrà Rhenum conterraneos suos seqvi desiderabant) deducti.

Civitas, dum Regii intromitterentur, reservare sibi conabatur aliqvam-multa: *Immunitates*, nimirùm, *& privilegia, qvæ Imperio accepta ferret, tum jura & consvetudines, diuturno usu inveteratas, sarta tecta fore; cives qvoq; suos, eorumve familiam, utriusqve Religionis, nec non tam Politici, qvàm Ecclesiastici Ordinis incolas, clientes insuper, liberos relictum & ab omni injuria defensum; nec asperiùs, ac cum aliis liberis Imperii Civitatibus, Protestantium doctrinæ addictis, qvæ in Regis convenissent manum, Francofurto, scilicet, Swinfurto, & Erfordiâ, cum ipsa actum iri.* Verumenimverò Campiductor regius articulum hunc, qvem Regis potiùs arbitrio decidendum existimabat, præjudicare noluit; expressis verbis protestatus: *Clausulæ hujus declarationem, qvòusqve dictarum Civitatum exempla ad Heilbronnam extendenda venirent, à Rege præstolaturum.* De cætero præsidii impositione ita se gesturum, repromittebat; *ut ne civium communioni aut damno, aut nimio oneri foret*: Certas idcircò vivendi leges militi præscribere, neve vel sic, ferendo impares, succumberent, *sumtus, in sustentationem militum erogandos, aliunde derivare, & in hunc finem, magnam omnis generis, fructuum, aliarumve annonariarum specierum copiam huc, velut in penarium, constituto ad id Commissario, congerere* pollicitus. *Obserandi & reserandi portas facultas, ut hactenus fuerat, ita imposterùm apud Magistratum Urbis remansit*: Cautum tamen, *insolito tempore, non nisi admonito prius Urbis Præfecto, & sic utrorumq; assensu ac mandatu patefactum iri. Claves autem Senatui relinqvi, & ne vectigalia, aliive Civitatis reditus à prævaricatoribus defraudarentur, civium stationem pariter cum militaribus excubiis sub portis tolerari, nocturnas qvoq; e vigilias more consveto obiri*, perfacilè assensus Hornius.

Huic, cùm situs, tùm munitionis causâ, tantoperè commodæ, ut paucæ superioris Germaniæ cum ea hac in parte comparandæ videantur, nec nisi exiguâ duorum aut trium militum jacturâ partæ, Urbi tuendæ Smidbergerus subTribunus cum præsidio qvadringentorum sclopetariorum tamdiu relictus: Dum Tribunus Schavelitzkius (cui hîc diribitorium assignatum) tantum militum cogeret; qvo prospicere Urbis securitati ipse posset. Adjiciebantur verò plures, ad pristinas, munitiones: Et cumprimis molendinum, qvod supra tetigimus, separatim ab Urbe, novis excitatis operibus, validè firmatum.

Heilbrunnæ casus Wimpinam, Ulmam ad Nicrum, alia minoris momenti loca simul obruit; ut Regiorum se arbitrio sponte permitterent: Qvorum Wimpinam Canofskio Tribuno, Ulmam subTribuno Helmstetero ad novos militum delectus habendos Hornius promtè attributum ibat. *Nec non alia loca.*

53. Tillius intereà cum parte Exercitus Nordlingæ, & circum- *Tillius Hornii armis Wir-*

circà

circà hactenùs hærebat: Qvi tamen, sex Legionibus, Cronbergicâ, nimirùm, (cui reliqvus Tribuni Baumgartneri, ad Lipsiam cæsi, eqves, velut supplementum, accensus) Schonbergicâ, Merodicâ, Aldringerianâ, tum draconum turmis, ac Isolani Croatis, ductu Aldringeri, ad Wirtenbergensis agri confinia pedem movere jussis, Ducatus hujus opes, & Halam Sueviæ, aliasve ejus Circuli conterminas Urbes, opima hiberna, emaciato suo militi destinaverat: Jamq; de hospitio Exercitui præbendo locorum incolas scripto interpellârat. Sed deditæ Heilbronnæ rumor, & Campiductoris Hornii vires in majus extollens fama spe conceptâ, animiq; proposito hominem dejecit: Ita ut, dictas Legiones ab instituto itinere revocari, satius duceret.

Wiltzbergi arcem minis expugnat.

Ne nihil tamen omninò ageret, &, ruente ad finem anno, nullum faceret operæ pretium, Wiltzburgo, castro Marchionum Brandenburgensium, qvi Onolsbaci sedem habent, munitissimo, ingenii machinas admovit; & Marchionissæ viduæ, unà cum sobole, dicionum hærede, hic commoranti, minacibus verbis, qvasi omnē provinciâ, nisi castrum traderetur, ferro & flammâ desolaturus, possessionem ejus extorsit. Qvæ ipsamet sanè, cum suis & pretiosis qvibusq;, Onolsbacum inde incolumis deducebatur: Qvicqvid verò tormentorum, pulveris nitrati, similium, belli usibus inservientium, qvicqvid etiam ab aliis, velut tuto loco, illic reconditum reperiebatur, hosti in commodum prædamve cessit.

Ungvis autem (qvod ajunt) in ulcere secutis temporibus castrum istud non Regiis modò, qvorum progressus validè sufflaminatum iit, sed omnibus in Franconia, Protestantium Religioni addictis; qvinimò ipsi Marchionatui Onolsbacensi cumprimis exitiabilis exstitit.

Hucusq; Anni hujus acta in Germania superiori, interq; illa felices maximè Regis Sueciæ successus, ac victricia arma, qvibus, post hostem ad Lipsiam acie pulsum, usq; ad exitum Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi primi, pontificios, Cæsaris partibus addictos, Electores, Principes, Ordines attrivit, recensuimus. Nunc, priusqvàm latum rerum, Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo secundo gestarum, campum ingrediamur, cogitationibus paululùm reflexis, advertere operæ pretium fuerit: Qvem in modum eandem cum Rege Religionem professi, partimq; fœdere illi connexi, in Saxonia superiori ac inferiori se hos inter Regis progressus gesserint; qvidve ejusdem miles, iis in oris residuus, fuerit molitus?

54. Et sanè dum Rex, ut diximus, armis in Germania superiori, qvaqvaversùm circumlatis, trophæa sua ad utramq; Rheni ripam figit, nec, qvas ad maris baltici littus reliqverat, copiæ desides se præbuerant; sed locis, qvæ in hostium potestate superabant, Rostochio, scilicet, & Wismariâ, è manu eorum vindicandis sedulam dederant operam.

Regii munimentū Varnemundæ ad deditionem compellunt.

Rostochii obsidio jam ante victoriam Lipsiacam initium sumserat, & in ipso obsidionis limine propugnaculum ad Warnemundam, ubi Varnus in mare evolvitur, dato terrâ mariq; impetu adoriri, deliberatione habitâ, è re visum fuerat. Id qvod octavo Calendarum Septembris factum, statimq; munitioni adeò propè successum; Ut tormentorum vis haud ampliùs extimescenda veniret: Mox humus, accessibus præparandis, sedulò egeri, simul verberatio institui cœpta; & diei nox, noctiq; inseqvens dies continuatus, nunqvàm intercisâ operum telâ. Nec sine fructu: Nam & tormentarius uterq; (tot munimento inerant) alterâ statim à cœpto obsidio luce, & militum, qvorum ad trecentos è Rostochii præsidio abletti hic servabant, qvamplurimi primo hoc fortunæ tentamento occubuerant. Accessus qvoq; tantâ celeritate promoti; ut propè jam ab hostili vallo abessent, & sub noctem aggressio tentanda decerneretur. Obsessi ab initio longioribus tubis strenuè rem gerere, nonnullosq; Regiorum interimere, alios sauciare: Septimo tamen Calendarum

Septembris circa qvartam pomeridianam, postqvam è struthionibus adnavigantibus, & duplici tormentorum suggestu acerrimè in eos detonatum erat, ad deditionem provocare, ac postulare, ut cum tormentis, re omni tormentariâ, armis, impedimentisq; abire permitterentur. Non recepêre amplissimas deditionis leges Regii, qvin, ut arbitrio ipsorum obsessi se dederent, ursêre potius: Unde subCenturio, & alius inferiorum Ducum (Tesserarium à munere tesseræ militaris exigendæ appellare lubet) mediâ velut viâ de deditione conventum, ab his ad obsessores ablegati. Inter hæc miles, Duci suo refractarius, & militaria munia detrectans, armis omninò abjectis, Cæsaris stipendia regiis mutare, palàm obtulit: Qvi cupidè à Regiis receptus; Piazzus autem Centurio, propugnaculi Præfectus, unà cum dicto subCenturione ac Tesserario, captivus retentus. In propugnaculo qvinq; ex ære, septem è ferro conflata tormenta, novendecim nitrati pulveris dolia, qvasi duodecim navalia funiculorum pondo, & aliorum bellicorum instrumentorum, nec non commeatus copiam mediocrem Regii nanciscebantur.

Regii Rostochium obsidione cingunt. Munimento ad Varnemundam & portu Rostochiensium in potestatem redacto, regius Campiductor, Achatius Tottius, Regis sui & Ducum Megapolensium nomine, vi omni in Urbem versâ, huic pariter subigendæ nervos validè intenderat; vallo jacto, accessibus proximè Urbis munimenta promotis, cuniculisq; qvibusdam actis: A qvibus tamen incendendis temperatum, ne in civium innoxiorum caput ruina redundaret. Crebris qvoq; eruptionibus, durante obsidio factis, variâ fortunâ certatum: Nihilq;, qvod in hostis noxam vergeret, ab hac illâve parte intermissum. Qvi Urbi præerat, Baro Virmondius, generalis vigiliarum Præfecti dignitate insignis, armis ademtis, insuper, qvò omnis tumultuum ansa præcideretur, publicis in locis duos, tresve, unà consistentes, verba commutare, nec non privata celebrare conventicula, civibus interdixerat: Mordicùs, & ad extremum usq; pro Cæsare Urbem asserere certus, &, Tillium ipsi haud defore, sed tempori subsidio venturum, indubiâ spe fretus. Pugnatâ verò ad Lipsiam pugnâ, Virmondium de clade suorum certiorem reddere, è re visum: Qvò, spe subsidiorum & liberationis evolutus, ad maturandam deditionem animum adjiceret. Qvod nuncium mirum ac insolens auribus ejus accidit, commentoq;, ac rei verè gestæ, similius: Petiit nihilominùs, ut certum, cui fideret, è suis, rerum statum accuratè exploratum, ablegare permitteretur. Haud abnuêre Regii: Modò, qvem mittere decrevisset, ad Tillium minimè, intervallo nimio jam absentem, verum Dômitzæ arcem, qvæ Cæsarianorum præsidio in propinqvo adhuc tenebatur, iter haberet. Itum illò ab isthoc: Mox reditum, & de rerum gestarum serie relatum. Hoc igitur atroci velut fulmine percussus Virmondius, qvod insuper militem spectare ad seditionem animadverteret, de Urbe dedenda pacisci cœpit: *Cui consiliendæ & expugnandæ Rex*, (ut ipsius Virmondii verbis utamur) *Tillium feliciter debellans, præsentissimam ruinam ediderat.*

Et in fidê, morâ aliqvâ interpositâ, accipiunt. Nec difficiles se præbere Regii, sed, obsessos nullâ adhucdum rerum necessariarum premi penuriâ gnari, in honorificas deditionis leges promtè consentire: Adeò, ut pontificius qvoq; Clerus, cum mundo & aliâ supellectile, Ducis item Fridlandiæ, qvos Megapoli regendæ præfecerat, Cancellarius, Consiliarii, Ministri, cum fortunis ac mobilibus suis, nominatim transactioni insererentur.

Pridiè itaq; Nonarum Octobris, præsidium hostile, è tribus, ut jactavêre ipsimet, millibus & ducentis, re certè ipsâ, ad minimum, bis mille qvingentis peditibus, duabus eqvitum Germanorum alis, & qvadraginta qvinq; Croatis constans, cum omnibus impedimentis, armisq;, signis ac vexillis explicatis, ardentibus funiculis, globulis ori inditis, prævio instrumentorum, qvibus Mars accendi solet, sonitu, duo tormenta semimuralia, & unum campestre, nec non aliqvid pulveris nitrati secum trahens,

hens, Urbe exibat: A Friderico Ilefeldio, eqvitum Magistro, & centum qvinqvaginta eqvitibus, trans Albim, Visurgim versùs deducendum.

Virmondius Halberstadiū adoritur.

55. Postqvam Virmondius hac ratione Megapoli emissus, Albi trajecto, jam ad Visurgis penè confinia, cum milite suo, salvus & incolumis, secundùm pacta conventa, venerat, Wolffgangus, Mansfeldiæ Comes, qvi in diœcesi Magdeburgensi & Halberstadensi rerum cæsarianarum summam administrabat, ab eo enixè contendit: Ut in Halberstadensem agrum retrò moveret, Urbemq; cognominem, à Regiis infessam, Bonninghusianorum eqvitum, qvorum novem vexilla recensebantur, accessione auctus, vi aggrederetur. Nec renuit hanc provinciam Virmondius; sed tribus, qvæ Rostochio eduxerat, tormentis dispositis, qvamdiu pulvis nitratus, qvem pariter Rostochio attulerat, suppeteret, acerrimam loci verberationem instituit: Ita ut mœnium dissoluta compages jam hiasceret. E contrario obsessi minimè feriari, sed ruinâ, ubi vitium murus fecerat, reparatâ, gnaviter ad defensionem accingi. Interim, ob pulverem omninò consumtum telâ verberandi muros interruptâ, proposito absistere coactus Virmondius, de rerum statu ad Comitem Mansfeldiæ referre: Qvid facto usus porrò foret, anqvirens.

Erat autem jam tum Magdeburgi Urbs, ubi dictus Comes sedem fixerat, à Johanne Bannerio, copiis nonnullis è Pomerania, Marchiâ & finitimo tractu coactis, eminùs indagine velut cincta, adeòq; res annonaria in arctum illic redigi cœperat: Unde Mansfeldius, qvò commeatus aliqvid in Urbem congerendi campum paulò laxiorem sibi aperiret, Virmondium & Bonnighusium, cum milite, cui præerant, paulò propiùs ut accederent, monuit.

Mox Wanslebæ omnimodam militis jacturam facit.

Dum ergò, Comiti obsecuti, Virmondiani Wanslebæ, Bonnighusii autem Legio in pago haud procul dissito (Domerslavium dicitur) ad tertium usq; diem hærent, & præcipua militiæ capita Magdeburgi tempus terunt, ecce Bannerius, qvi hostium motui inconnivis oculis intentus erat, ipsis Calendis Novembris, hostem vestigans, improvisus adest. Præcursoribus sub ipsa oppidi mœnia exploratum ire jussis. Incertis namq; rumoribus ferebatur, qvorsum hostis, Halberstadio digressus, se contulisset: Nec Wanslebam, cujus intra pomœria qvietus & restrictim se continebat, nisi exiguo præsidio teneri existimabat Bannerius. Præcursores autem hi cum eqvitibus, oppido prodeuntibus, & sclopetariis nonnullis tamdiu velitati: Qvoad Bannerius cum tribus, Ottone Sackio sub Tribuno, & totidem, Schaffmanno Duce, eqvitū alis adventaret. Priusqvam tamen penè locum positu commodum juxta Urbem occupare liceret, novem, qvæ diximus, Bonnighusianorum eqvitum vexilla è valle qvadam subitò in ipsum erupêre: Qvibus eqvite hoc suo objicere se Bannerius coactus. Acer hinc & anceps conflictus; Regiis nihilominùs, Deo fortunam aspirante, & milite strenuâ manu navante operam, ad extremum secundus: Ita ut, campo potiti, Cæsarianos, in fugam actos, partim, qvi Magdeburgum se recipiebant, sub portas usq; Urbis perseqverentur, aliorum, qvi ad sinistram magis dilabebantur, vestigiis in Brunswicensem usq; Ducatū inhærerent; donec nox atra fugientes protegeret. Certamine hoc bina vexilla, & nonnulli qvoq; militiæ hostilis Ductores in Regiorum manus devenêre: Interemtorum verò utrinq; haud qvisqvam reperiebatur, Decani, Vexilliferi, aut alæ Legati dignitatem supergressus. Sveci sub Tribuni Sackii eqvites, qvos Bannerius, qvo semper polluit, animi robore in hostem ipse ducebat, egregiè, atq; ut militares & cordatos Viros decet, se gessêre: A Schaffmannianorū verò parte, nisi, secundùm Deum, Caggius Tribunus, voce & manu pugnam ciens, jam fluctuantibus affuisset, laboratum, nec ex voto res successura fuerat.

Wanslebæ, haud magni momenti oppido, qvodcunq; militum inerat, Ducibus supremæ notæ, qvibus obediret, destitutum, cum Bannerio de legibus deditionis ad ejus præscriptū, ex æqvo & bono, agere confestim cœpit: Nec ille diu cunctandum ratus, eò faciliùs, qvia peditem neq; adduxerat,

neq; adeò festinanter, prout res flagitaret, accire, oppido vi expugnando, poterat, seqventi pacto cum iis transegit. *Signa*, nimirùm, *vexillave, sclopeta, sarissas, lateralia ad hæc arma, tum qvicqvid rei tormentariæ superesset, ut & eqvites caballos, sine fraude, primùm omnium in manus illi consignarent: Porrò, intra semestre spatium adversùs Regem, & fœderatos cum eo Exercitus, non militaturos, fidem darent: Deniq; milites, qvibuscunq; in regias partes transire allubesceret, si eqvis, sive pedibus mererent, à Ductoribus id facere ne prohiberentur; reliqvis Visurgim versùs in confinia suorum præsidiorum tutò deducti.* *Ductoribus insuper propria, & familiarium impedimenta jumentave permissa: Gregariis autem, qvantum humeris in mantica ferre possent, exportare licebat.* Accidit sub hæc, eqvites, peditesve, dum ex arce in oppidum descendunt, adversùs Duces insurgere, adeò asperatos, ut placari neqviverint, nisi honestæ missionis lenimento: Qvâ Ducibus extortâ universi in Regis stipendia transcripsêre nomina. Signorum unum à gregariis, dum cum Ductoribus altercantur, hastili confracto in frusta discerptum: Reliqva qvatuordecim peditum signa, & bina eqvestria vexilla Bannerio, unà cum expromta sua opera, obtulit miles. Peditum, qvibus Regis militia hic adaucta, mille septingenti, eqvitum centum triginta numerati. Ex illis Caggio integram octo cohortium Legionem præcipere datum: Reliqvi sub Germanos, Bannerio militantes, distributi; eqvites autem Tribuni Schaffmanni, & Wedelii subTribuni turmis successêre.

Calba & Mansfeldiæ arces Regiis occupantur.

Brevi post Calba, veteris Marchiæ arx, pariq; fortunâ Mansfeldiæ montanum & firmum satis castrum in Regis fidem se transdidit. Nam licut, posteriori hoc loco, præsidium hostile, dum Regii vim parant, intrepido primùm animo se defenderet, mox tamen, obsidentium vires insigni supplemento auctas, & accessus indefesso labore jam proximè castrum promotos, conspicati, de primo ardore remisêre: Deditionem, vergente ad finem Novembri, pacti. Cujus legibus cautum: *Ut qvicunqve regia signa seqvi detrectarent, siqvidem pontificiæ essent Religionis, intra sex menses, sin Protestantium, in perpetuum, contra Regem Sveciæ, & Saxoniæ Electorem arma minimè laturos, sacramento adigerentur.*

Wismaria Regiis obsidetur.

56. Rostochio, ut memoravimus, recuperato, regius Campiductor, Achatius Tottius, & Duces Megapoleos, non diu inutilem traxêre moram: Præsidio mille sclopetariorum, ductu Götzkii Tribuni, & Danielis Buchwaldii, proTribuni, Urbi imposito, cum reliqvo, qvi morbis non conflictabatur, milite Wismariam, unicè residuum in Cæsaris manu ad balticum mare portum, ubi armaturæ maritimæ potissimùm fundamentum collocârat, in continenti obsidio cingere aggressi: hocq; ipso Austriacum dominatum, toti mari baltico, ejusve accolis, jugum paulò ante minaciter intentantem, convulsuri penitùs, & radicitùs, imò eradicitùs exstirpaturi. Qvibus proximantibus Cæsariani, milite intra Urbem abundantes, validâ statim mille hominum manu erupêre: Sed post commissum tamen acre certamen, cæsis utrinq; non paucis, magnâ tandem cum clade repressi. Horum è numero Tribunus Italus, Adessa Pareyus, desideratus: E Regiis Breitenbacchius subTribunus; qvi hactenus factione non unâ strenuè se gesserat.

Cujus deditionem Grammius, certis legibus, paciscitur.

Deseruit hac ratione obsessos erumpendi pruritus, nec detrimentosam adeo aleam ulteriùs experiri libuit: Qvin potiùs, qvomodò honestis deditionis conditionibus obsidio explicari possent, agitare cœperunt. Hunc in finem Grammius, qvi loco præerat, Tribunus, non diu post factam eruptionem apud obsessores institit: Ut, cum bonâ eorum veniâ, Centurionem ad Baronem Tiffenbacchium, Cæsaris Campiductorem, ablegare liceret; de Urbis fidei suæ commissæ statu relaturum. Cui à Regiorum parte præbitus qvidem assensus: His tamen legibus. *Dictus Centurio, ratione itineris probè subductâ, itum reditumve suum sic dimetiretur; ut intra tres septimanas, aut mensem certè continuum reverteret: Tres tamen, qvatuorve dies pactioni fraudi haud fore.* *Interim*

terim summa deditionis capita à Grammio scripto comprehensum, Duciq; Megapoleos, ac regio Campiductori emendanda transmissum; arma qvoq; & operas militares utrinqve terrâ, mariq; suspensum; durantibus tamen induciis, propugnaculo, in insula, qvæ balenæ seu ceti nomen gerit, excitato, nil qvicqvam commeatus ex Urbe subvectũ iri. Qvod si, interea temporis, rerum necessariarum penuriâ ad deditionem compelleretur, his induciis id minimè obfuturum, sed firmas & illibatas non minùs venire servandas. Ubi deniqve de legibus Urbis dedendæ semel ingenuè transactum esset, Grammium sub reditum Centurionis, qvodcunqve tandem reportaret responsi, de Urbe & assitis munimentis in Regiorum manus consignandis, obligatum fore.

Qvas tamen non omninò servat.

His pactis conventis Grammius ipsemet haudqvaqvàm stetit: Qvamvis enim Gloccius, qvem ablegârat, Centurio, tempore stato rediret, varias tamen tergiversando moras nectens, & diem ex die trahens, circumducto deditionis termino, sub ineuntis Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi auspicia, Wismariæ adhuc hærebat. Tottio verò, ultimo Iduum Januarii hujus Anni, aurem vellente, & pari, qvâ conventum erat, fide, ad implendum, qvod convenerat, hominem urgente, tandem, omnis ulterioris dilationis rimam sibi præclusam conspicatus, moram præteritam qvalitercunq; excusando, excedere Urbe paratum se ostendit: Die egressus in Tottii arbitrium collatâ. Et in hunc modum, qvarto demùm Iduum Januarii, Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi subsecuta deditio: Cui præfixus dies jam ante ingressum hujus Anni præterlapsus fuerat.

Paremq; sortem subit.

Jam Wismariâ aliqvot milliaribus aberant Cæsariani, iter cœptum strenuè prosεqventes: Qvandò Grammius subCenturioni regio, militem sublegere tentanti, manum præcipiti satis ausu, inferri jussit. Qvod ubi Tottio cognitum, vehementi indignatione excanduit. Mordebat jam ante: Grammium, fidei priùs datæ leges migrantem, cum non exiguo regii Exercitus dispendio, aliqvamdiu protelâsse excessum. Accedere, qvod pro comperto haberet: Eum machinas nonnullas, & alia arma occultatè curribus secum avehere; Wismariæ autem ante abitum, dispoliatis navigiis, rudentes & id genus armamenta distraxisse, defodisse tormenta qvædam, variaq; perpetrasse contra pactorùm conventorum fidem. Has ob causas irâ exæstuans Tottiùs, Cæsarianos, misso raptim agmine, insecutus, aliqvammultos eorum in primo fervore cecidit. Ad bis mille capti regiæ militiæ nomen dedêre: Reliqvi hinc inde dispersi, & Grammius ipsemet, donec horum, qvæ ei imputabantur, sufficientem redderet rationem, Gryphiswaldiam abductus.

Wismariæ Regii, compluribus navibus, machinis noviter fusis, & ingenti rei tormentariæ, aliorumve instrumentorum, bello terrâ, mariq; gerendo præparatorum, qvæ Dux Fridlandiæ illuc, velut in principalem belli arcem, suo tempore promenda, recondiderat, copiâ potiebantur: Et, ut alia taceamus, vel in solo ceti propugnaculo, unum murale, septem semimuralia tormenta, cantatrix, & colubrina item una (sic proprio artis vocabulo Germani, id genus, indigitamus) ad hæc ultra centum qvinqvaginta nitrati pulveris centenarii, mille ducenti grandiores, in tormentorum usum globi, & decies mille plumbearum glandium, qvæ longioribus tubis emittuntur, pondo reperta.

Domitzæ arx ad Dominos suos postliminio redit.

Simul ac Wismaria in eum locum redierat, ut Grammius ad transfigendum se offerret, Lohusius Tribunus, cum copiarum parte Domitzæ arcem fuerat adortus. Qvod ergò subTribunus Straubius, qvi pro Cæsare hìc curabat, de liberatione aut subsidiis spem omnem irritam liqvidò sciret, nec ducendæ in longum obsidioni, aut commeatum suppetere, aut alia necessaria, adverteret, ad pactionem brevi descendens, decimo qvarto Calendarum Januarii, cum impedimentis, armis, funiculis ardentibus, globulis ori insertis, & sex signis expansis, loco exiit: Trans Albim, Mindam, ad Visurgim, à Regiis porrò deductus.

57. Dum

Inferioris Saxoniæ Ordines universim bello sepellendis accingũt, & Regiis jungi, paratos ostendunt.

57. Dum Megapoleos Duces restitutionis suæ armatâ manu satagunt, in Cæsarianis dicione suâ pellendis toti, aliorum qvoq; animi in inferiori Saxonia novos motus spectare, & de jugo, qvod Cæsar, Cæsarisve asseclæ cervicibus injecerant, excutiendo agitare cœperunt consilia. Universim namq; Circuli hujus Principes ac Ordines, conventu Hamburgi iterum celebrato, qvarto Iduum Novembris, *sex millium peditum, & qvingentorum eqvitum delectus, ad omnimodam Patriæ à Cæsaris & Cæsarianorum milite liberationem habendos*, decrevêre. Qvanqvàm autem de fœdere, & arctiori animorum, armorumve conjunctione, à Regis Veciæ Commissario, Johanne Salvio, qvi Domini sui nomine conventui aderat, cum Ordinum Legatis, mandatorum defectu, penitùs transigi non posset: *Memoratas* tamen *copias, communi consensu conscribendas, Regius, ad manum proximè repertis, conjungi*, è re omnium visum. Militem enim hunc suum, Circulo ab injusta oppressorum vi defendendo haud parem fore, sed inveterato hosti pellendo validiorem reqviri cuneum, & præsentissimam necessitatem incumbentem, præsentiorem flagitare liberationem animadverterant: Elector qvoqve Brandenburgicus per Legatos id eos interpellârat: Regii operam suam & expromtum auxilium ultrò obtulerant: Subsidiorumq;, è proximo affulgentium, opportunitas ad consilia hæc arripienda vel maximè alliciebat.

Nec stetit intra publici & communis hujus decreti carceres privatus qvorundam Principum affectus, sed propiùs in regias partes concessit.

Singulatim ArchiPræsul Bremensis, fœdere inito, pridem cum Rege convenerat.

Cumprimis ArchiPræsul Bremensis, conceptum, ob controversiam de administratione diœceseos sibi motam, & illatas multifariàm injurias, odium, qvod contectum & altâ hucusq; mente repôstum foverat, post debellatum ad Lipsiam hostem, senescente anno, palam erupit.

Vixerat is intemeratâ in Cæsarem fide, dum cum Rege Daniæ tumultuaretur, & Cæsari, magnificis ejus expurgationibus, promissisq; fretus, unicè adhæserat: Adeò ut, ob fidem Cæsari servatam, à Rege Daniæ Fimbriâ, proprii patrimonii insulâ, qvam Rex, bello fervente occupatam, Pace factâ non reddidit, mulctari mereret. Expertus autem paulò post fuerat: Exitiabili Protestantibus Anni millesimi, sexcentesimi, undetricesimi, Edicto suum qvoq; jugulum peti, & certo sibi demenso annuatim attributo, Cæsaris filium, Leopoldum Gulielmum ArchiDucem, diœcesi suæ intrusum iri. Qvapropter justâ indignatione motus, alibi dignitati ac fortunis suis stabilimentum qværere, ad Regem Veciæ, propinqvæ cognationis vinculo, junctum, se applicare, ejusq; patrocinium ac tutelam ambire, suborto hoc bello, decernebat. Jamq; nono Calendarum Julii eò res devenerat, Johannis Salvii, regii Commissarii interventu; ut de fœdere certis legibus iniretur pactio. Cujus in tabulis Rex Veciæ recipiebat: *Qvia ArchiEpiscopus cõqvereretur, malevolos & hostes in dicionibus, juribus, privilegiis suis, non modò præcipua diœceseos loca infestis præsidiis infessa tenendo, sed & mobilibus illic repertis indignè manus injiciendo, subditosq; iniqvissimis exactionibus gravando, multum ipsi creasse præjudicii; id unicè acturum se, omnesve convenientes inituram rationes ac vias, ut ArchiEpiscopus, ab ejusmodi indignitatibus liberatus, qvod ipsius esset, Deo & omni jure suffragante, ad dies vitæ qvietus retineret*. Vicissim Regi hic, *in præsenti bello, ad obtinendam communi Protestantium bono ejus intentionem, fidelem operam navaturum, militeq; & pecuniâ, qvantum status proprii facultas & securitas pateretur, adminiculaturum*, fidem suam obstrinxit.

Istud eorum propositum, qvò faciliùs effectum sortiretur, Anglo-Scotorum novi delectus, sub Marchione Hamiltonio Rex huc destinârat: Qvi ad Albis, seu Visurgis ostia in terram expositi, ArchiEpiscopo, res novas animo molienti, & militem in præfecturis Holsaticis, jure hæreditario possessis, finium muniendorum prætextu, pariter conscribenti, præsto forent.

Neqvicqvam ab

Hæc utut clanculò tractarentur, non potuêre tamen adeò in occulto habe-

his consilis tum dehortante Tillio.

haberi, ut Tillium, vigilantissimum & versutum senem, omninò fallerent. Is ergò impensè operam dare, ut re exactè compertâ, nascenti malo in ipsis cunabulis occurreret. Hinc interceptæ ab eo & resignatæ ArchiEpiscopi literæ: Hinc in provincia Wurstorum, qvam primam tumultus fore palæstram forsan autumabat, Ordines provinciales, conventu instituto, per Reinackerum Tribunum, gravi militarium hospitiorum comminatione, se obligare in scriptis adacti: In Cæsaris fide ac obedientiâ perstituros, nec qvicqvâ in Cæsaris, Imperii, & Cæsarianorum, qvi aut nunc apud eos commorarentur, aut commoraturi essent imposterùm, damnũ aut præjudicium molituros; qvin omnibus id viribus amolituros potiùs. ArchiEpiscopum qvoq;, literis ad eum datis, submonebat Tillius. *Ne intuitu ArchiEpiscopatus, ob attentatam ejus translationem, tum qvoqvam nato homine in tractatum descenderet, multò minùs, arma induens, infidæ externorum Principum amicitiæ se illigaret: Reverteretur potiùs ad meliorem mentem, & molitionibus ejusmodi suâ sponte abstineret.* Invalescentibus verò indies suspicionibus, contra Episcopum conceptis, etiam de dando in custodiam actum, jamq; faba in ejus libertatem cusa erat: Ni à persona, non postremæ dignationis, qvæ eodem tempore, dum consilium istud sub incudem veniret, nullius militiæ innexa, Tillium, ut honorarius miles seqvebatur, clam admonitus, anticipatâ Bremam fugâ, discrimini jamjam instanti caput subtraxisset.

Sed bellum debito citiùs exorsus, successu destituitur.

Licet verò Anglicanæ & Scoticæ copiæ, errore nescio qvo, non ad Visurgim aut Albim, sed in Pomerania appulerint, Tottio tamen Campiductori, maximè post feliciter pugnatam ad Lipsiam pugnam, à Rege injunctum fuerat: Megapoli ab hostium jugo liberatâ, huc vertere arma, & ArchiEpiscopo suppetiatum ire. Qvod priusqvàm fieret, ArchiEpiscopus, omnis moræ impatiens, cum novo, qvem conscripserat, milite, rei periculum facere constituit; ac Langwedelo primùm ad Visurgim, mox Verdâ occupatis, Clerum, qvi illic nidulatus fuerat, pontificium, captâ nuper sede iterùm ejecit. Et sanè prima in eum Cæsarianorum consilia cadere in cassum: Reinackero, qvi cũ octingentis peditibus, ducentis eqvitibus, & machinis nonnullis, exorienti novo hosti imminebat, re infectâ, retrocedente; dum Brema, præter Urbem, qvâ necessariò intra tormentorum jactum iter illi erat, transitum denegat. Nec ob id tamen abstitère proposito, sed Comiti Gronsfeldio in Comitatu Hojensi non diu post junctus idem Reinackerus, confecto trium millium Exercitu, Allerâq; tramissâ, in hostem uterq; tendentes, Langwedelum, Verdamq;, ab ArchiEpiscopo præsidio munita, recepère: Oppressis mox ubiq; & dissipatis ArchiEpiscopi novellis delectibus; qvorum reliqviæ Cæsarianorum manus ægrè elapsæ, Bremam trepido pede se contulerunt. ArchiEpiscopus ergò hac vice latibula sua revisere cogebatur: Nec solus ipse par Cæsarianorum armis; & regiis, ipsi destinatis, subsidiis, qvæ Megapolis adhuc occupabat, voto atq; ardore ejus tardioribus.

Georgius, Luneburgensis Dux, regiæ militiæ nomen dat.

Secundus ab ArchiEpiscopo Bremensi Georgius Dux Luneburgo-Brunswicensis in his oris regias partes palàm professus est; Regem Herbipoli adiens, ejusq; militiæ certis condicionibus operam suam obstringens: Acceptis eo nomine ad sex Legiones, qvatuor peditum, duas eqvitum, conscribendas, regiis diplomatibus.

Dux Brunswicensis ab Hasso suppetias flagitat.

Fridericus Ulricus, Dux Brunswico-Luneburgensis, similiter inter hos rerum motus, è Gvelpherbyti castro furtim se subducens, Brunswigam venerat, & bello, qvod hinc inter Regem ac Protestantes, Cæsarem isthinc cum sociis calebat, manum ipse qvoq; admoturus, missis ad Gulielmum, Hassiæ Landgravium, Legatis, auxilia flagitatum ierat: Gvelpherbyto & aliis locis, qvæ in agro Brunswicensi Tilliano militi adhuc tenebantur, circumsidendis, & tractu temporis ad deditionem compellendis. Qvos Landgravius comiter qvidem habere, nec subsidiorum spem omnem Duci præcidere: Sed *mandatum tamen regium, qvo Rhenum versùs properare jubebatur,* excusare, *tanqvam potiùs & re-*

& reliqvis omnibus respectibus anteponendum; remq; ad Regem ipsum integram remittere.

Mox cum Rege fœdus percutit.

Rex autem, circa hoc tempus, Ludowicum, Principem Anhaldinum, proRegem suum in Magdeburgensi diœcesi, mandatis idoneis ad tractandum cum memorato Duce instruxerat. Hinc factum, ut mox de fœdere cum Rege ineundo, Brunswicensi Legatos ad Anhaldinum mittente, inter eos agitari cœperit, certisq; condicionibus convenerit: Si tamen ratas illas Rex haberet. Mansit autem, defectu regii consensus, in suspenso fœdus, ad inseqventem usq; annum: Qvandò demùm, Rege approbante, ad exitum perductum est.

Parte tamen provinciæ per Neutralitatis pacta, hostilitati exemta.

Interim Dux Brunswicensis apud summum militiæ regiæ his oris Præfectum, Johannem Bannerium, id operam dabat: Ut certus territorii sui tractus, qvi & Gvelpherbyti præsidio & Regiis ad direptionem patebat, Neutralitatis beneficio hostilitate & militum injuriis eximeretur. Assensus est huic desiderio Bannerius; sed certâ ratione: *Si*, nempè, *ex locis istis tantundem sibi ac suis, qvantum hosti, & ita dimidia contributionum pars exsolveretur, incolæve non hosti magis, qvam Regiis obnoxii, intra neutrarum partium se continerent cancellos*. Regionem enim hoc pactò à vastitie conservatum iri, &, si, Gvelpherbyto violentâ aut lentâ obsidione cincto, præsidiariorum excursiones postmodùm inhiberentur, omnia isthæc commoda Regiis in solidum accretura, eminùs prospexerat.

Christianus Dux Luneburgensis cũ Rege in fœdus descendit.

Ulrici Friderici exemplum & vestigia subseqvebatur Christianus, Dux Luneburgo-Brunswicensis, familiæ Cellanæ princeps, & Mindensis simul Episcopus: Cui Pontificiorum, & præcipuè Francisci Gulielmi, Osnabruggensis & Verdensis Episcopi, importunitas, sede Episcopatus, qvam ultra triginta tres annos qvietè jam obtinuerat, pontificii decreti ac cæsarei rescripti obtentu, eum deturbare conantium, justam indignationem & bilem moverat. Hic ergò, *& suo, & fratrum, agnatorumve, siqvidem fœderi subscribere animum inducerent, nomine*, ultimo Iduum Decembris, cum Rege convenit: *Patrocinio ac clientelæ regiæ se submittens, & de certo tributo, è Ducatu Luneburgensi qvotmensibus pendendo, fidem obstringens.* Cui Rex, inter alia repromisit: *Operam daturum, ut Ducum Luneburgensium familia, arces, oppida & districtus, qvæ à Majoribus eorum Episcopatui Hildesiensi, sub reluendi pacto, pignori opposita, Clerus dicti Episcopatus, oblata debiti solutione, restituere injuriosè hactenus detrectaverat, recuperaret.*

Cum Electore Brãdenburgico de fœdere, sed nullo exitu, tractatur.

58. Sed, ut ex inferiori in superiorem Saxoniam transcendamus, Elector Brandenburgicus, utut de Spandoæ & Custrini munimentis, aliisq; nonnullis articulis transactum cum eo esset, justo tamen & perfecto fœdere Regi nondum devinciebatur: Qvapropter Rex Johanni Salvio, ad dictum Electorem, currente mense Septembri, ablegato, ut cum eodem de fœdere ineundo ageret, mandata dederat. Cui, pridiè Calendarũ Octobris scripto, ab Electore responsum. *Ejusdem cum Rege esse sententiæ, qvod nulla, aut tutior, aut præsenti statui accommodatior, via iniri possit, qvam si protestantes Imperii Electores, Principes, Ordines universalis fœderis vinculo cum Rege constringantur: Et in eum finem Regi imposterum fideliter cooperaturum. Nec à particulari fœdere, suo & Familiæ suæ nomine, cum Rege contrahendo abhorrere: Qvippe, præter sangvinis necessitudinem, qva Regi conjungatur, rationes rerum suarum Svecicæ Coronæ fortunis ita reperiri implexas, ut pari sorte stare, lapsuræve videantur; adeòqve jure, meritò sibi allaborandum, qvò inter regiam ac electoralem suam Domum, tum Regna, Electoratum, & utriusve provincias firma solidave amicitia, & confidentia minimè fucata, fundamento certi fœderis priùs jacto, inædificetur. Condiciones autem, qvibus Rex fœdus offerat, admodum momentosas, numerove complures apparere: Qvas exactâ judicii trutinâ singulas pensitare, & si qvid in qvaqve earum desideretur, annotare, tum, qvicqvid stipulari econtra à Rege è re sua arbitretur, scripto reciproco comprehendere oporteat. E diverso paucos*

Con-

Consiliariorum, quorum prudentiâ rem tantam ventilet, jam ad manum: Legati verò regii ad instantem Ordinum inferioris Saxoniæ conventum properantis, discessum diuturniorem haud ferre moram. Postulare itaq; ab hoc: Ut, re illic transactâ, denuo se sistere vellet, inchoatum fœderis opus consummaturus.

Et in hunc modum tela fœderis cum Electore Brandenburgico sub exordium imperfecta relicta, ne postmodùm qvidem, usq; dum fato Rex fungeretur, novis subinde emergentibus impedimentis, pextexi potuit.

Cæsariani utrâq; Lusatiam hostiliter irrumpũt. Ad Misniæ & Electoratus Saxonici confinia Cæsariani cladem, qvam Electoris causâ ad Lipsiam passi erant, vilipendere, nec eâ tam fracti, qvam irritati videbantur. Affecto enim jam mense Septembri, inferiorem Lusatiam irrumpentes, Gubbenæ Urbe direptâ, Luccâ autem ingenti æris summâ mulctatâ, Lubenam, compluresq; nobilium arces, tum præterea oppida & præfecturas nonnullas Electoratus, inter alia, Slibenam, Vulcano consecrârant: Inde in Marchiam penetrantes, & Furstenwaldam, Storcoam, Bescoam, impetu captas, deprædati. Qvin etiam valida Hungarorum & Croatarum manus, antiqvæ Dresdæ propinqvare erat ausa: Venatoriæ domus intercipiendæ consilium agitans; sed, vigiliis accuratè dispositis, repulsa, & spe direptionis, incensionisq; frustrata, in vicina horrea, igne subjecto, conceptam demùm bilem effundens.

Hanc insultantium hostium arrogantiam Elector diutiùs æqvo tolerare animo non potuit. Utut enim, cunctabundus hactenùs, & hostem, numero ac robore militum Exercitui suo, communi famâ, superiorem, solus adoriri reformidans, Bannerium de auxilio ferendo solicitâsset; Rege qvoq;, ut Bannerio id in mandatis daret, interpellato: Tandem, resumtis tamen animis, suos, qvinto Calendarum Octobris, Lipsiâ, ubi ab Urbe iterùm in potestatem redactâ hactenùs hærentes interqvieverant, ductu Johannis Georgii Arnhemii, Campiductoris, movere, Albisq; ponte ad Torgam superato, in Lusatiam inferiorem rectâ côtendere jussit. Qvorũ advẽtu nonnulla loca, maximè Hertzbergæ Urbs, à Cæsarianis acerrimè pressa, extremo discrimini erepta.

Cæsariani autem, reducto inde milite, in superiorem Lusatiam arma jam verterant: Obvia qvæq;, tum hic, tum in contermino Misniæ territorio, miserè depopulati. Bischoffswerdæ Urbs, inter hæc, oppressa, &, qvindecim hominibus obtruncatis, expilata; mox, adventante Saxonico milite, iterùm deserta: Baudissinum verò, Gorlicium, Sittoa, præsidium militare admittere, vi minisve adacta.

Neq; hic, simul ut Saxonicum militem proximare senserunt, diu subsistere visum; sed desertis, qvæ occupaverant, locis, pars in Silesiam, pars in Bohemiam concessêre: Sub colore tamen, qvasi à Cæsare ipso sustinere impetum & retrahere arma juberentur. Morsu buo fere cipiuns.

Utrumne verò reverà tale qvid in mandatis habuerint, an spontè prævenerint imminentem necessitatem, & qvod, viribus hosti impares, aliàs vi coacti & ingratiis facturi erant, superioris jussu fecisse, videri voluerint, altiùs disqvirere, nostra non interest. Non de nihilo tamen omninò fuisse, qvod de mandato obtendebatur, vel inde conjicimus: Qvia pertinaciùs resistentes, remoram Cæsaris machinationibus erant allaturi. Cæsarea enim aula diversam ab armis viam ineundam sibi arbitrabatur: Qvâ exulceratus Electoris Saxoniæ animus verborum lenimentis mitigaretur, Cæsariq; & Domui Austriacæ, remotis diffidentiæ subortæ obstaculis, reconciliatus, à Rege Seciæ, atq; aliis fœderatis abstrahi posset.

Hispanie Orator Electoris Saxoniæ animum tentat. Qvod verò cæsareo culmine indignum foret, ultrò Electorem adire, arma præcipitanter illata excusare, &, crimen velut agnoscendo, supplicare inferiori: Ideo Marchio Codritanus, Regis Hispaniarum ad aulam cæsaream Orator, ut instrumentum huic rei percommodum, electus; cujus interventu destinata, dignatione Cæsaris salvâ, peragerentur

rentur. Hic ergò Orator, Paradisero Tribuno Viennâ Dresdam ablegato, Electori tendiculas seqventem in modum struxit. *Regem suum de saluberrima ac stabili Pace in Imperio Romano ineunda, conservandave multoties, & multimodis fuisse sollicitum: Imprimis Oratori suo strictè in mandatis dedisse: Eniteretur summo studio, ut ne amicitia, quæ inter ipsum, & universam Domum Austriacam, nec non Saxoniæ Electorem arctissima compagine coaluerat, fatisceret aut dissolveretur; qvin sarta potiùs tecta maneret. Qvia verò multa nuper, nescio qvo fato, acciderint, quæ si invalescant, dissolutionem magis, qvàm ulteriorem conservationem pristinæ amicitiæ, fiduciæ, Pacis ac concordiæ ominentur; eapropter Regem suum animo ac cogitationibus eò unicè collimare, eò omnes intensurum vires, ut malo huic, anteqvam ingravescat, opportunum interventu suo inveniatur remedium: Modò, Electori id qvoqve non ingratum fore, appareat. Consultum autem ipsi videri; ut Elector gravamina atqve postulata sua scripto aperiens, duos e suis, auctoritate & qualitatibus tantæ rei tractandæ pares, ad certum locum ableget: Totidem ut à Cæsare illuc mittantur, Oratorem, nomine Regis sui, daturum operam, & ad dissidia, quæ jam suborta sint, in prima herba, quod ajunt, supprimenda, futurorum qvoqve semine remoto, omnem lapidem moturum.*

Sed repulsa patitur.

Huic Oratoris Hispanici Legationi longè alio, ac ipse mente præceperat, votisq; optabat, responso Saxoniæ Elector occurrit. Et in limine qvidem, *cùm amicitiam, quæ utrique, Austriacæ & electorali Saxonicæ Domui à multis retrò annis intercesserat, tum officia haud proletaria, quæ ipsemet Domui Austriacæ, inter tot incursantia adversa, hactenùs præstiterat*, Oratori ad animum revocabat: *Non Lipsiensis conventus decreto, non qvovis alio modo, qvicqvam commisisse* demonstrans; *qvamobrem temeratarum Constitutionum & consvetudinum Imperii insimulari, aut amicitiæ violatæ incusari potuerit. Porrò, dum Svevicus & Franconicus Circulus ad nuncium Lipsiensi decreto remittendum, vi ac armis adiguntur, connivisse ad id summâ patientiâ & spe meliorum: Similiter dum Tillius, ipso, ut Circuli Præfecto, insalutato, Saxoniæ Ducatum invadens, prædandi licentiâ omnia miscet, & ne Electoris qvidem subditis, malo per contagionem in vicina qvæqve grassante, parcit, patientiæ malagmate, justum adhuc leniisse dolorem. Qvinimò, qvod hostilia de Cæsare nunqvam sibi imaginaretur, Furstenbergio, cujus tamen modicas copias armorum suorum objectu remorari, & ita Cæsarianorum vires aliqvantulum debilitare in proclivi fuerat, tutum & expeditum per confinia sua præbuisse transitum. Demum postremos Tillii Legatos, utut mandata ipsorum, qvorum exemplum Electori communicarant, aculeatis & altiùs penetrantibus verbis differta reperirentur, placido & excusabili dimisisse responso: Qvod morbum sanaret, non irritaret. His tamen insuper habitis, Tillium cum Cæsaris Exercitu irrupisse fines suos, & adeò atrociter rapinis, incendiis, aliis detestandis facinoribus grassatum: Ut nec penna describendæ crudelitati par sit, nec animus absqve acerbo sensu memoriam ejus recolat, & ipsa barbaries vix qvicqvam viderit magis barbaricum. Qvod ergò nec precum exorabula, nec rationum in medium adductarum momenta, nec expromtarum oblationum persvasiones qvicqvam penitùs proficerent, nullaq; secundum DEUM, nisi in armis, spes superaret, tandem, Sveciæ Regi vires suas jungere, invictâ necessitatis lege fuisse compulsum. Inde mox, rei eventu aciei aleæ commisso, summi Numinis providentiam omnipotenti sua dextera à justitia causæ stetisse, & post anceps ac sangvinolentum certamen Regi Sveciæ, ipsiq; victoriam clementissimè largitum. Qvam infensum hostem deinceps Aldringerus, in Hennebergensi, qvi Electorem Dominum agnoscat; Comitatu se præbuerit; qvam immaniter & tyrannicè, rapinis, incendiis, cædibus, Campiductor Cæsaris, Baro Tiffenbacchius, in aliis dicionibus suis debacchatus sit, manifestum esse, & ipsis-*

& ipsissimam, hac grassatura pluribus locis inductam, loqui vastitiem. Hinc cuivis sole meridiano clarius apparere: Quantus candor, fides, obedientia, quanta circumspectio & reverentia, constantia & Pacis amor quantus, quanta denique patientia ex Electoris actionibus eluxerit; è contrario quàm perperam ac hostiliter cum ipso actum sit. Summa tandem responsi principaliter eò redibat. *Hoc rerum statu, & his circumstantiis particulares ejusmodi tractatus haud esse è re Patriæ: Plurimorum enim exemplorum experimento doceri; salutarem Pacificationis metam nullatenùs attigisse, sed novis potiùs & vehementioribus turbis aperuisse fenestram. Nec recedenti Electori à Regis & aliorum Protestantium societate prætextum aut excusatiunculam ullam suppetere, quibus facinus tantum velaret. Si tamen universalis, honesta, tuta, & stabilis Pax Cæsari cordi foret, & Elector ad eam adipiscendam conferre quicquam posset, pro eo, quo pacifica consilia semper amplexus sit, affectu, ab æquis rerum æstimatoribus in ipso nil desideratum iri.*

Saxoniæ Electoris miles magnam Bohemiæ partem, ipsamq; Metropolim, Pragam, inundat.

Ita Hispanicis artificiis frustrà hac vice insumtis, ab Electore, ad talia immoto, Campiductor Arnhemius, cum Exercitu, in Bohemiam rectà pergere jussus. Cui fortuna, inter prima rerum principia, satis blanditer arrisit: Ita ut Sluckenoæ Urbs, Tetschenæ Urbs & arx, Aussicum itidem, Teplicium, tandem etiam Litomericium, & alia loca, nemine resistere auso, in potestatem ejus transierint.

Cum etiam paulò post, secundo rerum successu longius provectus, Pragæ omnibus viribus immineret, primores incolæ, regiiq;, inter hos, ministri vel maximè, cum proRege, & potissimâ Cleri parte, fugam arripuêre: Qvos miles Cæsaris, utut è Silesia huc missus, defensionem primò meditaretur, mutato mox consilio, unà cum Duce Fridlandiæ, Balthasare de Maradas, Magnate Hispano, Wangelero, aliis secutus, residuos Cives, velut dispalatum sine magistro gregem, omne præsidio viduatos, reliqvêrunt. Inde factum, ut Arnhemio proximante, tubæq; occentu deditionem flagitante, aut recusantibus minitante hostilia, certos homines è singulis Urbibus (tres autem numerantur) electos ablegârint, de legibus deditionis acturos; &, re celeriter transactâ, Saxonicos, portis reseratis, in Urbem admiserint.

Brevi post Pragam deditam Cæsariani ad Limburgum cum Saxonicis congressi, cladem patiebantur non mediocrem. Egra qvoq;, civium, cum hoste colludentium prævaricatione, Elleboga deinde, Schlackenwerda, Falckenoa, alia complura oppida, in Saxonicorum concessêre arbitrium.

Occupatis itaq; tot tanti momenti Urbibus ac locis, maximè Metropoli in potestatem redactâ, videbatur Saxoniæ Elector Bohemiæ Regnum firmo adeò & solido vestigio premere: Ut non verendum foret; levi negotio iterum inde expulsum, & de statu, qvem cœperat, dejectum iri.

Cæsar Fridlandio summum armorum imperium iterùm defert.

59. Alternante sic rerum vices hoc anno, & Cæsari, cujus votis diu satis abblandita fuerat, occipitium obvertente fortunâ, Viennæ in aula cæsarea consternationis ac qverelarum omnia plena erant; tum dolore præsentium, tùm futurorum formidine. Maximè, qvia cum Electore Saxoniæ vulpinari voluisse, parùm juverat, nec ullis verborum blandimentis ab fœderatione, qvam cum Rege Sveciæ inierat, is abduci se patiebatur: Qvin potiùs, violentâ in Bohemiæ Regnum impressione factâ, insignem ejus partem, unà cum Metropoli, Pragâ, occupârat. Vulpinâ itaq; pelle depositâ, leoninas exuvias, qvas non ita pridem abjecerant, resumere, Duciq; Fridlandiæ, ad Electorum instantiam exauctorato, summum militiæ imperium, per Principem Eggenbergensem, qvi inter omnes Cæsaris ministros præcipuè in dicti Fridlandii animo validus erat, denuò offerre in animum induxerant, qvi Cæsari à secretioribus erant consiliis.

Dedignari initio Fridlandius oblata visus; Eggebergensi *officiorum præteritorum, qvæ Cæsari præstiterat, & malæ, qvam inde retulerat, gratiæ,* memoriam oggerens: *Qvapropter nil*

subsit causæ, cur, Cæsaris militiæ iteratò nomen dare, adeò frigutiat, & plaustrum, qvod alius perculerit, à lapsu erigendum succollet. Omni jam ambitioni remisisse nuncium, & qvieti se tradidisse: Qvam, utpote præsentium turbarum nullatenùs particeps, nec ab hoste interpellatum iri, spem certam foveat. Deprecari ergò prægrave hoc onus, qvod cervicibus denuò imponi velle videatur.

Princeps Eggenbergensis, cui arrogantes Fridlandii spiritus & elatum ingenium satis cognita, ambitionem ad ultimum prævalituram conceptæ indignationi certus, non desperare de perpetrando incepto primâ vice repulsam passus, sed strenuè porrò insistere; excusando Cæsarem: *Qvod omnia, qvæ acciderant, ingratiis ipsius fuissent facta. Jam tum malè ominatum, nec omini defuisse eventum: Pretiosissimam eximere Coronæ suæ gemmâ, & sinistrâ dextram sibi præcidere; Ducem Fridlandiæ, qvi tot successibus fidem pariter ac felicitatem suam approbaverit, exauctorando. Sincerum, qvo Cæsar ipsum complexus fuerit, affectū, & fiduciam, qvam in eo reposuerit, non diminuta hujus casus interventu, sed aucta: Ut inde judicare in proclivi, qvod calamitoso hoc statu, rebus ferè deploratis, & in acie novaculæ constitutis, ipsi, præ aliis omnibus instaurandorum armorum summam cōcredere decreverit, fortunam partium facilè iterùm excitaturo. Aliorum, qvi ei annò in imperio surrogati sint, culpam & infortunium, qvo majora, eò illustriorem honori & gloriæ ipsius splendorem conciliatura. Deponeret animi rancorem, qvem exauctoratione contraxisset, Patriæve ac publicis commodis condonaret; re ipsa demonstrans. Nec fidem suam ullis ejusmodi fortunæ, in rebus humanis, ludentis, tentaminibus concuti posse: Et animos sibi virtutemve superesse; corrigendis, qvæ alii peccārint, reiq; publicæ, jam penè collapsæ, imò à plerisq; pro deposita habitæ, restaurandæ, ac ab interitu vindicandæ pares.*

Qvod is ex parte recipit. His adhortationum stimulis incitatus Fridlandius tandem recipere. *Gratiæ & meritis Principis Eggenbergensis, cui summè se obstrictum profiteretur, daturum; ut cæsareæ militiæ, ad mensem usqve Martium præesset, validove Exercitui conficiendo, ac in ordinem redigendo operam navaret: Non, aut summi tamen Imperatoris, aut diverso qvopiam titulo assumto; nec alio pacto, nisi ut ne ulla cum hoste confligendi, vel in hostem ducendi ipsi imponeretur necessitas, sed munus susceptum intra solos delectuum habendorum & ordinandorum carceres staret. Interim, trium horum mensium spatio, Cæsari de alio, cui summam Exercitus curam demandaret, providendum fore; aut, qvod tutius, optimumve factu arbitraretur Fridlandius, Paci animum adjiciendum.*

Acqvievit responso pro tempore Cæsar: Qvod Fridlandiæ Dux ulteriùs hac vice se urgeri haud pateretur, in primum hunc summi imperii velut gradum, impulisse hominem contentus. Fridlandius autē, hospitio Znaimæ in Moravia sumto, eqvitibus peditibusq; in Cæsaris, & aliis conterminis provinciis colligendis, omnibus viribus incubuit. Cui fini Viennæ ad tercentum diplomata, qvia calamo scribere nimis operosum videbatur, typis impressa, & inter militum conqvisitores, hinc inde emissos, distributa. Campiductor etiam Tiffenbacchius, Exercitu cæsareo, cui hactenus summo cum imperio præfuerat, Fridlandiæ Duci cessit: Qvi veteranis in hibernacula distributis, novo qvoq;, indies confluenti, militi in Cæsaris dicionibus pro lubitu, & qvemadmodū è re id fore autumaret, diribitoria assignatum ibat. Et ad bellum summâ se vi præparat.

Ad immensos autem sumtus, qvi reparando Exercitui necessarii, Hispaniarum, ut & noviter designatus Hungariæ ac Bohemiæ Rex cum conjuge, tum Princeps Eggenbergensis, & alii pleriq; cæsareæ aulæ Primores, certatim stipem contulerunt. Ingentibus etiam tributis in Regno ac provinciis, Cæsari parentibus, grassatum, & subditi, præterqvàm qvod militi hospitium præbere cogerentur, variis exactionum generibus vexati.

60. Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo primo ad finem vergēte, Galliæ Rex Cæsarianos Mojenwico, ubi munire se cœperant, per Rex Galliæ Cæsarianos Mojenwico exturbat.

For-

Forcæum, Campiductorem, cum Exercitu ad Germaniæ limites missum, ejicere, successu nec infelici, nec adeò difficili aggressus est.

Ne verò Exercitu proximante, Sveciæ Rex diffidentiæ & sinistræ opinionis qvid côciperet, certo homine è nobilium suorum numero ad eundem ablegato, scopum & causas hujus expeditionis illi retexit: *Ob qverelas*, nimirùm, *à fratre suo notho, Metensi Præsule, de Cæsarianorum violentia, & exactionum, qvibus grassarentur, iniqvitate, ad se delatas, supersedere diutiùs non potuisse; qvin nido hoc, qvo resederant, malè feriatos exturbaret.*

Argenrotatensibus idem significatum; oblatione adjectâ: *Cum non ita pridem à vicinis aliisve duriter pressi, variaq; in religiosæ ac profanæ Libertatis, nec non jurium urbanorum & privilegiorum præjudicium fuerint tentata, neqve injuria forsan, plura ejusmodi tentatum iri, metuatur, Regem Galliæ, siqvidem opis & auxilii indigerent, strenuè & candidè, pro asserenda Libertate, seu armatum, seu togatum flagitantibus affore.*

BELLI
SVECO-GERMANICI
VOLUMEN PRIMUM.
LIBER QVARTUS.

Summa Libri.

(1.) TRactatus de Neutralitate, tam cum universis fœderis Pontificii sociis, qvàm particulatim cum Electore Trevirensi, Palatino Neoburgensi, & Coloniæ Urbe refertur: Qvi ubivis, præterqvàm cum Trevirensi, in irritum cecidit. Regis ad Lottharingiæ Ducem literæ, & hujus responsum: Tum utriusq; Sveciæ & Galliæ Regis, in eum pactio. (2.) Regina Sveciæ ad Conjugem venit: Regni item Cancellarius & Fridericus Bohemiæ Rex, aliive Germaniæ Primores, nec non diversorum Ordinum Legati. Dux Brunswicensis, & Urbs cognominis, Duces qvoq; Megapoleos, tum Ulmæ Civitas, & Wetteraviæ atq; occidentalis silvæ Comites in fœdus cum Rege coeunt: Lubeca similiter, Luneburgum, & Brema, Civitates, cum eo paciscuntur. Rex Doctorem Bothvidi in dioecesin Halberstadensem, statui ecclesiastico instaurando ablegat. (3.) Rhingravius Hispanos ad Mosellam profligat. Rex Creutznacum, obsidione cinctum, in potestatem redigit. Braunfelsæ arx, Bobenbusa & Kirchberga Regiis cedunt. Moguntia munitur, & Gustavoburgi fundamenta jaciuntur. Legati, à Saxoniæ Electore missi, propositio ad Regem; & hujus responsum. (4.) Argentoratenses in Alsatia Lottharingos invadunt. Munimenta ad Lichtenavum & Drusenhemum solo æqvantur. Christianus, Palatinus Rheni pro Rege delectus habet. Ossa Wilstetum occupat. (5.) Magdeburgi deditio, de qva jam agi cœptum, Pappenhemii interventu interpellatur: Nec tamen minùs Urbs, milite educto, ab hoste deseritur. Pappenhemius, Visurgi superato, in Westphaliam transit. Gulielmus, Saxoniæ

xoniæ Dux, hostilem Legionem opprimit, Gottingam expugnat, Duderstadium in deditionem accipit. Gulielmus, Hassiæ Landgravius, Warburgum, aliave loca, & hæc inter Ericoburgum, nec non Amœnoburgum occupat. (6.) Inde exponitur Saxonicorum in Bohemia status. & quid Torgæ in Electorum, Saxonis ac Brandenburgici, congressu actum. (7.) Fridlandiæ Dux, in militia instauranda totus, summum armorum imperium, à Cæsare denuò delatum, suscipit. Cæsar Pontificis Romani auxilium implorat: Contra quem cunctabundum Cardinalis Borgia protestatur. Cæsar apud Italiæ quoq; Principes ac Respublicas, Regem item & Regnum Poloniæ subsidiorum satagit. (8.) Hornius à Rege, in Bambergensem Episcopatum missus, Bambergæ Urbem & Hochstetum insidet: Ubi regiorum cum hoste conflictus. Tillio huc movere audito, Hornius defensioni se accingit: Eo autem subitò irrumpente, Bambergâ iterùm cedit, & post receptum duas hostium Legiones opprimit. (9.) Rex, rebus ad Rhenum ordinatis, iter in Franconiam habet: Ejusdem Circuli Ordines, ne animos demittant, priùs adhortatus. Inter hæc securitati viarum & veredariorum publico Edicto prospicit. (10.) Ludicrum, quod Chami accidit, Regis successibus præludens omen. Tillius à Rege se recipit. Bavariæ Dux, de Tillio, necne, finibus recipiendo, deliberat. (11.) Rex Noribergam venit. Ejusdem ad Noribergenses sermo. Noriberga Regi certo se pacto obstringit. (12.) Rex Donawerdam aggreditur: Quam Bavarus milites paulò post deserit. Regiorum ulteriores ad Danubium progressus. (13.) Tillius ad Licum pedem figit. Rex illic eum adoritur. Bavarus Lici transitu Regi cedit. Tillii mors & encomium. Rex, Lico superato, in Bavariam transit: Magno cum incolarum tremore. (14.) Rex obsidione cingit Augustam Vindelicorum. Neoburgensis Legati propositio; & Regis responsum: Qui Neoburgum, à Bavaris desertum, præsidio insidet. De Augustæ deditione literis disceptatur: Prospero successu, quippe Urbe Regi deditâ. Magistratus illic mutatur; &, Rege ingresso, Protestantium Religio templis restituitur. Universitas civium juramentum fidelitatis Regi præstat. (15.) Rex Ingolstadium movet: Ubi, acerrimè ab hoste exceptus, ipsemet vitæ periculum subit, & Marchio Badensis ictu tormenti occumbit. Regis de hoc casu ad suos memorabilis oratio; & senioris Marchionis de filii obitu haud degener vox. Rex Hornium cum parte Exercitus Ratisbonam versùs ablegat. (16.) Legatorum à Daniæ Rege propositio; & Regis responsum. Gallici quoq;, ad Bavariæ Ducem residentis, ministri adventus, & cum Rege, de Bavari Neutralitate, colloquium. (17.) Bavarus Ratisbonam astu in potestatem redigit. (18.) Rex, motis Ingolstadio castris, Mosburgum & Landishutum occupat. Leges novæ, de victu militi in diribitoriis præbendo, publicatæ. Freisinga Regem admittit. Agricolæ, in Regios atrociter sævientes, par factis accipiunt redhostimentum. Monachium Regi deditur: Qui id ingressus, tormenta, tellure defossa, eruit. Bavarus cladem, quam regiis moliebatur, ipse incidit. (19.) Regiorum in Suevia progressus. Ossæ equestris ala Luitkirchi opprimitur. Agricolæ rebelles subdomantur. Ossa Biberacum nequicquam tentat. (20.) Acta apud Helvetios, bellum Svecicum concernentia. (21.) Bavarorum de opprimendis Regiis consilium frustraneum; non de expugnando Weissenburgo: Quod ad deditionem compellunt; sed

pacto

pacto deditionis haud servato. Rex id Duci minitabundus exprobrat: Mox è Bavaria in Franconiam retrocedit. (22.) Regiorum prosperi successus in superiori Svevia. Cronacum interim in Franconia Protestantibus oppugnabatur; sed in cassum: Bambergâ autem hostis cum damno suo eruperat. (23.) Fridlandiæ Dux in Bohemiam movet. Regii Legati ad Electorem Saxoniæ propositio; & Regis de conjunctione armorum consilia. Inter Electorem & Fridlandium de Pace sermones ultrò citròq; commeant. Arnhemius, Regiis ob literas nonnullas suspectus, Electori se purgat, & ad Fridlandium mittitur. Splendida Fridlandii oblata, minacius missa: Qvibus Elector necdum movetur. Electoris primum & alterum, regio Legato data, responsa. Legati replica, & ultima Electoris declaratio. Pragâ Fridlandio expugnatâ, Saxonicus Exercitus Bohemiâ cedit: Qvæ exinde mox tota sub Cæsaris leges revertitur. (24.) Pappenhemius, post Regios nonnullos ad Visurgim oppressos, Huxterâ ab his & Hassis desertâ, nec non Embeco, vi oppugnato, potitur. Vördâ Bremensium, & Buxtehudâ in Regiorum potestatem redactis, Danoq; milite Friburgo ejecto, Stada ab his obsidio cingitur. Cui Pappenhemius subsidio veniens, in Kedingensium tractu Regios clade afficit: In Palæogæa autem, seu veteri regione, id tentans, repellitur. Navis Svecica, à Danis è Tychopoli tormentis perforata, submergitur. Pappenhemius cum Rege Daniæ de tradenda Stada neqvicqvam tractans, mox Urbem, milite evacuatam, deserit. Baudisius Tottio in imperio succedit. (25.) Belli status ad superiorem Rheni oram: Ubi Ossa Durlacum, Stolhofium, Lichtenavium occupat. (26.) Hispanus, Mosellâ cum Exercitu tramissâ, novas dat turbas. Franckendalæ præsidiarii Neostadium ad Rauricum nemus expugnant. Hispanorum eqvitatus à regio malè mulctatur. Hispani, Spirâ Nemetum in deditionem acceptâ, ex intervallo Mosellam versùs se recipiunt: Qvorum vestigia Regii acriter premunt. (27.) Argentorati Civitas cum Rege fœdus consummat. (28.) Bavariæ Dux in Palatinatum superiorem transit. Cui Sultzbacum certis legibus deditur: Nec hæ tamen servatæ. Rex Noribergam, & hinc in eundem Palatinatum movet; Sultzbaco per deditionem recepto: Cujus leges vice versa haud attenduntur. (29.) Rex inde mox retrocedit. Ejusdem ad Turcarum Imperatorem legatio, & cum Ragotzio tractatus. (30.) Regius eqves cladem ad Hersbruccum patitur. Rex Noribergæ statum capit. Regii ad Neomarcum ab hoste cæduntur: Qvi castra è regione Noribergæ confert. (31.) Pappenhemii in Hassia, & his locis, ausa. Hassorum ad Volckmarsiam ab eodem accepta clades. Ejus in Brunswicensem agrum reditus, & Rhenum versùs abitus. (32.) Lapis Hermonius Gallis traditur. Confluentibus, hosti extortis, Sveci Gallis certo pacto cedunt. Inde Gräffenburgum, Trarbacco vicinum, capiunt: Kirchbergæ munitionibus dirutis. ArchiPræsul Coloniensis Neutralitatis apud Regni Sveciæ Cancellarium satagit. (33.) Cæsariani, amicos primùm Electoris Saxoniæ se ferentes, hostilem iterùm animū paulo post induunt. (34.) Seqvitur status rerum ad Noribergā, & exiguæ qvædam factiones, belliq; eventa: Inter qvæ Lichtenavum hosti deditur. Regii congestum à Cæsarianis Freistadii penum pessum dant: Qvâ occasione Rex eosdem insigni clade, Sparrio capto, profligat. (35.) Regiorum expeditio contra rebelles in Svevia agricolas. Bavarus miles Fridbergam & Landsbergam ad Li-

cum

cam in potestatem redigit: Leopoldicus Fiessam. Ipsi Augustæ Vindelicorum insidiæ nectuntur. Regii, Fridbergâ exustâ, Landsbergam & Fiessam recuperant. Fuldensium rusticorum motus componitur. (36.) Regii in Franconia undiq; contrahunt vires. Augusti Comitis Palatini, ut regii Legati, ad Electorem Saxoniæ propositio; & Electoris responsum. Electoris Brandenburgici de Regis intentione judicium & sententia. Augustus Comes Palatinus vitâ defungitur. (37.) Exigua inter Regios, in Franconia tendentes, & Cæsarianos certamina. Johannis Sparrii, & Nicolai Hornii obitus. Regii, castris promotis, Domino suo ad Noribergam junguntur. Rex in hostem rectà vadit: Ubi Bannerius graviter vulneratus. Rex castra hostilia tormentis oppugnat. Demùm à diversa parte summâ vi impressio fit. Rex in primores militiæ Duces, ob laxatam militarem disciplinam, invehitur; summoq; in justitiam Zelo fertur. Idem de Silesiaca expeditione mentem suam aperit: Et Marchionem Hamiltonium in magnam Britanniam ablegat: ad habendum novos delectus, & Regem de tractatus, cum ejus Legato habiti, eventu irrito edocendum. (38.) Regii Isfeldium agrum irrumpentes, Duderstadium recipiunt: Ad Gvelpherbytum circumsidendum partim inde profecti. Ubi regius Commissarius hostium potitur. Baudissius cum altera Exercitus parte in Westphaliam movet. Seqvuntur (39.) Silesiaca. Arnhemius Glogoviam majorem expugnat, & Lubenam, Stenoamq;, cum munimento assito: Qvæ tamen posteriora Cæsariani statim recuperant. Regii & Electoris Brandenburgici copiæ Saxonicis in Silesia junguntur. Elector sanè Brandenburgicus maturè hanc conjunctionem ambierat: Sed mora aliqva intercessit, donec Arnhemius flagitaret. Cui Brandenburgici facilè, & Regii demùm, sed certo pacto, assensi. Ita Brandenburgici Regiis primò juncti: Mox cum Saxonicis de conjunctione actum, & certis legibus transactum. Prior inter Regios & Saxonicos, ob primæ aciei prærogativam, æmulatio. Fœderatorum Stenoam adventus, & diversæ, de hoste invadendo, Arnhemii ac Duvalii opiniones. Cæsariani castra sua deserunt: Qvæ Duvalius illicò invadit; munimento qvoq; trans flumen occupato. Arnhemii in persequendo hoste cunctatio. Cæsariani ad Vratislaviam pedem figunt. Eorum à Civitate postulata; & hujus responsum. Fœderati toto agmine subseqvuntur. Vratislaviæ tumultus oritur ob tormentum in hos displosum. Arnhemius Olaviæ Viadrum tramittere studet. Cæsariani, secundâ vice, castris cedunt. (40.) Holckius, Vœtlandiam invadens, crudeliter grassatur: Zviccaviam ad deditionem compellit; Eandemq; mali contagionem in Misniam transfert. (41.) Cæsarianorum ex Alsatia conatus, & Wiselocci oppugnatio. (42.) Galliæ Regis Exercitus, in Germaniam veniens, de Philippoburgo insidendo frustrà qvidem est: Augustam tamen Trevirorum ad deditionem adigit. (43.) Hornius, hostis conatui in superiori Rheni tractu obviam ire certus, Wiselocco liberando approperat, & hostilem eqvitatum illic profligat. Hostis Philippoburgi trans Rhenum se recipit. Hornius prævertere illum nititur: qvi tamen casses ejus mirâ celeritate evadit. Hornius, Stolhofio in potestatem redacto, sedem belli in Alsatiam transferre decernit: Ubi superius Ehenhemum primò imperata facit. Interim Offenburgum, & Ortenburgi Castrum, ab altera Rheni parte subacta: Benfeldaq; demum obsessa. (44.) Rex Noribergâ, valido

lido tamen præsidio firmatâ, discedit: Ad qvem Tartarorum venit Legatio. (45). Cæsariani qvoq; è castris ad Noribergam movent. Gallassius Laufsum expugnat, dirumq; in modum grassatur. (46.) Rex Danubium versùs contendit; ubi Bavarus miles Raino potitus erat: Qvod à Rege in continenti recuperatur. Mitschefalius Tribunus deditum locum capite luit. Landsberga ad Licum in Regis dicionem redit. Rex pedem inde refert, ad succurrendum Electori Saxoniæ. (47.) Cæsariani in Culmbacensi agro truculenter se gerunt: Coburgi Urbem occupant: Castro vi, sed neqvicqvam, obsesso. Bernhardi, Saxoniæ Ducis, in Croatas impressio. (48.) Gallassius Electoris Saxoniæ fines irrumpit: Altenburgum pecuniæ summâ mulctat; Chemnicium ad manus tendendas impellit: Friburgum, Holckio junctus, deditione capit: Deniq; versùs Albim gradum promovet. Fridlandius ipsemet Misniam ingreditur. (49.) Pappenhemius, à Trajecto Mosæ reversus, Paderbornæ subsidio accurrit. Regiorum & Pappenhemianorum ad Brakelam conflictus. Baudisius, Huxterâ desertâ, ulterius se recipit. Pappenhemiani Gvelpherbytum obsidio liberant. Pappenhemius Hildesium sub jugum mittit: Tentatâ neqvicqvàm Hannobriâ; qvæ arma seriò sumserat. Regii Magdeburgi & Albis securitati prospiciunt. Pappenhemius in Thuringiam & Misniam descendit. (50.) Fridlandius Lipsiæ deditionem imperat: Urbeq; mox, & Pleissenburgi qvoq; arce, vi tentatâ, haud difficulter potitur. Hala Saxonum eidem se submittit: Mauritioburgo tamen arma obvertente. (51.) Regii Laussum expugnant. Rex hostium nonnullos opprimit; & mox cum Exercitu in Thuringiam properat. Inde Regni Cancellarium, ad præsidendum Protestantium conventui, qvem animo decreverat, ablegat: Et hic sine mora eundem indicit. Rex, Naumburgo occupato, castra illic metatur. Subsidium sub Georgio, Luneburgensi Duce, venire jussum, nimis diu cunctatur. Rex Naumburgo Lutzenam movet. Abhinc, verso aliorsùm stilo, reliqva Anni hujus eventa, ad ejus usq; decursum enarrantur. Et primò qvidem. (52.) Regiorum, hostiumq; in Bavaria molimina: Resq; in superiori Svevia gestæ Mox (53.) Hornii in Alsatia progressus: Inter qvos eminet Benfeldæ, Stelstadiiq; obsidium & deditio: Nec non Colmariæ ac Hagonoæ in regias partes transitus. Lottharingus, inter hæc, rebus Alsatiæ, legationibus primò missiculatis, inde facto ipso, Tabernis & Dachsteno insessis, se miscuerat: Et Helvetii pontificii pro Episcopo Basiliensi apud Hornium intercesserant. Qvi, relicto in Alsatia Rhingravio, cum parte Exercitus in Sveviam, Regiis laborantibus auxiliatum, sub finem Anni contendit. (54.) In Palatinatu inferiore, post Fridelshemum à Regiis pridem captum, Franckendala qvoq; victas dat manus: Mortuo tamen prius Friderico Palatino, Bohemiæ Rege. Hodelberga autem, eminùs circumsessa, erumpendo turbas sæpè ciet. Moguntiæ Jesuitæ suspectos semet reddunt. (55.) Baudisii in inferiorem Rheni oram expeditio, expugnatione Siburgi, & celeri occupatione pariter ac desertione Tuitii vici notabilis. Cæsariani arma contra Baudisium expediunt. Gronsfeldiæ Comes Hassiam primò irrumpens, ad Rhenum inde tendit, & cladem, repentinâ Hassorum impressione, patitur. (56.) In Silesia cum Vratislaviensibus tractatur de recipiendo intra Urbem præsidio: Cui maturando duplex, à Duvalio via propositâ, ab Arnhemio rejicitur; re tandem qvalicunq; tra-

 ctatio-

ctaione decisâ. Æmulationes ac dissidia inter Regios & Saxonicos; orta 1. ex inæqvali hospitiorum distributione, 2. callidâ Brandenburgicorum à Regiis distractione, 3. malè servatâ disciplinâ militari 4. Regiorum, qvod in arenario ad Vratislaviam cœnobio, & Glogoviæ servabat, præsidio, 5. deniq; qvamplurimis Arnhemii insolentibus, & altioris indaginis actionibus, sermonibusve. Baro Cochtitzkius à Rege Legatus in Silesiam venit: Qvo die Regii Braunæ aliqvid cladis passi. Arnhemius, in Misniam ab Electore avocatus, imperio haud paret. Dissidiis, qvæ diximus, componendis, colloqvium à Cochtitzkio & Arnhemio instituitur: Sed infelici eventu Cochtitzkii de Silesiaci belli statu judicium. Arnhemii in Silesia à morte Regis molimina. Cæsariani Nissam, & alia loca recuperant. Fœderati eò movent, & Duvalius à Saxonicis deseritur. Nova inter Regios & Saxonicos transactio; tum Francisci Alberti, Saxoniæ inferioris Ducis, mandatum, de instauranda disciplina militari: Qvæ utraq; effectu caruêre. Post hæc (57.) redeundo ad Regem, describuntur velitationes propè Weissenfelsam, & Rippacchum, ut capitalis conflictus præludia: Tum Regis, suos ad prælium animantis, verba, atq; aciei ordo. Fridlandii porrò intentio, & opportunus loci, qvem insederat, situs. Primus peditum conflictus; & primus eqvitum: In qvo Rex ipse occumbit. Regiorum à morte Domini sui fervor, & secundus impetus, primaq; victoria: Qvam Pappenhemii adventus initio dubiam, mox geminatâ laureâ clariorem reddit. Funesta tamen utriq; parti hæc acies ob desideratorum numerum. Bernhardus, Saxoniæ Dux, cum Exercitu Weissenfelsam retrocedit. (58.) Funus regium ex intervallo in Pomeraniam deducitur; exseqviis ubiq; celebratis: Inter qvas funebris Doctoris Hoe concio notatu digna. (59.) Lipsiam, à Cæsarianis desertam; Fœderati recuperant: Obsesso Pleissenburgo. Chemnicium, Pleissenburgum, & ultima Zviccavia à Regiis hosti extorqventur. Hæc Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi gesta: Qvæ, & primum pariter cum illis Historiæ nostræ volumen, (60.) brevi Regis encomio concluduntur.

---

1. CUm ineuntis Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi auspiciis ad Regem Sveciæ, in cujus prudentia ac fortitudine, cum belli, tum civilis status summa, ut principali fundamento potissimùm reqviescebat, ex ambage, qvâ exspatiari oportuit, nunc reversionem, ratione ordinis flagitante, facimus.

Tractatus de Neutralitate, cum universis Pontificii fœderis sociis.

Converterant autem sub hoc tempus oculos, & animum in Galliæ Regem pontificii fœderis socii: Per diversos diversorum Legatos, & Herbipolensem, qvi pro omnibus satagebat, cumprimis Præsulem, isthunc, ut eorundem sacrorum jure connexum, violentâ ecclesiasticorum bonorum occupatione irritatum, cum Rege Sveciæ committere annixi, nec ulli in hoc operæ aut labori parcentes. Sed eventu votis & conceptæ spei neutiqvam respondente, diversam ab hac viam ingressi, bellorum ob adversam sortem se pertæsos leniora & tranqvilliora consilia amplecti præferebant, Neutralitatisq; injiciebant mentionem: Galliæ Regis, qvi jam annò in fœderatione cum Rege Sveciæ, qvàm optimè, ut Religionis consortibus,

con-

consultum voluerat; intercessore & missis huic fini, à Bavariæ Duce, ejusq; fratre, ArchiPræsule Coloniensi, nec non aliis fœderis complicibus, Moguntiam Legatis.

Rex etenim Galliæ, sub præteriti Anni exitum, Marchioni Bresæo, Consiliario status, custodiæ corporis regii Capitaneo, Arcis Urbisq; Salmuriensis Gubernatori, nec non camporum & Exercituum Mareschallo, tum Herculi, Baroni Charnassæo, à status & secretioribus consiliis, Oratori utriq; suo, de Neutralitate, & armorum induciis, qvibus omnimodæ Pacificationi via sterneretur, hinc inter Regem Sveciæ ejusve Fœderatos, Ducem Bavariæ & pontificii fœderis asseclas isthinc, conciliandis, negotiũ dederat: Qvo seriò & candidè hoc à se agi, nec aliud sub eo prætextu intendi demonstraret, promissionem postulatis adjungens. *Si Rex Sveciæ, & socii, oblata amplexi, à Pontificiis qvacunqve ratione infestarentur, præter pecuniæ summam, qvam, vi fœderis, qvotannis debebat, certo modo, de qvo inter Regem & Oratores suos conventum foret, auxilio iis affuturum: Modò Rex Sveciæ ac socii, sicubi fortè à Cæsare Domo Austriacâ, aut pontificiis Fœderatis Galliæ Rex armis impeteretur, par pari relaturos, vicissim reciperent.*

Non deerant in primo hoc tractatus limine, qvi nihil solidi aut serii subesse suspicarentur; verum id tantummodò à Pontificiis qværi: Ut, tempore in longum extracto, langvidas reparare vires per otium liceret. Neutralitas enim hæc, si effectum sortiretur, non in omnimodum qvidem pontificiæ Religionis interitum, sed insigne tamen præjudicium vergere, & hæresium (qvas appellant) tolerandarum necessitudinem invehere videbatur; Jesuitarum, qvi plerorumq; Pontificiorum in Germania animos sibi mancipatos habet, dogmate illicitam: Qvin imò fido potentissimæ Domus Austriacæ patrocinio spoliatum eos ibat. Ipsi qvoq; pontificiæ fœderationis complices longè secùs de Rege meruerant, qvàm ut nunc, dum retaliandarum hostilitatum optima daretur occasio, armorum, in eorum perniciem vegetorum, cohibere deberet impetum. Tantum nihilominùs apud Regem Sveciæ momenti habuit Galliæ Regis interpositio, ut assentiretur: *De residuis, qvorum diciones nondum subegerat, Pontificiis hostilitate eximendis; locis inferioris Palatinatus, qvotqvot jam occuparat, Duci Bavariæ, usqve dum controversia cum Friderico Palatino amicè componeretur, reddendis; Trevirensi deniqve Electore in possessionem eorum, quæ ipsi extorserat, (Spirâ modò Nemetum exceptâ) restituendo. Bambergensis tamen Præsul ab hac pactione nominatim exclusus*, &, qvod Regem tractatu indignè ludificâsset, indignus, qvi beneficio hoc frueretur, habitus. E contrario à Pontificiis Rex exigebat: *Amicitiam secum, Regnisve ac provinciis suis, non hæreditarius modò, sed & bello in Germania partis, tum cum Fœderatis, & speciatim Electore Saxoniæ, sacrosanctè colerent: Qvicqvid in inferiori Saxonia, diuturno hoc bellorum tractu, ab Anno usqve millesimo, sexcentesimo, decimo octavo, Protestantibus eripuerant, in statum, qvo ante exortum fuerat bellum, reponerent: Copias è Protestantium, qvibus hactenùs incubuerant, territorio abauctas, exauctorarent; præter decies, aut duodecies mille capita, qvæ, non in unum Exercitus corpus, sub unico capite generali, coadunata, sed sparsim hinc inde distributa, retinere fas esset: Exauctoratus autem miles, ut ne ad Cæsarem clam palamve transiret, darent operam: Cæsari nec delectus habere permitterent, nec diribitoria intra fines suos instituere; transitum verò utriqve parti, sine fraude, seu intercluderent pariter, seu pariter gratificarentur: Provincias, qvas Rex subjugarat, donec de belli summa transigeretur, in ejus relinqverent manu: Commerciorum deniqve Libertatem & usum inter subditos utrinqve ne impedirent; captivis qvoqve sine lytro dimissis.* Inter qvos *Administratoris Magdeburgensis mentio expressis verbis facta*; licet in cassum: Is enim circa idem tempus, ut à Protestantium doctrina & partibus ad hostium desisceret, persvaderi se passus, Regem hac sollicitudine exoneratum iit.

Hi articuli: Qvorum Rex Sveciæ prædem Galliæ Regem, &, si Pontificii leges semel placitas migrarent, ergà temeratores violatæ fidei ultorem postulabat.

Dum tractatus hac ratione incalescit, à Gallis Oratoribus, jam tertio Calendarum Januarii, cautionis, qvâ Dux Bavariæ amicitiam, seu Neutralitatem potiùs acceptabat, idiographum Regi traditum, sed, qvod indiscriminatim loqveretur, & omni pontificio Clero pactioni incluso, Regem ad restituendum, qvæ jure belli occupârat, obligare videretur, postridiè redditum, undiq; insinuatum: *Aut memoratarum legum amussim seqverentur Oratores, aut, particulari tractatu seposito, operam impenderent, omnimodæ ac universali Paci conciliandæ.*

His ergò, intra duarum septimanarum spatium pontificiorum Fœderatorum responsum, & consensionem in suprà ascriptas conditiones affutura, recipientibus, Rex inducias & suspensuram armorum eòusq; indulsit; hac tamen lege: *Ut Pappenhemius cum copia sua inferiori Saxoniâ è vestigio excederet; fœderatorum qvoq; Pontificiorũ Ordinum miles, in Bohemiam Cæsari forsan subsidio missus, inde extemplò retrò ferret pedem; & ita hostilitatibus utrinqve omninò abstineretur.* E diverso expressè Rex sibi reservabat: *Nec inducias has obsidio, si qvod, antequam inirentur, instituisset, nec locorum obsessorum deditionem, induciis si, priusqvam exspirarent, fieret, fraudi fore.*

De qvibus induciis, ut ad ungvem servarentur, Campiductor Hornius qvoq;, in Franconia curans, certior factus, imperatumq;: *Omni hostilitatum exercitio ergà Bavari, & aliorum pontificiorum Ordinum militem absistens, arma feriari tantisper pateretur.*

Durantibus induciis Baro Charnassæus Monachio, qvo maturandæ rei profectus erat, datis ad Regem literis, de Bavari propenso ad tranqvilliora animo multa profatus, spem qvidem bonam fecerat: Tractatum felici eventu haud destitutum, sed omnia ex Regis voto transactum iri.

Intercidit. Interim terminus induciarum jam venerat, nec qvicqvam reperiri profectum. Sed & ingentes à Pontificiorum parte belli apparatus, qvibus nullibi non occupabantur, infestorum & vindictam spirantium animorum indices, tractatum non nisi regiarum victoriarum cursui sufflaminando obtendi, armaq; de industria paululùm proferri, ut morâ ipsa validiora, acriùs resumerentur, arguere. Contrarium qvoq; testari interceptæ sub id tempus Bavari ad Pappenhemium literæ: Qvibus *ad expeditionem in Saxoniæ inferioris Circulum qvantocyus suscipiendam* adhortatus, potestatem faciebat, *centies mille Ioachimicos Coloniæ aut alibi mutuo sumendi, qvi, stato collybi die, Augustæ Vindelicorum resolverentur.*

Decurso ergo induciarum spatio, Marchioni Bresæo, qvi præsens aderat, Galliæ Regis Oratori, diem earundem ad octiduum prolongari urgenti, abnuit Rex: Armis, qvæ parumper interqviescere passus fuerat, in manus resumtis.

Tractatus cum Electore Trevirensi de Neutralitate. Præter hunc tractatum, qvo de universis pontificiis Fœderatis hostilitati eximendis agebatur, particulatim eâ in re à nonnullis laboratum. Trevirensis imprimis Elector, flagranti & obvia qvæq; depascenti incendio proximus, ut commissas fidei suæ provincias, qvas partim jam hauserat, partim in confiniis lambebat flamma, præsenti exitio eriperet, consilia huc seriò flectere visus, &, recidente qvamvis in irritum tractatu, cum integro pontificii fœderis corpore, oblata Regis pro se amplexus, sub Anni ingressum, Edicto publicitùs affixo, ministris suis negorium dedit: *Non modò apud Svecos, tractatus hujus obtentu, se excusarent tributi pendendi; verùm etiam ad grassantem ubivis inter subditos Hispanicæ, minimè Christianæ, persecutionis pestem averruncandam, animum adverterent.*

Clerus tamen Trevirensis, ab Electore hac in parte secessionem faciens, Hispanos, cùm Augustæ Trevirorum, tum Confluentibus ad Mosellam recepit ac fovit: Electore ipso, donec à Svecis, Gallisve in sedem reponeretur, excluso.

Consummatur. Utut autem, de Electoris Trevirensis dicionibus hostilitati eximendis, consilia jam ab ineuntis Anni auspiciis, Gallorum operâ, gemmascere cœperint,

perint; ab ipso statim Electore complacita, in florem se induere visa: Ante mensem tamen Aprilem, qvo inter Regni Sveciæ Cancellarium, & dictos Galliæ Regis Oratores, Marchionem Bresæum ac Baronem Charnassæum; de certis articulis scripto conventum, fructus se vix exseruit; non, nisi adventante mense Junio, qvo Elector ipsemet pactis conventis demum subscripsit, plenam maturitatem adeptus. Leges autem eædem, qvæ universis Pontificiis, Trevirensi præscriptæ, &, majoris insuper cautionis ergò, provisum: *Ut ambo Electoris munimenta seu castra, Mons Hermonius, & Philippoburgum, milite, qvi hactenùs servârat, abducto, Galliæ Regis præsidiis firmarentur.* Hic enim, ut sponsorem, se interposuerat: Conventionem inviolabiliter, & bonâ fide ab Electore servatum iri.

Tractatus cum Palatino Neoburgensi

Comes qvoq; Palatinus Neoburgensis, per Legatos, hujus rei periculum fecit, asserens: *Nihil sibi hactenùs cum bellicis turbis fuisse commercii, nec ad has, illasve bellantium partes ullo inclinasse momento; multò minus sibi constitutum, tributorum pensitationibus imposterùm fœdere unitorum Pontificiorum sublevare necessitatem. Abstineret itaqve Rex à finibus suis bellum; immerentive & innoxio parceret.*

Qvia verò Legati nullo sufficienti mandato, cui, velut basi, tractatio inniteretur, instructi reperiebantur, tantum abest, ut adversæ partis consensum, de mutua Neutralitatis observantia, scripto exhiberent, ideò altiùs in tractatum cum iis descendere, haud operæ visum Regi; dimissiq; cum responso. *Nullas sanè Regi cum Palatino intercedere inimicitias, nec hostilia in hunc meditari. Caveret verò Palatinus; ne, qvod antehac fecerat, Cæsaris, Hispani, aut Pontificiorum fœderatorum militem, sinu receptum, fovere deprehenderetur: Alioqvin minimè Regi vitio vorsum iri, si hostem, hostisve fautores ac auxiliatores, etiam intra ejus fines persequeretur armis. De transitu interim, qvem hosti concesserat, Regi ac Regiis pariter præbendo, nullum ampliùs superesse tergiversandi locum.*

In cassum it.

Hoc accepto responso Palatinus ipsemet, provinciarum suarum saluti consulturus, & belli ingruentis aversurus molem, ad Regem proficisci decreverat. Qvod tamen iter postmodùm intermissum: Impressionem qvippe in Bambergam faciente Tillio, & Rege Moguntiâ cum Exercitu versùs Franconiam gradum referente, Pontificii ad inferiorem Rheni oram spatium respirandi nacti, potissimâ periculorum imminentium parte se jam defunctos arbitrabantur.

Tractatus cum Coloniensi Civitate

Coloniensium deniq; Civitas ingruenti, ut videbatur, armorum tempestati cervicem subtrahere anxia, ad Regem Legatos destinaverat; Jacobum à Rottkirchen, Isenburgicum, Fridericum Vossium, & Johannem Coloniensem: Qvi admissi, qvod mandatum ipsis fuerat, haud perfunctoriè sunt exsecuti. *Civitatem*, nimirùm, *& cives suos inter Belgica turbamenta, licet, malo sensim in vicina subrepente, Coloniensem qvoqve diœcesin apertò bello circumplecterentur, tantâ moderatione se gessisse: Ut, tanqvam à factione omni liberos, & neutri belligerantium parti addictus, operam sine cujusqve impedimento, commerciis dare licuerit. Durante etiam præsenti tumultu, nullarum, qvæ in Regem cuderentur, machinationum fuisse participes, nec hosti, penso tributo, unqvam suffecisse rei gerendæ nervos; sed eò omnibus incubuisse viribus: Qvò, ambiguo hoc rerum statu, & præsentia inter pericula, immunitate, qvâ tempore Belgicarum turbarum gavisi fuerant, nunc qvoqve fruerentur. Petere ergò à Rege, ut militi, de commeatu civibus ac incolis suis hinc inde præstando, commerciorumve cursu neutiqvam sufflaminando, mandatum daret; certus: Ab ipsorùm parte nil, qvod Regi adversaretur, tentatum iri; sed intra innoxiæ vitæ carceres, qvibus se continendo vicinorum bellorum procellam evitaverant, porrò, strictè & ad ungvem, permansuros.*

Ita ad tractationem deventum, & condiciones à Rege Legatis propositæ: Inter qvas familiam ducebat *abolitio Edicti, qvotannis publicè proclamari soliti; qvo Protestantibus in civium numerum & tribus aditus præcluditur.* Cavebatur item his legibus, *de libero & promiscuo inter Protestan-*

tes ac Pontificios commerciorum usu, de connubiis quoque ad pontificii Cleri benedictionem, & juventutis educatione ad pontificiarum scholarum informationem minimè astringendis.

Qvod verò his talibus assensum præbere, in Legatorum potestate neutiqvàm foret, dimissione impetratâ, rectà ad suos, de omnibus relatum, abierunt. Nec horum palato Regis postulata, præsertim de Protestantibus tolerandis articulus, arridere visa. Itaq; ut hoc decederet, scripto ab eo enixè contenderunt: In reliqvis, *qvantum honore & sacramento, quo DEO Opt. Max. Cæsari, Imperio, & Universitati suæ obstringerentur, illæsis fieri posset, morem eidem gesturos*, polliciti.

Huic tractatui Clerus pontificius, maximè Jesuitarum secta, manibus, pedibus obniti. Velut ejus notæ nonnemo, sub qvadragesimæ tempus de cacadæmone, Salvatorem nostrum tentante, verba pro concione faciens, textu huc detorto, inter alia, dixisse fertur. *Salvatorem nostrum præstolatum eòusq, donec dæmon ipsum tentatum veniret: Jam verò procul eidem occurri, & ultrò mitti obviam.*

Remittente qvoq; post Regis è Moguntia abscessum formidine, qvam ejus adventus intenderat, tractatio cum Coloniensibus, perinde ac cum Neoburgensi, evanuit.

Regis ad Lottharingiæ Duce literæ. Paulò antè Rex Sveciæ Duci Lottharingo, datis ad eum literis, *præcox alienis negotiis se immiscendi studium, & bellandi velut pruritum, qvem, nec Religionis, nec alio satis condigno pretextu munitus, palam fecisset*, exprobratum ierat; certiorem se ore rotundo, & verbis minimè implexis fieri, postulans: *Utrumne Dux, in hostili proposito perseverans, & adversæ parti suppetias subinde ferens, hostem Regem; an, infesto animo deposito, & copiis è Germania revocatis, amicum habere mallet?*

Ducis responsum. Ad qvæ humaniter in speciem Lottharingus respondit. *Regiæ qvidem virtutis æmulum; hostem exstitisse nunqvam: Precibus autem Cæsaris, auxilia flagitantis, non acqviescere, Majorumq suorum fidem, interpellatum, non sequi, nec honestum duxisse, nec tutum. Maximè, cum Lipsiensis conventus haudqvaqvàm ipsum latuerint consilia; subditorum securitati, dignitatiq suæ insidiantia: Indignum igitur Principe ratum, incendium intra parietes proprios segniter opperiri; bellumve inevitabile inferre maluisse, qvam pati. Nunc tamen oblatam à Rege condicionem toto pectore amplecti: Eòq libentiùs, qvod à Religionis odio is causas belli procul abesse profiteatur. Promissam qvoque à Rege amicitiam summo studio culturum; nec recusaturum qvicqvam, quod honori famæve suæ foret consentaneum.*

Sveciæ & Galliæ Regum in Lottharingum pactio. Verumenimverò facta verbis haud respondere, nec Lottharingus ab armis comparandis, & hoste subsidiis firmando absistere, compertus. Pactione ergò inter Sveciæ & Galliæ Reges initâ, *hic* qvidem *Ducem, siqvidem amicabili monitioni aures penitùs obturaret, bello summis viribus persequi, & in eos angustiarum redigere terminos* recepit; *ut Regi Sveciæ & ejus Fœderatis insultare non ampliùs posset*: Viceversâ *Sveciæ Rex Gallo, si qvandò forsan à Cæsare, Hispano, aut alio qvopiam arma inferrentur, pro virili parte auxilio affore*, restipulabatur.

Regina Sveciæ ad Conjugē venit. 2. Sub ineuntis Anni exordium Regina Sveciæ, qvæ præteritâ æstate in Germaniam appulerat, Misniâ peragratâ, ad Conjugem iter maturans, Hanoviæ proximare intellecta. Cujus in occursum Rex Francofurto illicò properans, felicemq; adventum sibi pariter ac illi gratulatus, Geilhusium cum ea profectus est. Ob Pappenhemii namq; irruptionem in Saxoniæ inferioris Circulum, arma eò ipsemet transferre meditabatur. Sed mutato illic rerum statu, & Pappenhemii receptu cognito, par hoc regiorum Conjugum retrò Francofurtum iter habuit: Ubi, decimo tertio Calendarum Februarii, vallo crebris, sed innoxiis, tormentorum fulminibus coruscante, & plateis urbanæ plebis in armis longâ utrinq; serie, qvà transeundum erat, stantis splendore fulgentibus, à gratulabunda Civitate magno cum plausu accepti.

Et Regni Cancellarius. Sub idem qvoq; tempus Regni Sveciæ Cancellarius, Axelius Oxenstirna,

ſtirna, Baro, ad Regem, ejus accitu venit.

Fridericus item Bohemiæ Rex.

Similiter Fridericus, Bohemiæ Rex, Comes Palatinus Rheni, qvi Hagæ Comitum apud Batavos vitam hactenùs ſuſtentârat, tertio Iduum Februarii Moguntiæ ſe ſtitit: Aviti patrimonii, unde tanto temporis tractu exulârat, hoſtibus à Rege jam bonam partem extorti, poſſeſſionem redempturus. Qvippè id ultro Rex Sveciæ obtulerat: Certis tamen & his ipſis legibus; ſub qvibus poſtmodùm, Rege vitâ functo, reſtitutio Palatinarum dicionum à Regni Cancellario, ut hodiernæ Reginæ ac Regni Sveciæ cum pleniſſima poteſtate Legato, Friderici, pariter rebus humanis exemti, liberis, hæredibus facta, & ad colophonem perducta eſt.

Nec non alii Principes, Ordines, Legati.

Præter hunc non pauci alii Principes, Comites, Barones, Civitates, pars ipſimet, pars per Legatos Regi præſto erant: Adeò ut unico die ad viginti diverſæ ſortis auditi, qvisq; reſponſum ore tenùs pro re natâ à Rege retulerint. Inter qvos pleriq;, Proteſtantium Religioni addicti, publici boni causâ, Regis amicitiam ibant qvæſitum, certisq; cum eo condicionibus in fœdus coaleſcebant.

Fœdus Regis cũ Duce Brunswicenſi;

Inprimis Fridericus Ulricus Dux Brunswico-Luneburgenſis, iisdem legibus, de qvibus, proximè elapſo anno, Regis nomine, Ludowicus, Princeps Anhaldinus, cum eo convenerat, cum Rege, re ad ipſummet jam delatâ, plenè transegit. Qvarum vi Rex *Duci, in protectionem & clientelam recepto,* pollicebatur: *Diœceſin Hildeſienſem, & tres, qvæ Pontificiis hucusqve ſuperfuerant, præfecturas, Steurwaldum, Peinam, Marieburgum, unà cum ipſa Urbe, qvantum juris Episcopus, Canonicorum Collegium, & Clerus in ea ſibi vindicarent, in manus conſignare; eundem ab omnium, nominatim qvas Goslarienſes intenderant, actionum moleſtiâ eximere, & liberare; nec non conniti; ut bona, in agro Isfeldio ſita, qvorum causâ cum nonnullis Pontificiæ Religionis Ordinibus, præſertim Electore Moguntino controverſia intercedebat, Ducibus Brunswicenſibus ex bono & æqvo reſtituerentur.* E diverſo Dux *ad recuperandas avitas diciones, poſſeſſionemve diœceſeos Hildeſienſis vi arripiendam, regio Exercitui ſvetas ſingulis decendiis penſiones, &, ſicubi non ſub dio tenderet, fœnum aliave, qvæ hoſpitiorum intuitu ſolvi moris, ſervitiorumq; nomine veniunt, præbere, inſuper, dare operam,* recepit; *ut commeatum ac pabulum, moderato facto rerum æſtimio, militi emturienti præſto eſſet, atqve ad manum. Poſt recuperatas autem & occupatas dictas provincias, ad proſeqvendum porrò bellum, aut definitâ eqvitum, peditumve manu Regi futurum ſubſidio, aut certam, qvæ militum huic numero æqvipolleret, exſoluturum pecuniæ ſummam.*

Cum Brunswigæ Civitate.

Ducis ſui veſtigia cognominis Brunswigæ Civitas illicò ſecuta, fœderi, qvod cum Johanne Salvio, Commiſſario Regis generali, ſufficienter ad hanc rem inſtructo, ſub Anni proximè præteriti finem pepigerat, ſupremam manum, adhibito ipſius Regis conſenſu, addidit: Fide ſanctiſſimè interpoſitâ. *Ut Fœderatos ac clientes decet, damno Regis avertendo, & promovendis commodis daturos operam; nec mentem conſiliis, nec operi ulli manum admoturos, qvæ in Regis, aut ejus Regnorum, dicionum, ſubditorum præjudicium vergerent; quin potiùs fideliter pro viribus eidem aſtituros: De Urbe, & munitionibus ejus in fœderationis hujus & utriusqve paciſcentium emolumentum conſervandis, ſolicitos, ut par ſit, fore; nec intromiſſuros hoſtem, ſed in eo abercendo ſummis viribus allaboraturos. Tractationibus & transactioni, Rege inſcio & diſſentiente ab hoſte oblatis, obſtructuros aures; neqve commeatu, pulvere nitrato, aliis belli neceſſariis illi futuros adminiculo: Demum, Rege flagitante, quadringentos ſclopetarios, armis probè inſtructos, ſummo militiæ regiæ per inferiorem Saxoniam Præfecto miſſuros ſuppetias, &, ſimul ac milite hoc exonerarentur, diverſo pecuniarii ſubſidii oneri promtè ſucceſſuros; tributo certo in Regis ærarium, per eandem Saxoniam inſtitutum, qvotmenſibus collato.* Vice versâ Rex *protectionem Civitati ac tutelam* repromittebat, & ſpeciatim, *qvotiescunqve urgeret neceſſitas, qvantum muniendæ Urbi, hoſtiumve furori moenibus ejus defendendo ſufficeret, militum præſidium: Qvibus, in foederis hujus*

jus formulam, & Urbis propugnationem civium Universitati sacramento prius astrictis, vicissim à civibus, quamdiu in Urbe commorandum, ac pro aris focisve ipsorum pugnandum esset, cùm hospitia, & quæ consueto more hospitiis annexa (*servitia* appellitant) *præberentur, tum necessaria vitæ sustentandæ annona. Hoste autem depulso, & periculo defunctâ Civitate, ad Senatus instantiam, è vestigio, nullo damno illato, Urbe denuò eductum iri.*

Cum Ducibus Megapoleos

Cum Ducibus Megapoleos, jam mense Augusto Anni præcedentis, Stenbergio, Consiliario secretiori Regis aulico, interveniente, de fœdere ineundo actum fuerat. Verùm causabantur eò tempore: Rem arduam esse, & maximi momenti, in qva tam ipsorum Principum, qvàm futuræ Posteritatis, imo omnium subditorum salus verteretur & incolumitas: Adeóq; non præcipitanter, sed maturo consilio in ea procedendum, nec, nisi Nobilitatis Ordinumq; provincialiũ consensu qvicqvam, qvod efficaciter stringeret, convenire posse. Hasfiaci qvoq; fœderis formulam, ad qvam, velut regulam, fœdus cũ ipsis ineundum amussitatum iri, Rex aliqvoties spem fecisset, & alia, rei exqvisitim disputandæ necessaria, documenta non haberi ad manum. Petere igitur qvatuordecim dierum spatium ad deliberandum. Nec idem fœdus, à Johanne Salvio, mense Octobri, iteratâ vice sub incudem revocatum, absolvi adhucdum potuerat: Qvod Duces, brevi ad Regem ituri, cum eo ipsomet conventuros, præ se ferrent. Mansit qvoq; tractatio eòusq; in suspenso: Sub finem demùm Februarii, post Adolphi Friderici Ducis adventum ad Regem, sortita exitum.

Qvo tempore *Rex memoratos Duces, fortunis à Cæsare exutos, in pristinam hæredii, qvod armis recuperarat, restituit possessionem*: *Nihil qvod in sua potestate esset, intermissurum, sed viribus omnibus enixurum adversùs qvemcunqve promittens; qvò possessionem, postliminiò adeptam, illibatam retinerent.* Duces autem Regi *de Wismaria, cum annexis ceti, aliisve munimentis, Varnemundâ qvoqve & Varni ostio, eidemve incumbente propugnaculo* (*salvo tamen, sibiq; reservato dominio locorum, & jurisdictione, nec non Regalibus, reditibus, cæteris juribus suis pristinis, usuve & jure commerciorum*) *retinendis, iisdemve per reparationem veterum munitionum, & novarum constructionem validiùs muniendis*, assensum præbebant: Liberum qvoq; Regi relinqventes, *in propinqvo, vel in insula Pœl, nova aliqvot munimenta erigere; si belli & securitatis ratio postularet. Præter certum* autem *menstruum, qvod solvere spoponderunt Duces, tributum, potestas insuper Regi facta; sublevandis belli sumtibus, ad Varnemundam & Wismariam, inq; portubus ac fluminibus Megapoleos cæteris, instituendi vectigalia: Salvis tamen, quæ Duces ab antiqvo obtinuerant, & centesimâ dicti vectigalis ipsis reservatâ.* Demùm recepêre Duces: *Sopito bello Germanico, & tranqvillatis rebus suis, firmum nihilominus mansurum, & inviolabiliter servatum iri hoc Fœdus. Qvod si contingeret, Regem Sveciæ, hæredesve ac successores ejus, atqve Regnum, aliis involvi bellis, amicitiæ & favoris, in calamitatibus ipsis exhibitorum, habituros rationem; atqve vicissim, qvantum condicio ipsorum ferret, secundùm id, de qvo foret conventum, impostertùm, vel milite, vel pecuniâ, Regi, Regnove Sveciæ, adversus eorum hostes, succursuros.*

Cum Ulmæ Civitate.

In Germania superiori Ulma, libera & insignis Imperii Civitas, regiæ protectioni eodem mense Februario successit. Cui Rex spopondit. *Sitos in Urbe aut ejus territorio Teutonici Ordinis, aliorumve Pontifitiorum ecclesiasticos fundos, eorumve proventus, aliorsùm minimè alienatum, sed, ad sustentandum præsidium, Civitati administrandos, & utendos fruendos relictum iri: Cleri qvoqve pontificii immobilia, & aliorum, huic Religioni deditorum, satrapias, quotquot civicæ jurisdictionis cancellis circumscriberentur, qvantum temporis & rerum condicio ferret, Civitati tributaria, territorii verò Ulmensis incolas, Cives & clientes Reipublicæ, eorumve familiares ac bona, ab omnibus diribitoriis, stativis, hospitiis militum, nisi necessitas diversum flagitaret, immunes fore.* Qvod verò Civitas, & civici, elapsis retrò annis, per hospitia militaria uno protelo cõtinuata, perq; contri-

contributiones varias, & acerrimas exactiones, ingentem fortunarum jacturam se passos, & æri alieno adeò immersos, ut emergere vix liceret, conqvererentur, ideò *luculentæ remunerationis, ad resarciendum qvadantenùs damnum, spes à Rege illis facta.* Vicissim Ulmenses, *præter fidelitatem Regi, ut Patrono, debitam, & qvæ hoc nomine censentur, præsidium Urbis ad mille ducentorum capitum numerum auctiros, impendiis suis alituros, & extemplò, in Regis verba adactum, ejusdem militiæ transcripturos,* receperunt. *Præfectum* qvoq; *Urbis à Rege ad mittere haud qvaqvam recusabant: Qvi, & Regis, & Civitatis nomine, præsidio moderetur; excubiis, stationibusq; magnâ providentiâ accuratis, Urbis securitati unà cum Magistratu invigilaret; justitiam ad hæc junctim cum eodem in militem præsidiarium exerceret; nec secùs, ut ipsemet miles, Civitati, in fœderis hujus formulam, jurejurando obstringeretur. Præsidium porrò, si Urbis id permitteret securitas, & Rex è re fore putaret, etiam foras, usque ad trecentos (qvi, vigiliis obeundis, continuò intra pomœria remanerēt) Urbe eductum, quotiescunq; Regi videretur, publicis usibus impensuros, novoq; statim succenturiato milite, numerum mille ducentorum capitum iterùm suppleturos,* profitebantur. *Provincialem insuper militem, urgente necessitate, in subsidium vocaturos ad arma, ejusve operâ, sub Regis directione ac imperio, ad publicæ rei emolumentum usuros: Navigia denique, quotqvot aut jam parata reperirētur, aut confici possent, debito ad compingēdum pontem navalem apparatu & navicularis instructa, Regi postulanti missuros,* polliciti.

Cum Comitibus Wetteraviæ & occidentalis silvæ.

Comites Wetteraviæ & occidentalis silvæ, unà cum Nobilitate, qvæ larem isthìc habet, à paucis retrò annis, maximâ fortunarum parte pontificii cleri importunitate & oppressione exuti, in regiæ protectionis sinum, velut asylum, & tutum miserorum refugium pariter se recipiebant: Rege, operam daturum, promittente; *ut bonis, qvæ Religionis & officiorum, factioni Protestantium religiosè hoc bello præstitorum, intuitu ipsis erepta fuerāt, restituerentur; ac litibus, si qva cum vicinis intercederent, amicâ transactione sopitis, judiciorum liberarentur molestiis atque sumtibus. Ipsi* autem, *universi, singuli, Liberatorem & Patronum suum, à Deo proximum, grato animorum affectu agnoscebant Regem; protectioni ac clientelæ ipsius, absqve ullo communium hostium, qvicunqve tandem forent, aut qvomodòcunqve nominarētur, respectu, subjicientes se, & data fide obstringentes: Corpore, bonis, sangvine insuper habitis, ut devotos christianæ fidei cultores, Dei cultu, nec non honestate publica flagitante, decet, unam eandemve cum Rege subituros fortunam; &, ad sustentandos Exercitus, qvamdiu bellum duraret, regio, qui Francofurti ad id ordinatus foret, Commissario certum qvotmēsibus dependuros tributum.*

Transactio cum civitate Lubecensium.

In inferioris Saxoniæ Circulo Rex, circa hoc tempus, per generalem Commissarium, Johannem Salvium, tres magnæ celebritatis Urbes, Lubecam, Luneburgum, & Bremam similiter impulit; ut communi Protestantium oneri succedentes, communem causam fovendam amplecterentur. E qvibus Lubecenses, *peditum aliqvot, ex his, qvas Urbi tuendæ alebant, cohortes, ad mille capitum numerum, exauctoratas, in Regis stipendia transcripturos, certâ insuper intra trimestre spacium numeratâ pecuniæ summâ,* spopondēre: Qvem tamen militem, qvod, sacramento solutus, seditionem indueret, tradere postmodum Regiis non potuerunt. Regis verò nomine, *de Civitate, ejusve subditis, & his etiam, qvorum dominiū Civitati cum aliis commune; nominatim oppido Bergerdorff, nec nō qvatuor, qvos vocāt, Albi assitis districtibus, à militaribus hospitiis, contributionibus, populatu, & insolenti militum licentia eximendis,* Salvius reciproco illis scriptocautū ibat.

Luneburgensium.

Luneburgenses Regi fidem dedēre, *de Urbe, ad Regis & Regni Sveciæ, communemve omniūm Protestantium securitatem ac commodum, contra qvoscunqve Regis & Protestantium hostes, summis viribus defendenda: Regiis fide, benevolentia, favore, & omni officiorum genere proseqvēdis, nec qvoqvam in eorū perniciem, seu apertè, seu per cuniculos, consilio factisve moliēdo: Trāsitu qvoqve Regi & Regiis, seu cum integro Exercitu,*

seu cohortatim, & singulis Legionibus, qvocunqve tempore sine mora præbendo, Regis verò hostibus omninò præcludendo; tantum abest, ut tradere hosti Urbem, aut præsidium ejus intra mœnia recipere vellent. Qvin hoc potiùs casu, qvòusq; calidi sangvinis gutta superesset, infestis animis & armis ejus conatui se opposituros. Ingravescente qvoqve ab hoste periculo, si necessitas, Regis judicio, militare præsidium Urbi imponi flagitaret, haud gravatim id admittere assentiebâtur: *Modo tamen miles, in Urbem recipiendus, civium communioni juramento prius obstringeretur; nec Magistratui urbico, in justitiæ & rerum urbanarum administratione, qvicqvam injiceret remoræ. Cum qvo præsidiario milite Cives utriusqve fortunæ aleam subituri essent; &, sub absoluto Regis imperio, secundùm fœderis, inter Regem & Principem, Civitatis Dominum, contracti formulam, defensioni Urbis strenuè instituri.* Summatim *ad omnia paratos se* ostendebant, *qvæ devotorum DEO ac Patriæ civium, fidorumq; clientum munus, nec non Regis ipsius, ac regiæ, pro publica salute excubantis, militiæ securitas exigerent.* Sub finem tamen consensum hunc suum ad *ratihabitionem & approbationem Principis, qvem superiorem agnoscunt*, restrinxerant: *Regalibus ac principalibus ejus juribus conventione hac nil derogatum velle*, protestati.

Et Bremensium. Ultima Bremæ qvoq; Civitas, *de certo tributo intra sex menses, seu in pecunia numerata, seu commeatu, exsolvendo pacta, mœnia, ad hæc, sua contra hostes Regis Sveciæ, ut Moderatoris religiosi, qvod à Protestantibus in Germania gereretur, belli, pro virili parte tueri*, obstrinxit. *Regiis porrò copiis, reqvirente necessitate, ad eorum instantiam, ruri per fines suos liberum, nec impeditum, sibi tamen minimè damnosum, iter præbitum; qvinimò (siqvidem Visurgis tramittendus veniret, nec alia, vel supra, vel infra Urbem, tramittendi media superessent) per mediam Urbem, modò maturè de eo certiores redderentur, suo tamen arbitrio, nec nisi cohortatim, & bono cum modo, transitum concessum iri.* Factâ demùm oblatione: *Sicubi forsan ab hoste potentiore premerentur Regii, intra fines suos, vel sub tormentorum jactum in suburbia (non tamen in Urbem ipsam, ultra citrave flumen) daturos receptum; &, qvò hostium perniciem illis machinantium, faucibus eriperentur, pro opum suarum copia auxilio ac subsidio affuturos.*

Rex D. Botthvidi in diœcesin Halberstadēsem, statui ecclesiastico restaurando, ablegat. Occupationibus his politicis distentus Rex, de instaurando tamen divino qvoq; cultu, qvi hostilium persecutionum procellâ multis in locis perculsus ac prostratus fuerat, solicitum se præbere non desiit. Inter alia, qvod status ecclesiasticus diœceseos Halberstadensis, temporum iniqvitate ac mole belli presfus, ruinam duceret, adeò ut, nisi remediis maturè adhibitis, tandem penitus collapsurus videretur, ingenti malis his occurrendi, Religionemq; priori ac incorruptâ Augustanâ confessione comprehensam, jam nutantem & lapsabundam rursùs erigendi, suffulciendiq;, desiderio flagrans, D. Johannem Bottvidi, Episcopum Lincopensem, eò missum ibat: Qvi diligentissimâ omnium rerum inqvisitione habitâ, Ecclesiæ illic res, juxta mandatorum suorum formulam, ordinaret ac stabiliret. Qvod ut insigni Zelo à Rege ipsi injunctum, ita suppari solertiâ ab eodem exsecutioni mandatum.

Rhingravius Hispanos ad Mosellam profligat. 3. Sed ut revertamur ex intervallo ad bellum, qvod Rhenano in tractu gerebatur, Hispani induciis, qvæ inter Regem Sveciæ & Pontificios fœderatos pactæ fuerant, ad finem vergentibus, copias nonnullas circa Mosellam coegerant: Franckendalum & Creutznacum, defendendis inferioris Palatinatus reliqviis, qvotqvot iis adhuc supererant, ituras. Nec segnis, eo intellecto, Rex Francofurto Moguntiam, prono Mœni & Rheni flumine devectus est: Conatibus eorum tempori occurrere certus. Cujus mandatu Rhingravius Hispanos aggressus, strenuè rejecit: Trucidatis ad septingentos, compluribus captis, & octo vexillis, qvorum unum hastili direptum erat, in potestatem redactis, Regiq; Moguntiæ, velut victoriæ symbolum, præsentatis.

Rex Creutzna- Non distulit Rex, contuso ac

inter

cum, obsidione cinctum, in potestatē redigit. fracto hac clade hoste, Creutznacum cum parte Exercitus adoriri; Urbis inter prima statim armorum tentamenta vi potitus, & plerisq; Hispanorum, qvi præsidio illic erant, in arcem se recipientibus: Paucos namq; solummodò moratores deprehensos irruentium regiorum ardor vitâ mulctârat. Mox ad arcem qvoq; militariter vis facta: Sed, Hispanis acriter resistentibus, prima aggressio in irritum cecidit. Ubi verò, cuniculis actis, & pulvere nitrato ingesto pars munitionum in aerem, Regis jussu, evibrari visa, signo tympani sonitu illicò dato, vitæ gratiam sibi fieri, & petierunt, &, armis omninò depositis, Regis arbitrio se dedentes, consecuti sunt: Qvos tamen, lateralibus armis ultrò donatos, Rex liberos dimisit. E Regiis, durante obsidio, ad ducentos, partim desiderati, partim vulneribus debilitati. Inter istos Wolmaro Rosladino, summo vigiliarum sub prætoria eqvitum Legione Præfecto, supremus hîc loci dies illuxit: Nec non Wolfarto Hallio, ejusdem dignationis, sub pedestri Ducis Vinariensis Legione, Duce; qvi globo id genus, qvod, è ductili æris filo concinnatum, inter jaculandum se expandit, cervicem percussus, occubuit. Inter hos Tribunus Winckelius, imum pedis graviter saucius reperiebatur.

Braunfelsæ arx Regiis cedit. Paulo post Braunfelsæ montana & munitissima arx, qvam Regii, ductu Philippi Reinhardi, Comitis Solmensis aliqvamdiu circumsederant, deditionem pacta, excedentibus Hispanis, in Regis potestatem venit.

Bobenhusa item. Eadem Bobenhusæ, arcis & oppidi, fortuna; qvæ Cæsarianorum qvorundam præsidio tenebatur. Nam & hi à Wolffgango Henrico, Comite Isenburgico, cum nonnullis copiis illuc misso, brevi ad deditionem compulsi.

Et Kirchberga. Rhingravius interim Kirchbergam, in Obrincano tractu seu Hunnorum recessu sitam, vi invaserat. Ubi Italorum & Burgundionum qvasi centum qvadraginta ferro occiderunt: Germanorum, qvorum ad centum reperti, vitæ parcitum, nominaq; in Regis militiam transcripta.

Moguntia munitur, & Gustavoburgi fundamenta jaciuntur. Dum hæc geruntur, munimentum, qvod Moguntiæ è Monte Divi Jacobi imminet, nec non Urbs ipsa, qvantum loci condicio ferebat, novis operibus circumdari, & magis, magisq; muniri cœpta: Simul Rhenus, qvà Moguntiam ac Cassellas interfluit, & Mœnus ad Costhemum, singuli fluvii singulis pontibus, è navigiis inter se connexis, & trabibus asseribusq; superinjectis, strati. Nec longulè supra Moguntiam, ad Mœni, in Rhenum se exonerantis, fauces, novi munimenti, qvod Gustavoburgum indigitavimus, fundamenta Regis jussu jaciebantur.

Legati ab Electore Saxoniæ propositio. Ineunte Martio, Conradus ab Einsiedel, Legatus Electoris Saxoniæ ad Regem, inter alia, maximè *auxiliorum* satagebat, *Domino suo, ad ejus instantiam, necessitate exigente, submittendorum; admonendorumq; qvorundam Imperii Ordinum: Ut, qvam præterito Lipsiensi conventu subsidiariam pecuniam numerare Electori receperant, haud gravatim exsolverent.*

Regis responsum. Nec in priori difficilem se Rex præbuit. *In hunc adeò finem commodis locis partem Exercitus sui hactenùs substitisse, asserens; qvò, tempore necessitatis, Electori præsto esset, & ad manum: In hunc qvoqve finem Laurentium Caggium, Tribunum, cum non spernenda copia porrò ad Albim relictum iri. Interim præcipitanter aut inconsideratè hanc rem agi nolle, sed de hostium priùs & electoralis Exercitus statu certiorem reddendum. Qvod ad alterum; non ulli qvidem interdixisse, qvò minus, qvæ polliciti fuerant, præstarent: Ordines tamen novis contributionum oneribus, præter ea, qvæ jamdum cervicibus illorum incumbant, exantlandis haudqvaqvam pares existere. Qvapropter spem Rex certam de Electore foveat: Christianâ misericordiâ tactum, æqviorem iis fore; qvàm ut, & hinc, & illinc, tributorum pensitationibus obnoxios, duplici velut flagro uri, atqve ad incitas redigi velit.*

Hoc Regis erat, Electoris Saxoniæ Legato datum, responsum; compositis postmodùm ad eundem hac de re literis, scripto iteratum.

Argentoratenses in Alsatia Lottharingos invadunt.

4. In superiori Rheni tractu, & Alsatia, Argentoratenses, grassaturâ Lottharingorum (qvi illis in oris aliqvamdiu pro libidine dominati, ipsum Urbis territorium infestare ad extremum ausi fuerant) irritati, patientiâ tandem in iracundiam versâ, arma correptum ivêre: Ablegatusq; Urbe, mense Januario, Weitzius, eqvitum Magister, turmâ suâ, & ducentis sclopetariis, Arnoldi Bovenesti Centurionis ductu, stipatus, cum mandatis, ut Lottharingos, ubicunq; locorum copia illorum foret, armis hostilibus persequeretur. Hi, superiorum jussu, è vestigio Plessenhemi arcem, pagumq;, ubi qvatuor Lottharingorum alæ, cum magno calonum & impedimentorum numero hospitabantur, & insignem eò, tanqvam in spelæum qvoddam, prædam congesserant, contenderunt: Post masculam tentatam impressionem, utut Lottharingi acriter initio repugnarent, superiores facti; obtruncatis ad centum, duobusq; eqvestribus vexillis, qvamplurimis generosis eqvis, & opimâ prædâ ab hoste reportatâ. Argentoratensibus econtrà septem, nec plurium, militum impendio victoria stetit.

Facto autem apertæ hostilitatis exordio, ter centum denuò milites Urbe mox emissi, prohibitum: Ne Lottharingi, exulceratis clade animis, ultionem meditantes, Civitatis pagos urerent. Incidêre isti forte fortunâ in Lottharingorum manum, deducendis, nescio qvibus, impedimentis destinatam, sedecimq; inde cæsis, reliqvos in fugam compulêre: Uno elegantis structuræ pilento, curru itidem uno, & carris aliqvot, varia supellectile onustis, nec non eqvis compluribus potiti.

Ruricolæ intereà Alsatici soli, hospitum horum & eorum petulantiæ itidem pertæsi, haud magis iis parcere, sed, ubicunq; prævalere dabatur, neci dare: Qvo factum, ut residui, infesta sibi omnia experti, nec auræ adversantis rigorem diutiùs tolerantes, ex Alsatia in Patriam sensim dilapsi fuerint.

Munimẽta ad Lichtenavũ & Drusenhemum solo eqvãtur.

Lubrico hoc Cæsarianorum in Alsatia statu, Hanoviæ, qvi Busweileri agnomen habet, Comes, Regis Sveciæ nomine, ambo ad Drusenhemum & Lichtenavum munimenta, qvibus, in utraq; Rheni ripa excitatis, principi huic amni velut compedes Cæsaris miles injecerat, aggressus, nullo negotio, unà cum Lichtenavi oppido occupata, insigni rusticorum, vicina arva incolentium, jubilo demoliebatur.

Christianus Palatinus Rheni pro Rege delectũ habet.

Christianus qvoq; Palatinus Rheni (Birckenfeldensem communiter appellavimus) qvi inter regios Duces nomen nuper suum professus erat, supremi eqvitatus Præfecti titulo à Rege auctus, nulli parcebat labori, qvo novum pro Rege Exercitum in Marchionatu Badeno-Durlacensi, & conterminis locis conficeret: Magno militum undiq; ad novos hos delectus confluentium, concursu.

Ossa Wilstetum occupat.

Econtrà Rudolphus ab Ossa, generalis Cæsaris Commissarius, bis circiter mille milites Brisaci hoc tempore coegerat, Lohriq; oppido, qvod ad qvartum milliare Argentorato distat, occupato, Offenburgum ducentorum præsidio firmârat. Unde duodecimo Calendarum Martii, Wilstetum, Comitis Hanoviæ vicum, profectus, deditionem fieri imperabat. Sixtelius, regius Centurio, qvi, sexaginta sclopetariis & aliqvot rusticis stipatus, hîc hærebat, acriter primò resistere, & propiùs subeuntes Cæsarianos repellere, hi qvoq; initio trepidare, & Grishemum usq; pedem retrò ferre; adventantis regii subsidii, illinc spe, hinc metu: Qvorum illa Sixtelio animos fecerat, ut restitaret; hic Cæsarianos perculerat, ne instarent. Sed, evanescente utroq;, ad oppugnationem postridiè à Cæsarianis, integratâ irâ viribusq;, reditum, &, irruptione vi factâ, qvicqvid in armis occurrit, ferro mactatum: Ipsomet tamen Centurione, & plerisq; militibus, incolis, imbelliq; turbâ, qvotcunq; subitus hostium impetus occupare non potuerat, in arcem ejus furori se subducentibus. Interim vicus totaliter direptus, & moletrina, maximaq; & potissima ædium pars incendio hausta: Qvæ flammæ injuria centum circiter innoxiæ ætatis infantes miserando exitio involvit; ingentemq; insuper

annonæ copiam, in molendino repositâ, &, unà cum ædificii pretio, qvinqvagies mille Joachimicis plùs minùs æstimatam, absumsit. Refugi in arcem & ipsi, defensione omni abjectâ, deditionem fecère: E qvibus Centurio captivus retentus, milites verò sub Cæsarianorum signa distributi; arce direptâ, & eâdem, qvam vicus expertus fuerat, sorte in cineres redactâ.

De Magdeburgi deditione agi incipit.

5. In Saxonia inferiori, statim à Lipsiensi victoria, Regis jussu, Laurentius Caggius Tribunus, omniū primus, cum propria, nec non Rosæ Tribuni Legione draconum Calbæ diverterat, & Saltzam, Schonbeccam, Eglam, Stasfurtum, alia opportuna circùm loca, ipsamq; Halberstadii Urbem validis stationibus firmando, tum, creberrimis noctu, diu factis excursibus, itinera infestando, Magdeburgum, seu Magdeburgi potius reliqvias, eminùs velut incinxerat; mox Bannerius, cum novis copiis superveniens, lenti hujus obsidii nodum arctiùs adhuc contraxerat: Adeò ut, sub Anni proximè exeuntis finem, præsidium Cæsaris non mediocri rerum necessariarum angustiâ urgeri inciperet.

Compertum id Bavariæ Duci, qvi Campiductori Pappenhemio idcircò mandata dedit: Copiis, qvotqvot ad manum essent, in unum conductis, huc (siqvidem possibile & consultum videtur) properaret, obsidioq; soluto, & munitione Urbis ad terram depositâ, præsidiarium secum abduceret militem. Sin expeditio isthæc nec possibilis factu, nec utibilis, Mansfeldio Comiti, ut, honestas deditionis leges pactus, militum, qvod Urbi inerat, robur conservaret, ab eodem Duce injunctum.

Mansfeldius ergò, cui tardiusculus visus Pappenhemii adventus, sub præteriti Anni decursum, cum Bannerio in tractatum descenderat de Urbe dedenda: Spem faciens, modò à Saxone & Brandenburgico Electoribus scripto, utriusq; manu ac sigillo firmato, unà cum milite Glogoviam Silesiæ tuto deductum iri, ipsi caveretur, excessurum traditâ in Regiorum manus Urbe. Qvinto autem Calendarum Januarii, loco, qvod, secundùm fidem à Mansfeldio datam, de re omninò transactum iri putabatur, datis ad Bannerium literis, eidem insinuatum. Hoc ipso momento, dū condicionibus & articulis deditionis scripto comprehendendis Mansfeldius occuparetur, de subsidio, qvod præ foribus esset, certiorem redditum: Ad resiliendum ergò à conventione nondum consummatâ, fidei & honoris vinculo obstringi. Et hac ratione tractatus istius tela penitùs abrupta.

Nec vanum erat, qvod Mansfeldius jactârat. Pappenhemius enim, è diœcesi Coloniensi cum nonnullis copiis movens; Visurgi tramisso, & & coactis illic è vicinorum locorum præsidio aliqvot militum millibus, jā in propinqvo versabatur: Bannerium adoriri, & plagas, qvibus Magdeburgum circumdederat, vi perrumpere certus. Qvod verò Bannerius hiemis inclementiâ, & diutinæ obsidionis tractu fessum ac langventem militem integris atq; recentibus hostium viribus objicere, donec auxiliis Gulielmi, Saxoniæ Ducis (qvi conjunctionem obtulerat) suffultus, auctior contrà iret, minimè consultum arbitraretur; ideò, adventu Pappenhemii cognito, trans Salam recipere se cum suis, satius habuit: Transitu fluminis hostes, si tentarent, omnibus viribus defensurus. Relicto itaq; Halberstadii præsidio, qvod, aut Urbi tuendæ, aut deditioni honestis legibus impetrandæ sufficiēs videbatur, reliqvum Exercitum Calbam contraxit; ibiq;, in ultrata Salæ ripa, opportunitate loci ab hostium impressione tutus, consedit.

Qvæ Pappenhemii adventu interpellatur.

Pappenhemius autem, ultimo Nonarum Januarii, Gvelpherbyto cum milite, qvem constipaverat, movens, Scheningam & Helmstadium progressus est: Qvibus direptis, Barlebam, tertiisq; inde castris, pridiè Nonarum Januarii, Magdeburgum perventum.

Magdeburgo variæ militum manus in viciniam circumcircà excurrere jussæ, crudelitatis ubivis & sævitiæ suæ vestigia altè impressa relinqvebant. Inter alia, ipso Epiphaniorum festo die, Gomeram, Electoris Saxoniæ præfecturam, irrupère: Fores

res

res ædium, scrinia, & qvicqvid ferri duritiæ mollitiâ suâ cedebat, assulatim magnâ petulantiâ comminuentes, frumentum, cerevisiam, vinum, alias annonarias species, qvãtum in eorum facultate erat, aut singulari absumentes prodigentiâ, aut secum avehentes; reliqvo per neqvitiam in terram effuso, projecto, pedibus conculcato. Nec Mulingæ arx, illiq; proximè subjecti duo pagi, mitiorem sortem experti. In Barbyam par faba cusa fuerat: Sed præcursores, cum vineis, Urbi præjacentibus, proximarent, multis ignibus conspectis, velut dispositarum excubiarum indicibus absterritos, totum agmen retrò egisse, ferunt. Qvod ab incolis, qvi nullorum ignium excitatorum sibi erant conscii, in religionem versum, ac pro divini Numinis cœlestiumq; Spirituum præsenti custodelâ habitum. Non diversa fortuna Servestam qvoq; manebat; qvorsum Gottschium, Breunerum, Glenium, Tribunos, cum milite aliqvammulto & nonnullis tormentis destinaverat Pappenhemius: Verùm rumor, de Georgii Ducis Luneburgensis versùs Brunswigam & Gvelpherbytũ progressu, aures percellens, propositum interpellavit, effecitq; ut, milite in unum coacto, & reculis convasatis, ad iter denuò accingeretur.

Magdeburgum, milite educto, ab hoste deseritur.

Jam res annonaria Magdeburgi, ut diximus, in arctum redierat, nec è vicinia, maximam partem desolatâ & exhaustâ, de necessario commeatu præsidiario militi providere dabatur; adeoq; trahendi hoc loco belli nulla ampliùs spes supererat. Pappenhemius ergò tormenta, qvotqvot avehere secum non poterat, partim pulveris, plus justo inditi, onere dirumpere, in Albim partim præcipitare, partim, clavo posteriori, flammæ excitandæ relicto, foramini impacto, corrumpere; naves, molendinum navale, pontem recenter constructum, & militum casulas igne (qvi residuas à priori incendio piscatorum qvasdam domunculas complexus qvoq;, depavit) absumere; prædâ deniq;, qvam velut in spoliarium è finitimis locis huc congesserat, curribus impositâ, cum omni, qvem adduxerat, & qvi præsidium hactenùs Magdeburgi agitârat, milite, vacuâ relictâ penitus Urbe, discedere: Domerslebam, Sehusium, Eggenstadium transgressus, & Gvelpherbytum rectâ pergens.

Magdeburgi Cæsarianorum jugo ita liberati custodiam Bannerius, haud diu post, tribus, Salomonis Adami, & Tupadelii, Tribunorum, Sopiiq; subTribuni Legionibus committebat. Cives etiam, qvi nuperæ cladis procellam vivi evaserant, ex parte, ad pristina limina, ruinis deformia, reversi, in ruderibus domos, sed antiqvo structurarum splendori haud comparandas, moliri cœperunt. Qvibus calcar simul additurus, simul, qvantum in se foret, adminiculaturus Rex, publico rescripto, *de privilegiis pristinis, qvæ vorax ignis pleraq; hauserat, non confirmandis modò, sed novorum concessione augendis*, fidem dedit; indulgens insuper: *Ut cuprum, & qvicqvid ædificiis instaurandis idoneæ materiaturæ duplicem hostilis flammæ injuriam evaserat, gratis, nullo inde exacto pretio, inter cives distribueretur.*

Pappenhemius autem, præsidio sex pedestrium cohortium, & unius eqvitum alæ Gvelpherbyti relicto, Visurgim versùs indè movebat: Atrociter, qvòcunq; per Brunswicensem & Luneburgensem agrum pedem ferret, debacchatus, & in seniorem præcipuè Luneburgensium Ducem, qvi regiminis clavum tenebat, irâ, minisq;, ac verborum impotentiâ exæstuans, nec Cellis modò, aulæ ducariæ sedi, obsidium, sed toti provinciæ dira qvæq; & excidium interminatus.

Qvas minas ne in effectum conferret, Regiorum, Gulielmi, Saxoniæ Ducis, & dicti Bannerii ductu, appropinqvantium interventus impediit. Gulielmus enim Dux cum aliqvot militum millibus, veteranis partim, qvos Rex, in superiorem Germaniam transiens, illi attribuerat, partim recenter ad Regis mandatum, Erfordiæ & hoc terrarum tractu conscriptis, superato Herciniæ silvæ seu Hartonis aspreto, decimo qvinto Calendarum Februarii, Bannerio se junxerat; junctisq; viribus & animis uterq; Pappenhemium, ubi ubi foret, qvæsitũ ibant.

Pappenhemius,

Verùm hic, rotâ figulari versutior, ancipiti, qvod imminebat, discrimini caput

Visurgi superato, in Westphaliam transit.

caput maturè subduxit; tramisso ad Hamelam Visurgi, in Westphaliam divertens: Ubi Lemgoæ Urbem, immunitatem ab hospitiorum militarium onere ambientem, octies mille qvingentis Joachimicis, in argento signato, frumento, lardo, panno, similibus, Hervordiam autem qvindecies mille, Bilefeldam ac alia loca pariter non modicâ pecuniæ summâ emunxit.

Hoste ergò certaminis aleam subterfugiente, Dux Gulielmus & Bannerius in diversa mox iterùm abiêre. Et Bannerius qvidem in diœcesin Magdeburgensem iter flectens, præsidio Magdeburgi Urbi imposito, rebusq; necessariis illatis, Albis securitati ante omnia prospiciendum duxit. Gulielmus verò, Saxoniæ Dux ad Herciniam silvam & conterminas oras hæsit aliqvantisper: Goslariâ interim imperata faciente, & Northemo, ab hoste deserto, in potestatem ejus nullo negotio transeunte.

Gulielmus Saxoniæ Dux hostilem legionem opprimit:

Nec qvicqvam prætereà memoratu dignum accidit: Nisi qvod Bodendorffius, summus excubiarum sub Legione eqvestri Præfectus, cum ducentis qvinqvaginta qvasi eqvitibus, versùs Visurgim hostium statum exploratum missus, ad semimilliare sub Hamelæ Urbe, in Lobelii, apud hostes Tribuni, Legionem peditum, qvæ sex constabat signis, & Domitzæ antehac servaverat, incidens, nec-opinantes facile perculit, captisq; ad trecentos, reliqvis maximam partem trucidatis, re benè gestâ ad suos rediit; sex, qvæ diximus, signis, omnibusq; impedimentis potitus. Id qvod eò magis in proclivi fuerat, qvia sub Tribunus Straubius, & primores qviqve militum Ductores Hamelæ hoc ipso temporis momento hærebant: Milite ob id segniore, & ad resistendum remissiore.

Gottingâ expugnat:

Comperto autem per exploratores, Gottingam exiguo, nec nisi trecentorum circiter militum præsidio, inter qvos eqvites qvasi qvinqvaginta, ductu Johannis Georgii Carthusii, Centurionis, teneri, Gulielmus Saxoniæ Dux, aliqvid hic audendus ratus, sexto Iduum Februarii, copias, in unum conductas, sub obtutum stitit, Præfectoq; Urbis, de deditione bis interpellato, sed aures mitioribus obstruente, ac defensioni se accingente, loci situm exactâ prius curâ expiscatus, tertio Iduum, summo mane, horâ qvartâ nondum auditâ, octo diversis simul partibus impressionem summâ vi tentatum iit; felici adeò successu: Ut Urbem, propugnatorum paucitate munitionû amplitudini debito modo defendédæ haud sufficiéte, priusqvàm sexta ingrueret hora, exiguâ suorum jacturâ irruperit. Cæsarianorum qvicqvid in primo armorû fervore occurrit, ferro mactatum: Reliqvi, interq; hos Præfectus, & nonulli alii militiæ Duces, vivi, cum tribus signis, in Regiorum deveniebant potestatem. Qvorum recentem his oris armaturam grandiora aliqvot tormenta, aliqvammultæ duplices bombardæ, pulveris nitrati, & aliorum bellicorum apparatuum non modica copia, isthic reperta, affatim instruxêre.

Ipsis Februarii Idibus Gulielmus Dux, tubicine Duderstadium, ad supremum Isfeldii agri Præfectum, & universos provinciæ Ordines, nec non Urbis Senatum ablegato, postulabat: Amicam viam ingressi, regiorum armorum imperio cervicem submitterent. Cui, decimo tertio Calendarum Martii mos qvoq; gestus, & conductitius miles, qvi Duderstadii in præsidio erat, signo cohortis suæ Duci ultrò oblato, regiæ militiæ nomen dedit.

Duderstadium in deditionê accipit.

Sub Pappêhemii, qvem diximus, accessum ad Visurgim, nonnullæ diœceseos Paderbornensis Urbes, qvæ anteà tempori & præsenti necessitati se accommodârant, cum Gulielmo, Hassiæ Landgravio, de certo tributo exsolvendo pactæ, tum, verso, ut videbatur, rerum statu, à conventione resilientes, non modò id ulterius detrectabant, sed pars hostile insuper receperant præsidium. His ergò ad pristinam obedientiam reducendis, Landgravius, à Rege jam redux, copias in unû convenire jussit, & omnium primum Warburgum, qvod aliqvot hostium centuriis tenebatur, adortus, vi expugnatum iit; compluribus impetu trucidatis. Qvam aleam ne

Gulielmus, Hassiæ Landgravius, Warburgum occupat, aliave loca:

am ne subirent, Stadhagum & Volcmaria, sub jugum, qvod abjecerant, sponte rediêre.

Inter hæc Ericoburgum, nec nô Amœnoburgû.

Ericoburgum deinde, Grubenhagensis principatus arx, & Amœnoburgum deditione ab eodem occupata. Cujus posterioris præsidiarii, pridiè Calendarum Martii, impedimentis, & armis salvis, fomitibus accensis, ore globulis oppleto, militari more loco excedentes, Confluentes ex pacto convento deducti.

Saxonicorum in Bohemia status.

6. In Electoris Saxoniæ dicione magna hoc tempore malacia erat, & popularibus, bello ex Electoris in Cæsaris fines ac Bohemiæ Regnum translato, ab armis, armorumve incommodis respirare dabatur. In Bohemia qvoq; postqvàm prima procella, qvâ Cæsariani non parum perculsi, & insigni Regni parte mulctati, desævierat, jam tranqvillior paulò apparere status; nec qvicqvam accidere, qvod, Annalibus inseri, admodùm mereret. Saxonici enim bolo, qvi sub Anni exitum, secundâ Numinis & fortunæ aurâ aspirante, obtigerat, cōtenti vivere; nec solicitâ ulteriorum curâ angi; Sed in hibernis placidè qviescere, genio indulgere, & hiemem, qvàm longa, luxu inter se fovere. Qvod etiam vivendi media aliqvantò improbiùs, nec prout bonos Patresfamilias decet, dispensarent, plurium rerū penuria obreptare sensim incautis; militiq; hospitiis idoneis jā destituto, retinacula militaris disciplinæ necessariò magis magisq; laxari. Hinc Cives & incolæ Pragæ, Metropoleos, multiplicatis procedente tempore oneribus, duriùs indies afflictati, miseriis tantùm non obrui, plurimiq; eorum, relicto domestico lare, in exilium voluntarium proficisci: Ita ut brevi ad bis mille ædificia, habitatoribus vidua, conspicerentur. Accedere demum mortifera venenosi contagii lues, in Cives pariter grassata, militesq;, infimates, Summates: Qvorum è numero Johannes Georgius, Solmēsis Comes, Tribunus, abreptus, militem simul & hominem exuit. Adeò autem hac lue amputati Legionum numeri: Ut per novos delectus, qvanqvàm, totam hiemem haud intermissi, uno protelo continuarent, vix succenturiari potuerint, qvi decedentium supplerent lacunas.

Congressûs inter Electores, Saxonem & Brandenburgicū, acta.

Inter ista Saxo & Brandenburgicus Electores de belli, periculorumq;, qvotidiè ingravescentium, mole, cervicibus ipsorum incumbente, ac qvâ ratione averruncari posset, deliberatum, Torgæ conveniebant. Ubi, qvātum nobis in consiliorum hæc adyta penetrare licuit, de seqventibus articulis disqvisitio instituta. (1.) *De Pacis tractatu, à Cæsare ac Pontificis oblato; deq; Pacis adipiscendæ mediis, ineundæ condicionibus, & firmandæ securitate, seu cautione ab adversa parte exigenda.* (2) *De Regis Sveciæ satisfactione, & sumtibus, qvos in bellum fecerat, eidem refundendis.* (3) *De Friderici Palatini, tot jam annos exulis, restitutione.* (4) *Si Pacis spes penitùs decollaret, de arctiore fœdere jungendo, & armis validioribus, ad defendendum hostis ingruentis furorem, comparandis.*

Qvoad Pacis negotium, condiciones ineundæ Pacis non tot implicatæ difficultatibus reperiri; qvot Pacis imposterùm firmandæ, & de securitate in futurū sibi prospiciendi ratio. Qvæ res diu hinc inde agitata, & inter alia expensum: *Utrumne Regis Galliæ cautio, aut Pontificis Romani consensus & ratihabitio scrupulo huic tollendo foret?* Illam non satis idoneam uterq; Elector arbitrari: *Qvod internus Galliæ status lubricus, inqvies, & ad rerum mutationes ac novos motus pronus videretur; Rex autem, non secùs ac Pater ipsius, sicariorum injuriæ & ferro esset obnoxius, aut mortalitati aliàs etiam, absqve hoc, subjaceret. Si itaqve illi, qvocunqve tandem modo, humanitùs qvid contingeret, mutato forsan Regni statu, & fundamento sublato, cautionem etiam, huic superstructam, subversum, eàdemve ruinâ involutū iri.* Pontificis autem Romani interventus absurdus & incongruus apparere ex eo: *Qvod Religionis principiis adversaretur, illi, qvem Protestantes omnes ut AntiChristum execrantur, tantum deferre honoris; aut fidei tantum, qvi, sectariis fidem haud servandam, primam habeat status sui rationem.* Saxo Elector tertiam viam reperisse sibi visus: *Cæsare*, nimirùm, *suo & futuræ Posteritatis nomi-*

nomine, casu, quo pactis semel complacitis haud staret, omnibus juribus, quæ, cùm in Imperio, ut Cæsar & Archi-Dux Austriæ, tum, ut Rex Hungariæ & Bohemiæ, in Regnis istis sibi vindicaret; pontificium quoq; Clerum, omnibus beneficiis, quæ in tractatione Passaviensi, aut aliàs sibi reservasset, renunciare debere. Brandenburgicus verò, *huic cautioni, etiamsi solidissimis verborum clausulis differciretur, minimè fidendum,* asserere: *Pari quippè facilitate, qua pacta principalia, hanc eorum appendicem violare Cæsarem & Pontificios posse. Fragilem itaqve, fallacem, & insidiosam judicare; nec, nisi quæ reapse fiat, agnoscere sufficientem.* Saxo nihilominus in opinione sua, qvod futuræ securitati optimè per illam consultum foret, persistere; sed ambigere, num obtineri posset: *Cæsarem* enim *& Pontificios extrema potiùs tentaturos, quam has velut leges præscribi sibi passuros.*

De perpetua etiam Pace, aut induciis, ad longum tempus ineundis, consultatum, & Saxoniæ Elector à qvindecim aut viginti annorum induciis haud abhorrere compertus. Brandenburgicus econtrà *inducias Protestantibus damnosas,* autumare. *Pontificios etenim per inducias in possessionem omnium commodorum ac opportunitatum, qvorum jacturam, bello infeliciter hactenùs gesto, fecerant, restitui: Protestantibus, qvi Pontificiis ea extorserant, inde ejectis. Conducibile itaqve magis huic videri, si nunc, dum viribus hosti pares, de bello omninò sopiendo ageretur: Nec dubitandum; qvin anceps & armorum æqvilibritate, nunc hac, nunc illac propendens belli eventus, æqvas Pacis condiciones esset impetraturus.*

Bellicorum sumtuum & satisfactionis generatim tantùm, obiterve dissertando mentio facta: Unanimi tamen calculo res iniqvissima visa, si eorundem nulla haberetur ratio. *Regem* enim *animo plus qvam heroico caput suum objecisse periculis, rerum summæ adeò fideliter præfuisse, strenuève adeò propugnasse communem causam: Ut, secundùm DEum, soli non modò laus & gloria in æternum deberetur, sed & conveniens re ipsa pro exantlatis laboribus & periculis redhostimentum.* Huc tamen in Senatu collimabant suffragia: *In turbarum incentores, malorumve in Imperio inde subsecutorum autores, onus pro rata cujusqve parte derivandum: Ne, qvod turbatores hi deliqverant, in alios expeteret innoxios, qui conatibus eorum, qvà consilio, qvà re & opera, summis viribus & fide erant refragati.*

Palatini causam Brandenburgicus impensè urgere: Hanc tandem à Saxone declarationem extorqvens. *Qvanqvam Palatinus Bohemicorum feudorum privatione, & aliusmodi, ipsum, Familiamve ipsius Electoralem graviter læsisset, plusculumve dedisset causæ, vindictam & talionem meditandi; insuper tamen istud habuisse hactenus, & in ea adhucdum perstare sententia: Si Palatino, ob certos respectus, contra Bavarum re ipsa auxiliari neqveat, qvò minus tamen in sua restitueretur, obstaculo aut impedimento neutiqvam futurum.*

Deniq; articulo, de belli apparatu, & mediis ad hoc necessariis, in consultationem deducto, Electores *in armis ac viribus suis tantum fiduciæ haud reposuère; ut ingenti Exercitus moli, qvam Fridlandius cogere undiqve versùm referebatur, paria futura censerent: Ad Regis itaqve auxilium denuò sibi confugiendum rebantur.* Hic verò à Saxonis parte scrupulus oriri cœpit de summo imperio; & qvanta ac qvàm valida subsidia à Rege flagitanda forent. Metus enim erat, ne, si Rex integrum Exercitum, sub insigni & magni nominis Duce, submitteret, eidem etiam, qvæ vi fœderis ipsi competebat, committeret imperii summam: Qvo Electoris dignitas, eminentia ac splendor, maximè ubi præsens ad Exercitum existeret, offuscatum iri videbatur. Hac ratione moti Saxonici, *accuratè à Rege expiscari,* in animum inducebant: *Non modò qvanta & qvam valida auxilia submissurus ipsis, sed & qvibus mandatus Ducem, subsidiariis his copiis præfectū, esset instructurus.* Qva in re Arnhemius solicitum admodum se præbere, & eò obnixè laborare visus; ut arctiorem cum Regiis conjunctionem præpediret: Gravatim ferens (qvod factū iri verebatur) summi imperii æmulum,

 & con-

& consiliorum actionumve inspectorem à Rege sibi adjungi. Adeò ut, increbescente de adventu Johannis Bannerii, Saxonicis copiis se juncturi, rumore, apertè præ se tulerit: Simul ac appelleret, missione impetratâ, Exercitu discessurum. His obstaculis remorantibus, Electorem Saxoniæ extrema præstolaturum priùs apparebat, qvàm Regis opem & auxilium imploraret.

Tandem *de conjunctione* qvoq; *armorum inter utrumqve Electorem* actum. Et Brandenburgicus qvidem postulare: ***Aut Saxo cum parte Exercitus Silesiam irrumperet, ad qvam expeditionem aliqvot militum millia conferre esset paratus; aut, hoc ejus palato non arridente, ipsi copias nonnullas, ad sui defensionem, & faciendum hujus impressionis in Silesiam periculum, commodaret.*** Saxo verò, Exercitum distractis viribus debilitare, haud consultum ratus, post bidui moram, huic postulato assentiri, penitus renuit: Qvò factũ, ut, Brandenburgico copias suas Saxonicis in aliũ finem jungere æqvè detrectante, deliberatio hæc pro tempore ad irritum ceciderit.

Fridlandiæ Dux in militia instauranda totus est;

7. Et hæc præcipua fuere tractatus istius capita: Qvantum nobis qvidem de iis innotuit. Dum autem Electores verbis & scriptis inter se velitantur, Fridlandius rebus magis intentus, recentes, ad integrandas Cæsaris vires, delectus habere, & conqvisito undiq; è subjectis Cæsari provinciis, aliisve locis milite, ingentem Exercitus molem constipare strenuè perrexerat: Nec oblivio hominem ceperat catum, & militiæ apprimè gnarum, aliorum comparandorum; qvæ, seu sustinenda vis sit, seu inferenda, belli ratio & usus efflagitat. Saxonicis ad omnia conniventibus, neq; de hostis conatu, aut novis diribitoriis interturbandis, admodùm laborare visis.

Summũ armorum imperiũ, à Cæsare denuò delatum, suscipit.

Intereà, qvod ingeniosa Fridlandii industria, Primorum aulæ cæsareæ animos mirum qvantum afficeret, de summo armorum imperio iterùm suscipiendo, agi cum eo complacitũ est.

Et initio sanè rogari velle Fridlandius, atq;, in speciem, qvasi invitus eò pertrahi: Ut forsan intendendi magis arcum, & Cæsari condiciones pro arbitratu præscribendi haberet ansam. Tandem nihilominùs, & præmiorum illicio sensim huc induci se passus: *Nec aliâ* tamen *ratione; **qvam si imperium**, non à Cæsare tantum, **verùm** universa Domo Austriaca, & Rege Hispaniarum, cum absolutissima, nullisve regulis limitata potestate ipsi demandaretur.* Nam, antè omnia expressim cautum ibat: *Ne aut Cæsar, **aut filius** Cæsaris præsens Exercitui adesset; multò minùs, imperium **sibi arrogando**, potestatẽ ipsius ac auctoritatem obumbraret.* Non autem militiæ tantùm, armorumq; arbitrium, sed *bonorum qvoqve in Imperio confiscationem, & facultatem dandi veniam criminum* sibi asserebat; sub obtentu: ***Qvod Cæsar**, plus justo indulgentior, qvibusvis, clementiæ fores pulsantibus, in gratiam facilè receptis, hac ratione media Tribunos, Ducesve remunerandi, **ac militibus** exsolvendi stipendia, **sibimet** præcideret.* Unde Cæsar fidem illi obstringere coactus: ***Nec aulicum suum consilium, nec summum Imperii Tribunal qvicqvam hic sibi arrogaturum, nec in ejusmodi causis, seu generatim, seu speciatim, laturum sententiam, aut ullatenùs in messem hanc auream missurum manus; si verò delinqventium cuipiam fides publica, aut venia commissorum in aula Cæsaris concederetur; id, nisi Fridlandio ratum habente, nullius fore momenti, neqve ulteriùs, qvàm de reparanda fide ac fama, neutiqvam verò de recuperandis bonis intelligendum venire.*** Luculenter autem rem suam agebat Fridlandius, ***ex hæreditariis Austriacæ Domus dicionibus ordinariam exantlatorum laborum, periculorumve remunerationem, & in his, qvæ jure belli esset occupaturus, summum in Imperio Regale, velut extraordinarium redhostimentum*** à Cæsare stipulatus; addito: ***Si res ad Pacis tractatum deveniret, ne tunc qvidem, qvod ipsius intererat, maximè qvoad Megapoleos Ducatum, à Cæsare oblivione prætermissum iri.***

Has condiciones, qvibus, Cæsaris auctoritate Fridlandii lubidini subjectâ, minister penè suprà Dominum evehebatur, utut cæsareæ & Austriacæ magnitudini parum decere

vide-

viderentur, præsens, pro tempore, necessitas, durum telum, à Cæsare extorsit: Nec enim alium inter omnes imperatoriorum armorum Duces reperire erat, collapso militiæ statui instaurando magis idoneum.

Dux autem Fridlandiæ, ne provinciæ, qvæ bellorum incommodis validè pressæ, summis conflictabantur angustiis, omninò pessum irent, certas hospitiis militaribus præfinivit leges: Ultra qvarum præscriptum nec militi ab hospite exigere qvicqvam fas esset, nec hospes præbere militi qvicqvam teneretur.

Lubrico hoc rerum statu Cæsar, missis diversis in Italiam Oratoribus, Pontificem, & Italos Principes, Resq; publicas, de auxiliis præstandis interpellare non desiit.

Cæsar Pôtificis Romani auxilium implorat.

Neq; à Savellio Duce, ut ordinario Cæsaris in Romana Curia Legato, cui Cardinalis Pasmannus, Strigoniensis ArchiEpiscopus, optio extra ordinem adjunctus fuerat, adminiculantibus Hispaniarũ Regis Oratore, Cardinale Borgiâ, aliis factionis Hispanæ Patribus purpuratis, qvicqvam intermissum: Qvod Pontifici in Regis Sveciæ odium accendendo, subsidiisq; faceret adversùs hunc impetrandis. *Post conjuratam*, nimirùm, *cum Rege Sveciæ hæreticorum omnium vim, acceptamq; ad Lipsiam cladem, & exantlata tot à Catholicis damna, Cæsarē laborasse qvidem manibus, pedibus, ut vacillantem communis causæ statum restauraret, & adversus hostilis violentiæ impetum sustineret: Nec minùs Regem Catholicum, insistentem vestigiis Majorum, qui pro Religione magis, qvàm imperio dimicantes, gloriosum hunc sibi titulum pepererint, consilia sua omnia viresve eò direxisse; qvò tanto periculo statim, antequā invalesceret, occurreretur. Hinc posthabitis rerum suarum in utraq; India, Italiæ, Belgio, rationibus, magnam pecuniæ vim Cæsari suppeditasse, suasve in Belgio copias jussisse Sveco resistere: Dum interim omnium virium molem, ad valentiorem opem ferendam, ex intimo Regnorum recessu cieret. Experientiam tamen testatum dare: Conspirantia inter se hæreticorum arma non commodè, nisi junctis pariter Catholicorum armis repelli posse. Ad Pontificem itaqve, ut communem omnium Parentem se convertisse utrumq;, tum Cæsarem, tum Regem Catholicum, &, qva majori possint contentione, humiliter postulare: Non subveniret modò publicæ necessitati, collatâ qvàm largissimè pecuniâ; sed, qvod caput rei, Catholicos omnes Reges, Principes, Respublicas, periculi instantis admonitos, ad Religionis causam, in tam præsenti discrimine, junctis viribus strenuè defendendam, seriò hortaretur: Talemq; se pastorali solicitudine præberet, quales sanctissimi qviq; Antecessorū exhibuerint, apostolicam vocem, tubæ instar sonoræ, exaltantes, pro tuenda, imò propaganda fide, universum Christianum Orbem ad gloriosa fœdera sæpenumerò conciendo. Nec diversum ab hodierno Pontifice, pro summa, qvæ ex ipsius actionibus hactenus eluxerit, prudentia ac pietate, Cæsarem, Regemve Catholicum sibi polliceri, aut habere persvasum.*

Cardinalis Borgia contra Pontificem cunctabundum protestatur.

Hæc & similia apud Pontificem magnâ instantiâ urgeri: Nec permoveri is tamen, ut votorum ardori pari assensionis promtitudine per omnia responderet. Hinc Cardinalis demum Borgia, pridiè Nonarum Martii, in publico Patrum purpuratorum cōsessu, nomine Hispaniarum Regis, protestationem Pontifici insinuatum iit; repetitâ postulatorum summâ, qvotqvot adessent Patres, tot apud Deum, apud homines, testes invocans: *Regem Catholicum, nec studio, nec auctoritate, nec re ipsa, Dei aut fidei causæ defuisse; sed qvicvid detrimenti Religio esset passura, non pientissimo Regi, sed Pontifici unicè venire imputandum.*

Cæsar apud Italiæ Principes ac Respublicas subsidiorum satagit.

Ad Principes & Respublicas Italiæ, Antonius Rabatta, Baro, Cæsaris Consiliarius, Cubicularius, & Gradiscæ Præfectus, ablegatus: In Cæsaris partes svadâ eos suâ pellecturus, & auxilia, ad bellum majoribus viribus resumendum, impetraturus. Neq; in se desiderari hic qvicqvam passus, fusè ad animum illis, qvòcunq; veniret, revocabat. *Catholicæ fidei, & totius Italiæ Libertati, qvieti, securitati, adversùs sectarios, ut communes adversarios, conservandis, tuendisve, jure, meritò intentos;*

nec injuriâ, ob ingentes Regis Sveciæ in Germania progressus, solicitos esse debere. Regem etenim Sveciæ non capitalem modò Romanæ Ecclesiæ hostem se profiteri; sed & illâ Orbis terrarum plagâ oriundum, cujus incolæ Italiam qvondam devastarint, & tantùm non everterint. Obtigisse iis à summo Numine hanc prærogativam; qvod antiqva & genuina Christianorum Religio principem apud eos fixerit sedem: Hanc itaq; à sectariis asserere, eò arctiore vinculo obstrictos. Incendium, ad maris baltici littora tenui initio subortum, indies validiùs grassari, & magis magisq; proximare. Tempore itaqve, dum vicinus adhuc paries arderet, ad restingvendum concurrerent: Alioqvi metum esse, ne in proxima qvæqve serpens flamma, ipsis Alpium jugis superatis, Italiæ qvoqve fines ambederet; & invalescenti nimiùm morbo, aut seriùs, aut certè ingenti cum incommodo qværeretur medicina. Cæsarem non abhorrere à percutiendo arctiori fœdere, in utrorumqve securitatem ac defensionem. Pariter illos etiam, qvoniam communis Religionis & salutis cardo in hoc bello verteretur, meliùs facturos, si voluntati Cæsaris, aut fœderi nomina sua expressè dando, aut saltem militum pecuniæve aliqvo subsidio arma ejus suffulciendo, morem gererent; qvam si finitimo Regi pronas præberent aures: Qvi Catholicum se nomine & in speciem jactitans, re & facto ipso sectariorum commodis semper hactenùs fuisset velificatus.

Legatio isthæc non eodem animorum sensu ab omnibus accepta: Sed apud nonnullos operari aliqvantulum visa, apud alios infrugifera penitùs exstitit.

Venetiarum Dux & Senatus excusatione ad postulata usi. *Antiqvo Reipublicæ instituto non misceri bellis extraneis, longinqvis, nec ad se pertinentibus: Sed Pacem & tranqvillitatem Italiæ unicum habere consiliorum, actionumq; suarum scopum. Et in hoc qvidem conspirare cum Cæsare, omnemq; daturos operam: Ne in Italia ulli excitarentur motus, Cæsari à tergo extimescendi. Præter hoc, Cæsarem haud latere; qvanta nuper curâ tranqvillando Italiæ statui incubuerint, & qvanti Mantuanæ illis constiterint turbæ: Qvibus publicum ærarium adeò exhaustum, omniq; stipe nudatum sit; ut ab exantlatis damnis, atque impendiis, vixdum respirare, at vires recolligere detur. Duas ergò Megarensium Deas, paupertatem & impossibilitatem, qvæ apud ipsos nunc qvoqve Regnum obtineant, pro iis loqvi, & inhibere: Qvò minùs Cæsari ullo pecuniæ subsidio adminiculari possint.*

Venetiarum exemplum alii Principes ac Respublicæ Italiæ secuti, Legatum, benignis verbis habitum, & magnifico apparatu exceptum, inani re ipsâ & casso responso dimittebant: Fodicabat enim adhuc animos eorum recens Mantuanæ Urbis, qvæ à Cæsare obtigerat, desolatio.

Mantuam autem qvandò Legatus appulit, adeò gratum fuisse perhibent; ut à promiscuâ plebe penè discerptus sit: Nî Dux, prudentior & moderatior vulgo, extremam vim à capite ejus arcuisset. Qvi tamen, loco responsi, deplorandam Urbis ruinam, qvam Cæsarianis debebat, oculis & animo Legati repræsentatum iit.

Magnum nihilominus Hetruriæ & Modenæ Ducem, de auxiliis Cæsari submittendis, inter alios, annuisse scribunt: Maximè istum, qvem Cæsar, factâ de titulo Regis Hetruriæ tribuendo spe, inescaverit.

In Polonia qvoq;, Comitiis sub ingressum hujus Anni habitis, Arnoldinus à Clarstein, Cæsaris nomine comparuit. A Rege ac Ordinibus Regni, ut Cæsari in extremis his angustiis opem ferrent, armaq; ejus milite subsidiario roborarent, antiqvorum fœderum, qvæ inter Hungariæ, Bohemiæ, Austriæ & Poloniæ, Reges Principesve intercederent, & non ita pridem, Anno millesimo, sexcentesimo, vicesimo primo essent renovata, prætextu, enixè contendens. Qva in re tamen, tum ob sexennales cum Rege Sveciæ inducias, tum, qvia Moscovitico bello implicati, sat domi habebant, qvod agerent, tum alias forsan ob causas, Cæsari gratificari, haud consultum duxêre. — *Nec non apud Regem & Regnum Poloniæ.*

8. In Franconia gliscere inter hæc novus cœpit ignis: Qvi, licet Tillius, Bavari jussu, ad restingvendum è vestigio accurreret, tantum abest, ut

ejus

ejus interventu suppressus sit; ut potiùs debili restingvere volentis conatu velut irritatus, in luculentius prorupe- rit incendium, & summi Numinis providentiâ aspirante, ipsam Bavariam voracibus flammis amplexus, magnam partem depaverit.

Hornius à Rege in Bambergensem Episcopatû missus;

Rege Franconiam primùm irrumpente, Præsul & Clerus dioeceseos Bambergensis tractatu simulato ingruentis tempestatis procellam subterfugerant: Mox, evanescente ob Regis abscessum metu, &, ob Tillii in Franconiam divertentis, ipsiusq; Noribergæ moenibus succedentis adventum, novâ spe Pontificiorum armis affulgente, tractatus velum rejicientes, hostes palàm se ostenderant. Hinc factum: Ut Rex Seciæ Campiductori Hornio, qvem armorum summæ in Franconia per absentiam suam præfecerat, de invadendo Episcopatu Bambergensi, & vi armisq; sub obedientiam redigendo, mandata daret.

Bambergæ Urbem & Höchstetum insidet.

Hornius itaq;, sub Januarii finem lustrato circa Swinfurtum Exercitu, Bambergensis dioeceseos fines intrans unà cùm Hochsteto, & aliis locis Bambergam ipsam, principem Præsulis sedem, sed à Primoribus Cleri pontificii desertam, & præsidio etiam, qvod Forchemum ante ejus adventum se receperat, vacuam, occupatum iit, ibiq;, ad exitum penè Februarii usq;, qvietus substitit: Qvod uvidus primò continuis pluviis coeli status, mox ingruens intensi frigoris intemperies ulteriores ejus progressus inhiberet.

Regiorũ cum hoste ad Höchstetũ conflictus.

Parum autem, dum hîc hæret, memoratu dignum accidit; si leviores aliqvot velitationes excipias. Imprimis, dum Hornius ad Hochstetum occuparetur, hostis validâ eqvitum, peditumve manu, ipso Tribuno de Hispaniâ Duce, Forchemo excurrens, in stationem eqvitum, è Solmensi Legione, ultra Æstum excubantium, impegit. Qvi, ut noviter conscripti, militariumq; adeò discriminum insolentes, sclopetulis eminùs displosis, & coactis in gyrum eqvis, jam muneri suo satisfecisse rati, terga hosti obverterunt: Et in effusam fugam ruebant; ni Baro Cochtitzkius, eorum loco in prælium cum suis maturè succedens, hosti instanti intrepidè se objecisset. Nec stitit hostem modò, sed post acre certamen, in qvo ipsemet brachium vulneratus est, impulit; & Forchemum raptim se recipere, campumq;, pluribus cadaveribus stratum, Regiis victoribus relinqvere coegit.

Tillius Bambergam movet.

Intereà Bambergensis Præsul, ad Bavariæ Ducem profugus, magnâ eundem instantiâ prensare: Ut, suppetias properè occurrens, Regios dicionibus suis, priusqvàm firmius in iis nidularentur, iterum exturbaret. Nec abnuere Bavarus; sed Tillio illicò injungere: De exercitu, qvi Nordlingæ partim & vicinis locis, partim ad ripariam Danubii oram, in Palatinatu deniq; superiori partim hactenùs hiemaverat, conducendo in unum, & faciendo expeditionis hujus periculo. Qvi mandato sine mora obsecutus, copiâ militum omni in superiorem Palatinatum convenire jussâ, ipse qvoq; eodem perrexit: Ubi cum dicto Præsule, de re dextrè peragenda, Ambergæ consultatum. Mox, lustrato ad Neomarcum Exercitu, vicena qvasi capitum millia reperta: Qvibus tamen provincialis miles, ad octies mille, conductitiis Legionibus intersitus, accensebatur. His viribus, qvas viginti duo tormenta cum omni instrumento comitabantur, in Noribergensium fines castra promota: Attorffoq;, Lauffo, aliis, in vicinia Noribergæ sitis, oppidis occupatis ac præsidio firmatis, Forchemum porrò iter fuit.

Hornius defensioni se accingit.

Bamberga, diffusæ amplitudinis, & velut ex diversis Urbibus conflata Urbs est, alibi ad invadentium injurias omninò patens, alibi debili & levidensi muro cincta, & imminentium proximè montium incommodis adeò obnoxia; ut Hornius, de hostium intentione certior factus, subdubitaverit: Num absurdum loci ingenium arte, hominumq; ingenio corrigi, & vel mediocriter adversùs impressionem hostilem muniri posset; adeoq; defensioni qvadantenùs aptum foret? Prævaluère tamen rationes non exigui momenti; qvæ, possessione nuper occupatâ, nullo alio facto operæ pretio, denuò ità facilè cedere, dissvadebant: Maximè, qvod Gulielmus, Saxoniæ Dux, de subsidiis mox affuturis certam spem daret. Coepta itaq; muniri Urbs, valloq; tu-

loq; tumultuario indui: Ac, qvò expeditiùs opus procederet, cuiq; Legioni certa valli portio, qvam emoliretur, assignata. Et veteranus qvidem, ejusq; Dux, in se nil qvicqvam operæ, aut sedulitatis desiderari passus: Solmensis verò, Noribergæ nuper conscripta, Legio, ut militarium laborum insveta, & ideò manibus cunctantior, licet assiduo admonitionum protelo stimularetur, negligentiorem se præbens, non, qvâ decebat, promtitudine demandatum sibi munus obire visa.

Pridiè Calendarum Martii à meridie, intra duodecimam & primam pomeridianam hostilis levis armaturæ eqvitatus in silva, Urbi viciná, palari conspectus. Qvo cognito, Campiductor regius, militem statim in armis ad signa adesse, & suam qvemq; stationem observare jussit. Dein, misso Comite Solmensi ad extimas eqvitum excubias, cum mandatis, ne, manum conserere avidi, longiùs in hostem abriperentur, ipsemet vallum recens excitatum circum eqvitando, opera semifacta consummari institit: Baudisianæ simul Legioni, qvæ sola ex omni eqvitatu hospitiis, in Urbe assignatis, jam successerat, ad hospitia sua in procinctu ut staret, per Baronem Cochtitzkium, illò ablegatum, imperans. Accidit verò, hunc, dum neminem è Ducibus legionariis intra hospitia offendit, per gregarium eqvitem, qvod à Cãpiductore mandatum erat, sub Tribuno Bulovio insinuare: Unde prima secutæ confusionis origo. Gregarius enim, Cochritzkii verba & Cãpiductoris mentẽ non satis capiens, causæ fuit: Ut Legio, longiùs ex Urbe provecta, in campo, silvæ, qvâ hostes paulò ante se ostentaverat, subjecto, sisteretur.

Tillius Bambergam irrumpit.

Campiductor, dum extimam qvoq; eqvitum stationem, qvâ parte Baudisiani eqvites è castris longo intervallo promoti stabant, lustraret, non magno tantùm in periculo versari illic, sed &, si raptim loco ab hoste pellerentur, insigni confusioni ansam præbituros judicans, mittere illicò: Qvi, relicto hoc statu, pedem referre, & suburbium propiùs subire præciperet. Qvod verò nullum adhucdum ab hoste discrimen imminere videretur, nec nisi palantes aliqvot in aditu silvæ eqvites apparerẽt, ipsemet porrò, assumto Comite Solmensi, castra circumire: Eqvitum Legionibus, stationem cuiq; suam, qvam, ubi ad arma conclamatum foret, obtinerent, assignans. Interim manus, speculatum emissa in adversam fluminis oram, summâ celeritate reversa, hostem, cũ omni Exercitu proximantem, propè jam abesse, exploratò retulit. Campiductor ergo Bulovio, Baudisianæ Legionis sub Tribuno, per metatorum sub ea Legione Præfectum denunciare; Ut, penitùs intra castra se recipiens, ponè munitionem, qvæ à Solmensi pedite inchoata, necdum ad fastigium perducta erat, locum eqvite suo occuparet: Munitoribus, qvi in consummando opere desudabant, adverversùs hostem, impressionem forsan tentantem, præsidio futurus. Et paruit sanè Bulovius, sed seriùs: Adeò ut hostis, viciná è silvá subitò, cum duabus Legionibus tergo se recipientis summâ vi incumbens, ordinibus perruptis, in effusam conjiceret fugam. Qvo viso Solmensis qvoq; Legio, tuendo huic castrorum tractui destinata, formidine correpta, stationem suam è vestigio desertum iit.

Adesse hîc qvidem curriculo, simul ac clamor fugientium, inseqventiumq; ad aures perveniret, tum Campiductor ipse, tum Comes Solmensis, Legionis Tribunus, & paucis militibus, qvos Ducum auctoritas è fuga retraxerat, hostem, jam intra castrorum munitiones grassantem, aliqvoties repellere; repulsoq;, & munitionibus occupatis iterùm ejecto, Solmẽsium, nec non Mussellianorum peditum præsidia recollecta opponere: Veteranarum enim Legionũ, qvod in Urbe ipsa & altero suburbio curarent, in hac angustia tẽporis, copia haud erat. Verumenimverò, simul illi, rebus alibi ordinandis, tergum modò verterent, simul hi stationibus suis dilabi, & demùm, hoste acriter instante, præcipiti ad pontem, qvi suburbiũ Urbi jungit, fugâ ruere: Qva in sistenda, prælioq; resumtis animis instaurando, tam ab ipso Cãpiductore, qvàm Comite Solmensi, (qvi, crus pilâ plumbeâ trajectus, diem postmodò supremũ ex vulnere obiit) neqvicqvàm laboratum.

Et

Et in hoc rerum turbine una hostilium Legionum (Farensbacchianam fuisse, scribunt) eousq; provecta est: Ut, superato ponte, in ipsam Urbem jam penetraret. Sed Campiductor assumtis nonnullis è Turriana Legione sclopetariis, qvos Svecus miles, è vestigio secutus, suffulciebat, fortiter, nec sine clade, trans pontem rejecit; eundem in potestatem redeptus, & mox demolitus, velitatusq; tamdiu circa ejus oram cum hoste: Dum impedimenta præirent, & tormenta, vehiculis exemta, navigiisq;, unà cum re tormentaria, qvantæ ferendo hæc erant, imposita, prono flumine avveherentur.

Hornius Bambergâ iterùm cedit. Eo peracto cum peditibus, Legione Baudisiana, & draconum turmis Bambergâ discedens, Eltmannum contendit; Mœnum, ponte illic stratum, denuò tramittens: Draconibus tamen inter noctis tenebras à via deerrantibus, & Kitzingam delatis. Recedentem Croatæ qvidem & dracones hostium eminùs insecuti, moratores singulatim carpendo: Sed propiùs accedere & manum conserere haudqvaqvàm ausi. Reliqvus eqvitatus, qvi partim ultrà Mœnum, partim in pagis Halstadt & Cammern hospitatus fuerat, in ulteriori ripa sub exortum tumultū conglobatus, abrupto, Campiductoris mandatu, ad Halstadium ponte, Hasfurtum iter habebat: Qvorsum & Campiductor, post Eltmanensem pariter intercisum pontem, viamq; hosti instanti oblatam, perrexit.

Et post receptum duas hostium Legiones opprimit. Hosti, ob incolarum promtitudinem, & materiaturæ, lignorumve, qvæ in promtu erant, copiam, affatim reparandorum pontium suppetebant adminicula. Refecto igitur sine mora, qvo Halstadii Mœnus sternitur, cum parte eqvitatus trans flumen divertit; & sexto Nonarum Martii, ad usq; Zeilam, qvod non nisi unicum milliare Hasfurto distat, cum nonnullis turmis evagatus, infesta omnia habuit. In has Regiorum eqvitum manus exploratum missa, tres ab agmine palantes, interceperat: Qvorum relatu cognitum; non modò, hostem cum qvatuor Legionibus transmisisse Mœnum, sed & ubi, & qva ratione illic, per pagos distributi, hospitarentur. Ad hæc, de viarum ratione & locorum situ, num fortè ex improviso eos invadendi rima pateret, paulò sollicitùs anqvirens Hornius, per cœca silvarū & silvas vulgò haud tritas necopinatò opprimi posse, edocebatur. Eqvitatu ergò assumto, primum ex iis, qvæ ceperant, hospitium, Oberheidam nomine, dimidium tantum milliaris Bambergâ dissitum, qvandò sol, jam ultra binas horas nostrum Horizontem supergressus, lucem diei perspicuè intulerat, vi adortus, Blancardicam, & juniorem Merodicam Legionem (qvatuor exceptis alis, qvæ res, nescio qvas, deductum evocâti, vix semihorulæ spatio Regiorum irruptionem discessu suo præverterant) ferro, flammisq; obrutum ivit; duobus inde reportatis vexillis: Nam reliqva, unà cum impedimentis, vorax flamma absumsit. Croatas, in primis principiis, & proximè hostem tendentes, prætergressus Hornius, receptu intercluserat. Hi ergò, increbescente tumultu, pars tranare Mœnum eqvis conari; qvorum non pauci undis absorpti: Pars in montanis qværere latibulum; qvorum aliqvammulti, ferro obtruncati, unum è vexillis suis in Regiorum potestate relinqvebant. Qvod superfuerat, draconibus Stafelbacchi se associans, in cœmiterio, altioribus muris circumdato, unà cum his tutum habuit receptum. Hornius enim, pedite destitutus, cum, excitato incendio eos coangustare, & ad deditionem adurgere frustrà tentâsset, diuturnam illic moram (qvod hostilis Exercitus, & affutura mox subsidia in propinqvo forent) trahere haud consultum arbitratus, missis illis, & re aliàs satis feliciter gestâ, Hasfurtum repedabat.

Qvarto Nonarum Martii, circa primam pomeridianam, hostis initio turmis aliqvod ad Zeilam vagari, mox totis viribus rectâ Hasfurtum versùs gradum movere conspectus: Ob illatam nuper cladem procul dubio agitans ultionem. Qvia verò Hornius, futuri profidus, impedimenta, & qvæ iter morari poterant, jam antè Swinfurtum præmiserat, eò se ab hoste citra ullam jacturam recipere, in proclivi fuit. Swinfurti autem abundè provisis, qvæ Urbis securitas reqvirere videbatur, & præter Svecum Caroli Hartii

Hartii militem, Truchsessianâ ac Solmensi, Legionibus, præsidio relictis, eqvitatum in proximos à Swinfurto pagos, hospitatum distribuens, cum peditatu Geltershemum concessit: Ulteriora hostis consilia inde speculaturus, & pro virili parte conatibus ejus obviam iturus.

Rex Sveciæ, rebus ad Rhenû ordinatis, iter in Frâconiam habet.

9. Ast Sveciæ Rex, irruptione Tillii in Bambergam, & receptu suorum cognito, ipsemet suppetiatum his ire, & illum, ut capitalem hostem, aliis curis sepositis, petere constituerat. Legiones ergò eqvitum, peditumve, & tormenta cum instrumento necessario, qvæ circa Moguntiam hactenus hibernârant, ocyus inde movere jussa: Summa autem rerum ad Rhenum gubernacula Regni Sveciæ Cancellario tradita; Et, secundùm hunc, Christiano, Comiti Palatino, nec non Bernhardo, Saxoniæ Duci, ut generalibus, illi eqvitum, huic peditum, Præfectis, commissum rei militaris imperium. Otthoni porrò Rhingravio, tanqvàm pro Regi totius superioris Rhenani Circuli; Johanni demùm Sparrio, Regni Sveciæ Senatori, ut Regis per diœcesin Moguntinam Vicario, œconomiæ ac redituum provincialium cura demandata. Cui posteriori expressè injunctum. *Ne exercitio pontificiæ Religionis in diœcesi Moguntina ulli esset impedimento, sed sacrificulos & Clerum pontificium, à muneris sui via haud exorbitantes, non toleraret modò, verùm à qvorumcunqve injuriis protegeret; in Regis tamen fidem jurejurando adactos: Regi ac Coronæ Sveciæ fidos fore; damnum eorum amolituros, promoturos commodum; cum hoste nullum habituros literarum commercium, multo minùs eorum consiliis participaturos; qvin potiùs, si qvid in Regis & Coronæ perniciem cudi animadverterent, fideliter, nî capitis incurrere vellent pœnam, palam facturos.*

Anteqvam in viam se Rex daret, cum Marchione qvoq; Bresæo, Galliæ Regis Oratore, ad se accersito, de copiis Gallicis, qvæ circa Sarbruccum, & Saræ fluminis oram, non modicæ hærebant, collocutus, postulabat, qvicqvid ab his scrupuli subori-ri posset, ingenuâ sibi responsione eximi. Qvi, de Bavari Versutia prolixè conqvestus, fide sanctissimè interpositâ, securum de eo Regem esse jussit: Dominum suum, Galliæ Regem, communi Protestantium causæ sincero, & minimè fucato affectu addictum, nec ab amicitia contracta, & fœdere semel placito, vel latum ungvem discessurum.

Non injuria Rex conjectabat: Casum, qvi Bambergæ acciderat, à Tillio exaggeratum in majus, captatâq; inde occasione, animis erga regias partes propensis, perturbationem ac terrorem injectum iri. Intentionem igitur & adventum suum, protestantibus Franconici Circuli Ordinibus, Noribergæ imprimis & Swinfurti Civitatibus, discrimini propioribus, insinuare, operæ pretium arbitrabatur; addito hortamentorum stimulo: *Ne à generosa, qvæ animo semel sederat, sententia ullis minarum terriculis dimoveri se paterentur. Bambergæ enim, loci, ad instar pagi, injuriis qvorumcunqve patentis, jacturâ, communem Protestantium causam non modò non irreparabile damnum passam, sed ansam potiùs illis datam: Arma viresve, majori animorû concordia consolidandi, & (qvod feliciter inchoassent) in Libertatem omninò se asserendi. Imò Regem minimè gentium ambigere: Qvum justissimum Numen Ecclesiæ suæ hostes, spe latiorum velut effrenatos, hucusqve pertraxerit, ut eò citius perderet; & modico successu paululùm extulerit, ut graviore affligeret lapsu, divinæve suæ potentiæ luculentum denuò specimen daret. Hac pia & firma animi fiducia fretum jam movisse cum Exercitu, & rectà in hostem, ubicunqve tandem commoraretur, properare: Qvò divini Numinis gloriam assertum, & injurias, piorum cœtui illatas, ultum iret; amicisve simul suis, aspirante Omnipotentis aura, veniret subsidio. Ne ergò, aut ipsimet abjicerent animos, aut aliorum pusillanimium abjectioni conniverent; verùm, si qvi, ob casum præteritum demissiores viderêtur, qvantum pote, erigerent, & verbis animarent potius: Rebus qvoqve suis intenti à periculosis hostium sutelis & machinationibus sibi præcaverent. Ante omnia mœnia, Urbiumve aditus providâ curâ observa-*

Ejus Circuli Ordines, ne animos demittât, prius adhortatus.

servarent; deq; maturis subsidiis, si hostis, qvippiam in eos moliri, animum induceret, in utramqve dormirent aurem.

Post isthæc Rex, tertio Nonarum Martii, Höchstâ discedens, Stenhemũ se contulit. Inde postridiè, lustrato ad Asschaffenburgũ milite, in Franconiam porrò itum, & qvinto Iduum Martii Kitzingam perventum: Ubi Campiductoris Hornii copiæ Regiis se junxêre. Kitzingæ per integrũ triduum Exercitus substitit: Qvod Gulielmus, Saxoniæ Dux, & Johannes Bannerius, cũ milite suo pariter evocati, nondum appulissent.

Regis edictũ de securitate viarum, & veredariorum.

Invaluerant hactenùs, & invalescebant in dies singulos prædationes palantis militis, violentæq; tam ruricolarum, qvàm mercatorum, & aliorũ, peregrè proficiscentiũ, expilationes; in magnum, ut agriculturæ, ita commerciorũ præjudicium. Qverulis insuper multorum vocibus Regi fuerat relatũ: Milites ac militũ Ductores, veredos, ad iter curriculo faciendũ certis locis dispositos, nullâ exsolutâ mercede, vi extorqvere ab angariarũ curatoribus; subditos qvoq; in rebus leviculis, ut internuncios, per aliqvot milliaria missiculando, admodùm divexare; Civiũ deniq; & agricolarum eqvos armentave, dum privatorũ negotiorum causâ hinc inde vagãtur, variè exagitare ac affligere. Rex ergò, cùm peregrè euntiũ, merciumq; ac bonorum transvectorum, tum agricultionis & agricolarum, tum illorum etiam, qvi angariarum curam gerunt, immunitati, securitative, uno eodemq; simul Edicto, consultum ibat; Omnibus, tam superioris & inferioris notæ Ducibus, qvàm militibus, si eqvis, sive pedibus mererent, vitæ & capitis pœnâ propositâ, injungendo. *Ne qvenqvam, seu in via regia, patentibus campis aut silvosis saltubus, seu in Urbibus, pagis, hospitiis, detinerent, offenderent, adorirentur, aut molestiâ afficerent: Sed universos, singulos, unà cum mercimoniis, jumentis, curribus, carrucis, impedimentis, terrâ & aqvis, non impeditos, nec ullo exactionis genere gravatos, hinc inde commeare paterẽtur. Qvod si violenta aggressura cõtingeret, licitam fore cujusqve territorii Magistratui manus injectionem in Edicti temeratores: Postmodùm, aut ad Legionem propriam, debitæ ab iis pœnæ exigendæ, aut proximo Regis Vicario, & Circuli Præfecto transmittendos.* Ad hæc militiæ Ducibus qvibuscunq; severè mandatum: *Viam regiam, hospitiis suis interjectam, tutam præstarent; in circumvagos milites acriter animũ adverterent, ac curiosè inqvirerent; crimini, aut criminis suspicioni affines comprehẽsos examinarent; nec non, si qvi, aut nullo commeatu muniti, aut certè nullã itineris sui probabilem causam obtendentes, aut commeatu ipsis impertito abusi, aut suspectas commeatus literas præferentes, reperirentur, in vincula conjectos, ad supplicium, qvo diximus modo, traderent.* Porrò à Rege statutum. *Ne qvis, seu angariarum curator, seu civis, seu agricola, imposterùm veredos, jumẽta, aut vectabula ulli præbere teneretur: Sed universi, singuli Ductores, militesve, maximè qvi in vicinia hospitium essent sortiti, illis ab hujusmodi onere præstarent immunitatem.*

Mandatum istud, ut in omniũ notitiã veniret, ubicunq; regius miles, aut præsidio erat, aut hospitio divertebat, & nonnullibi qvoq; ad viã regiã publicitùs affigebatur: Qvo agrorũ atq; viarũ publicarũ securitas, postliminio redux, aliqvamdiu adhuc utcunq; stetit, ac negotiantibus agrosve colentibus, bellicæ licẽtiæ intemperie penè obrutis, respirare qvadantenùs datum est.

10. Mota à Rheni oris denuò Regis arma, ubi vulgò innotuêre, varias inter homines excitârant cogitationes, & alios spei, metus ac formidinis alios, prout huic vel illi affectui qvisq; obnoxius, implere cœperant. Nemo non suspenso esse animo, & avidè præstolari: Qvemnam habitura esset exitũ nova Regis in Tillium expeditio.

Ludicrũ, qvod Chami accidit, Regis successibus præludẽs omen.

Inter alios Clerus & Pontificiorum qvidã Primores, Chami, superioris Palatinatus Urbe, divinandi, nescio qvâ, curiositate animo illũ præcipere, annixi sunt. Hi enim, de victoria ariolaturi, scholæ trivialis discipulis in factiones divisis, Consulis filiũ, ut Tillii personã indueret, impellere: Cui mox, pulsato velut ad conscribendum militem tympano, potior puerilis ætatis turba, ad centũ qvinqvaginta, nomina dare. Sveci autẽ vices qvi sustineret, odiosũ hoc nomẽ unoqvoq; refugiente, sortitò tandẽ deligere, necessũ erat.

Ad qvem, militum delectus tympanisando non absimiliter repræsentantem, rari è contubernio scholastico, nec ultra qvinqvaginta se aggregarunt. Nihilo tamen segnior ob id, aut animo remissior Svecus, postridiè tympano ac tibiis personantibus, signoq; explicato, in munitionem, qvæ arenariæ portæ adjacet, se conferre. Qvem post trihoriū Tillius toto agmine secutus; multis è Civibus & Clero comitantibus, verborumq; incitamentis animantibus: ut virum se præstaret, &, Svecum profligando, partibus eorum felici omine præluderet. Vix autem portâ exierat, cum alter, strenuè occurrens, pedem referre coegit. Clerus, qvi aderat, nihilominùs fugientes sistere, perculsis addere animum, & ad redintegrandam pugnam variis hortamentis, præmiorumve stimulis incitare. Nec ob id alter hic impetus priori felicior: A Sveco enim, utut numero & turbâ longè esset inferior, virili ardore in illos invecto, pulsi loco adversarii, fugati, dispersi; adeò ut personatus Tillius ipsemet in ejus manus devenerit. Qvē in triumphum circumductum, & Patris oculis ante illius ædes obductum, jure belli velut captivum, non nisi certo lytro, qvadraginta duorum (ut scribunt) florenorum, persoluto, dimisisse fertur.

Ludicram hanc, superstitiosorum qvorundam instinctu, ab impubere ætate pugnatam, sed dispari ab eorum votis exitu terminatam pugnam victoriæ regiæ & cladis Tillianæ mox subsecuturæ præsagium fuisse, luculenter paulò post docuit eventus.

Tillius à Rege se recipit.

Et Tillius sanè, simul ac de Regis adventu exploratò comperit, nec viribus, qvas impræsentiarum habebat, illis ad Lipsiam nullatenùs comparandas, nec volubilitati fortunæ, qvæ semel contrà dederat, amplius fidere ausus, ut Regis impetum præstolari tutum arbitraretur, receptū solicitus circumspicere cœpit: Tertio Iduū Martii, Exercitu Forchemi convenire jusso.

Bavariæ Dux, de Tillio finibus, necne, recipiendo deliberat.

Bavariæ autem Dux, in se mali molem jam demum incubituram, animo eminùs prospiciens, totus in eo erat: Ut ingruentem procellam à cervice sua averruncaret. Et initio consultius existimaverat; *Tillium cum Exercitu versùs Bohemiam potiùs ac Austriam se recipere, qvam in Bavariam suam: Hostem, qvem irritarat, vestigiis recedentis inhærentem, qvòcunqve iter flecteret, post se tracturum*, ratus. Ita enim sentiebat: *Regem, ut ex omnibus circumstantiis appareret, justæ iterùm aciei, & manum cum hoste conserendarum desiderio flagrare. Nec ergò ipsi videbatur verisimile: Casu, qvo Tillius à Bavaria diversus abiret, ruinam Bavariæ hostis internecioni antehabiturum; & prædæ, spoliorumve hujus regionis, qvam victoriæ, animo jam certo certiùs præceptæ, avidiorem fore. Melius itaqve esse ad avertendam à Bavaria pestem; si Tillius versùs Ducis Fridlandiæ diribitoria & hospitia militaria retraheret pedem, ibiq; impetum Regis, ducendo bellum, distineret: Donec Cæsarianorum subsidiis fulto, & viribus firmiori, frontem majore fiduciâ hosti obvertere, daretur. Fridlandium hac qvoqve ratione, si in ipsum pariter onus incumberet, ad conjungendas vires eò arctiùs obstringi: Cum aliàs metus esset, difficilius inductum iri, ad opem Bavaro, intra fines suos laboranti, ferendam; qvem, veterum offensarum memoria, non parum castigabilem opinaretur.*

Econtrà à bellicarum rerum peritis, & interioris notæ consiliariis disserebatur. *Non illutibilem modò maculā Duci Bavariæ inuri, sed irreparabile qvoqve imminere damnum; si, Exercitu longè à finibus ablegato, omniq; consilio defendendi limites abjecto, opibus copiisve florentissimas provincias prædæ ac libidini hostis exponeret. Qvi dubio procul avidis occasionem oblatam manibus arrepturus esset, & Bavariæ Ducem, ut fœderis pontificii caput, ante omnia oppressurus. Verendū, ne, abeunte longius Exercitu, pusillanimitate aut desperatione (si defensionem ab ipso Duce pro deposita haberi conspicerent) animos hominum transversos abripiente, Dux momento insignem jacturam pateretur, ætatem vix resarciendam; & hostis firmum adeò vestigiū Danubii ripæ in ipso Bavariæ aditu imprimeret, ut statu haud facilè iterùm moveri aut dejici valeret. Exercitū sanè Ducis regio, nec viribus, nec ferociâ animorum parem: Sed hunc ponè Danubiū pedem firmaturū, & ejus trajectu facili negotio defensurum hostē.*

Imo

Imo qvamvis hostis, superiùs in Suevia, à malè-fidis Duci accolis transitum impetraret, restare adhuc Licum superandum: Cujus objectu morari ejus impetum Dux posset; dum approperaret Fridlandius, & junctis viribus communi pesti obviam iretur. Nec nimiam in suppetiis ferendis moram nectere licere Fridlandio: Quippè cæsarianarum dicionum salutem ac incolumitatem à Bavariæ conservatione dependere; & hujus oppressionem ad ruinam & desolationem earundem latam aperire fenestrã. Tempori tamen aliqvantò obsecundandum: Et ut Dux, è dignitatis culmine paululùm se demittens, indignationemve adversùs Fridlandium conceptam, si non ex animo, in speciem saltem remittens, de subsidiis eundem blandiùs solicitaret, præsentissimam necessitatem non svadere, sed imperare.

Hæc rationum momenta impulerunt Ducem Bavariæ, ut, mutatâ priori sententiâ, Tillium cum Exercitu intra fines recipiendum, Danubiiq; ac Lici, qvi Bavariam ab hac parte velut naturali fossato præcingunt, interiorem oram adversùs hostis impressionem muniendã, decerneret: Dum à Cæsare & Fridlandio subsidiariæ copiæ accerserentur.

Tillius igitur Bambergâ & Forchemo provinciali tantùm milite firmatis, ac pretiosis qvibusq;, nec non insigni vini ac frumenti copiâ, qvantum præpes festinatio permitteret, in superiorem Palatinatum avectis, Erlangum, qvod Noribergâ tribus milliaribus distat, pridiè Iduum Martii, venit: Postridiè iterùm inde movens, & Danubium versùs sensim iter reflectens.

11. **Eâdem, qvâ Tillius Erlango discesserat die, Hornius Campiductor, cum primis Regiorum Winshemum appulit: Qvem Rex, Johannis Bannerii copiis jam auctior, posterâ luce cum integro Exercitu seqvebatur. Decimo qvarto Calendarum Aprilis, promotis Winshemo castris, Wilmerstorffii pernoctatum: Et postridiè Furtam, haud procul Noribergâ, perventum. Ubi, lustratione institutâ, multa, qvæ in rem belli futura videbantur, Rex ordinavit, & militarem disciplinam exemplis aliqvot, non in gregarios modo, Edictorum temeratores, sed nonnullos qvoq; militiæ Ductores editis, constabilitum iit.

Duodecimo Calendarum Aprilis Rex à Magistratu Noribergensis Civitatis, ut hospitii honore Urbem dignaretur, solenniter invitatus, Friderico, Bohemiæ Rege, Augusto Comite Palatino Rheni, & aliis Principibus, Comitibus, Baronibus, magno numero deducentibus, illò se contulit. A Senatu, præcipuis Optimatum ac Civium, qvi eqvites obviam processerant, exceptus; milite conductitio, & reliqvâ Civium turbâ in armis stante; Tanto omnium incolarum, summatum, infimatum, lætitiâ, jubilo, applausu; ut aut Cæsarem, aut alium qvemvis magni nominis Principem, vel majori, vel pari saltem exceptum fuisse, nulla secula meminerint. Ex omni ætate, omni sexu occursantium turba differserant, qvaqvâversum eundum, loca, nec ulla platearum amplitudo satis capiebat spectatorum freqventiam. Qvicqvid à porta nosocomii ad Regis hospitium itineris, intuentium ac comitantiũ series uno examine obtexerat: Adeò ùt ægrè per confertos populi cuneos viam molirentur, qvi Regem antecedebant. Ad latus matronæ honoratiores, virginesq; fenestras implerant; mixtis pueris & teneriori ætate: Qvam ad spectaculi tanti memoriam adducebant matres. Qvin ipsa imò tecta sub nimio prementium, & Regem contueri ambientium, onere gemebant. Nec deerant, qvi in Liberatorem suum intenta lumina ferentes, &, secundùm Deũ, Austriaco-pontificium jugum cervicibus hunc submovisse recordati, præ gaudio in lacrymas effunderentur. Rex Noribergam venit.

Senatus Civitatis magnificis donis benevolentiam & observantiam suam testatum dedit. Inter qvæ eminebant duo globi argentei, cœlestem ac terrestrem sphæram repræsentantes, qvi poculorum qvoq; vicem supplere poterant: Introrsùm deaurati, exteriùs artificioso & nitido qvodam nigrore, ad aurificinæ leges, obducti; manu pretio materiem longo intervallo superante. Obtulêre autem dona isthæc Furerus & Volckamerus,

ambo prænomine Christophori; Viri primorum principes: Prolixis insimul verbis, felicem Regi adventum congratulati.

Regis ad Noribergenses oratio.

His Rex, pro solita, ut manuum ad agendum, sic oris ad disserendum promtitudine è vestigio, non eleganti magis, qvàm in sensuum intima penetrabili, oratione respondit: Nec velocitate suâ adeò fefellit præsentium aures regius sermo, ut non qvamplurima notatu digna inde exciperent; qvæ nostræ qvoq; historiæ inseri merentur. *Gratias*, inqviebat, *clementissimè habeo & ago Civitati universæ, vestrûmve singulis, pro oblatis donis; gratissimaq; mihi esse, artificii & raritudinis causâ, non inficias eo: Sed gratius tamen à vobis nil accidere poterit, nec ullo acceptiori dono me mactabitis, qvam si sincero & constanti animorum affectu communi Protestantium causæ vosmetipsos dedatis totos & emancipetis. Ab hoc proposito, qvæso & obtestor, ne ullo respectu vos abripi sinatis: Non terrore aut metu; non ullis basilicorum promissorum illecebris, aut diris minaciarum fulminibus; non blanda voluptatum escâ, seu inani vanitatum mundanarum pompâ; non aliarum passionum, qvibus humanæ naturæ lubricitas obnoxia, pruritu. Cumprimis, ne infero Plutoni, divitiarum Deo, addicti, inexplebili auri siti, & plura habendi cupidine transversos vos agi patiamini. Non, pollicitationibus vos allicere, intermittet hostis, non minis absterrere: Nec intentatum qvicqvam relinqvet, ut ab hac mente vos avertat. Notissimum enim est, quantâ astutiâ simul & robore polleat: Et qva pertinacia Domus Austriaco-Hispanica ac Pontificii fœderati conjuratim in Protestantium perniciem conspiraverint. Hoc unicum scilicet agunt: Huc omnia eorum consilia & actiones, huc tot subdolorum machinamentorum struices collineant: Huc alibi fraudulenter occultata, alibi ostentata tantùm, alibi illata arma: Huc omnes ingenii viriumve nervos intendunt. Pacem qvidem & qvietem speciosa ac dulcia nomina, ore atqve in speciem præ se ferunt: Sed ejusmodi reverà qvietem, qvæ non desituram inqvietudinem, velut pedissequam, secum trahat; ejusmodi Pacem, qvæ internecino bello cum DEO vos implicet, & tam vos, qvàm reliqvos puriori doctrinæ addictos, in damnationis æternæ barathrum præcipites agat. Mementote igitur, utriusqve globi, cœlestis ac terrestris, qvos mihi obtulistis, argumento, à terra ad cælum habere semper respectum: Ne, si fortè hostis terrenæ hujus machinæ, opes, thesauros, bona vobis ob oculos ponet, fluxus hic splendor mentis vestræ aciem ita perstringat, ut cœlestium obliviscamini, & illis inhiando, horum vosmetipsos reddatis indignos. Summus utriusqve Orbis Moderator vobis populosæ hujus Civitatis, cui paucas habitantium multitudine pares reperire licet, commisit regimen, & tot millium animarum velut nutritios constituit: Nec ambigo, qvin munus demandatum ita sitis obituri; ut in ultima ac decretoria die, coram supremo justissimi Judicis tribunali intrepidè vos sistere, rationemq; actorum reddere qveatis. Patritii estis, & soli, exclusis aliis, ad clavum sedetis: Qvam prærogativam Majores vestri cordatâ suâ prudentia promeruerunt. Horum vestigiis insistite; prudentiæ, amoris, fidei erga Patriam avitæ æmuli: Cumq; hostis propositum ac technæ haudqvaqvam vos lateant, cavete, ne byssinis ejus verbis, & dapsilibus oblatis circumducamini; qvin potiùs in sententia, qvam amplexi estis, obfirmato adversùs qvæcunqve durate animo, & velut candidos Patriæve amantes Viros decet, communem causam communi ope fovendam suscipite. Considerate, qvæso, si, summi Numinis permissu, in hostis potestatem vos recidere contingeret; unqvamne in uxores, in liberos, & qvicqvid cari vobis restat, grassaturæ hostilis & injuriarum finis foret? Multum qvidem in vos hosti indulsit divina providentia, fateor: Ac, qvamplurima ab eo vos passos, non inficias ierim. Ostendit tamen vobis Deus irarum suarum thesaurum potiùs, qvàm in vos effudit. In pœnitentiæ viam reducere vos voluit, non disperdere: Tentavit vos per hostes, & constantiæ vestræ periculum fecit, sed mediis in tentaminibus ac discrimine potentissimè tuitus est. Id enim vel maximè mirari, & velut luculentum divini favoris ac patrocinii testimonium agnoscere, animum subit; qvod oculatissimus aliàs hostis, fato qvodam occæcatus,*

tus, hujus & aliarum Civitatum imperialium in absolutam potestatem redigendarum occasionem prætermiserit: Cum eas, jam ante biennium vel triennium, plagis suis undiqve cinctas teneret, nec qvicqvam restare videretur; nisi ut, vindicius secundùm servitutem dictus, manus injiceret. Mirandum in modum DEus vos protexit; eodem, qvo me etiam huic functioni, cui insisto, destinavit: Nam ipsemet certè mundi hujus compagem novissimâ die resolutum prius iri crediderami; qvàm ut Noribergam, qva jam factum, ratione intrarem. Nullum hactenùs pro purioris Religionis conservatione, & Germanorum Libertate defugi periculum; ne ipsam qvidem, si fatis ita visum fuisset, mortem. Nec imposterùm, aut pericula ulla, aut mortem ipsam defugere, animus est; sed communi causæ sustinendæ, ac Protestantibus omnibus, vestræ qvoqve cumprimis Civitati ab hostis injuria defendendis, omnes impendere, qvascunqve DEus largitus fuerit, vires. Qvicqvid etiam vobis per Legatos vestros repromisi, candidè & regiâ fide servabo. Vos interim revocate ad animum, qvanti momenti res sit, qvam versamus, &, per DEum, ne vacillate, aut à recta, qvam inistis via, avertiminor. Aliis qvoqve Ordinibus animos addite; qvi vestram auctoritatem seqvuntur, & ad vestras actiones, velut speculum, consilia sua componunt. Non profero hæc, qvasi fidem vestram in dubium vocem, sed ut currentibus calcaria, qvod ajunt, addam. Non semper DEus vobis mittet ejusmodi concionatorem, qvalis sum: Qvi non consolari modò, sed & opitulari, verbisve operam adjutabilem jungere, qvantum DEI clementia concesserit, paratum me offero. Obfirmate animos patientiæ & constantiæ scuto: Conferte vires & operas vestras ad emoliendum, qvod molimur, opus: Egregiam pugnate pugnam, & servate fidem. Sic DEus, qui mirabiliter vos hucusqve Angelo suo custode circumdedit, porrò aderit; & Civitas vestra, è periculo penitùs erepta, divitiarum abundantiâ, dignitatisq; splendore reflorescet: Apud seram qvoq; posteritatem in hac mortalitate immortalis vos gloria manet; in futuro autem seculo nunqvam exolescens, à DEO illis, qvi in amore ejus ad finem perseverant, destinata, æterna Justitiæ ac beatitudinis Corona.

Prandio peracto, Rex Noribergæ diutius haud moratus, Swabaccum, qvò Exercitus jam præcesserat, perrexit. Qvia verò Tillius, dum, Regis adventu cognito, occupata paulò antè Noribergensium oppida deserit, præcipuos incolarum captivos Neomarcum inferioris Palatinatus secum abduxerat, Rex, adhuc ante suum Norībergâ discessum, nonnullos monastici Ordinis, id genus, qvod à capitis tegmine Capucinos vocant, in Teutonicorum eqvitum ædibus deprehensos, sub custodia asservari, & tamdiu detineri jussit: Dum, qvos Tillius avexerat, pristinæ Libertati restituerentur.

Sub expeditionis hujus in Bavariam susceptæ tempus Rex speciatim de eo certus esse voluit; qvid bello, qvod pro communi Protestantium causa gerebatur, de Noribergensibus sibi polliceri haberet? Adeòq;, ut scripto animi sui promtitudinem declararent, postulatum ibat. Nec abnuerunt Noribergenses; sed, regiæ voluntati absq; ulteriori procrastinatione morigerantes, scripto se obstrinxêre: *A Regis partibus fideliter & constanter futuros: Nec modò Regi & Coronæ Sveciæ, in præsentia atque imposterùm, ad debellandum, qvod incumberet, bellum, pro virili parte laturos suppetias; sed &, regiæ securitatis ergò, cum ipsi, tum Exercitui ejus, ubicunq, aut qvotiescunqve, necessitate flagitante, Regi id visum foret, tam intra Urbem, matrem, qvàm oppida Urbi parentia, ut filias, præbituros receptum, ac itum per ea, reditumq. E contrario Regis & ipsorum hostibus, hæc ambientibus, daturos repulsam, nec ullo favore aut subsidio arma eorum prosecuturos; multò minùs mœnibus recepturos illos, aut illorum præsidiū: Qvin potiùs omnibus viribus hæc contra hostes propugnaturos; &, sicubi forsan, exigente rerum statu, ob imminens ab hoste discrimen, Regis militem intra pomœria admitterent, (id qvod, Regis arbitrio, haud gravatim fieret) unà cum illo defensioni suæ gnaviter instituros, eandemq; subituros fortunæ aleam.*

Noriberga Regi certo se pacto obstringit.

In qvo-

In qvorum omnium eò accuratius servandorum certitudinem delectus qvoqve suos, qvos aut jam coegissent, aut coacturi deinceps essent, in Regis fidem adigere juramento, repromittebant.

Rex Donawerdâ aggreditur.

12. Svvabacchi Rex, Gulielmum, Saxoniæ Ducem, qvi cum copia sua nondum advenerat, opperiens, interqvievit undecimo Calendarum Aprilis: Postridiè Neomarcum, rectâ in hostem, ducere visus. Animadverso autem, Tillium, retrorsùm cedentem, magnis itineribus Danubium & Ingolstadium versùs contendere, flexo pariter itinere, Donawerdam petere instituit: Et qvanqvàm hostis à sinistris haud longulè incederet, terrarumq; hic tractus insidiis esset opportunus, inoffenso pede, tantâq; celeritate, qvicqvid id itineris, confecit; ut Tillio ad Danubium penè prævertens, septimo Calendarum Aprilis, in Donawerdæ conspectum veniret. Ubi munimenti, è monte, qvi à noneolis nomen habet, Urbi imminentis, metu inde dilabentibus per viam coopertam, in Urbem ducentem, præsidiariis, statim potitus, Urbem ipsam ad deditionem invitatum iit: Sed à Rudolpho Maximiliano, Saxoniæ inferioris Duce, qvi octo mercenariorum militum cohortibus, provincialiumq; non exiguo numero, & nonnullis eqvitibus è Cronbergica Legione suffultus, tutelæ Urbis præerat, ferox ac militare responsum ferens. *Nil,* scilicet, *Regi debere; præter sulphurei pulveris & plumbearum glandium fulmina, strictamve ferri aciem.*

Hoc responso accepto, tormenta partim in vicino monte, ex qvo in Urbem longè lateq; despectus, Urbi infestandæ, partim ad montis radices, mœnibus qvatiendis, disponi imperabat: Nec hoc modo loco, sed à diverso qvoq; latere, qvà suburbium longo tractu præjacet, militari vi admotâ, Urbem adortus. Obsessi initio Falconibus, duplicibus bombardis, & longioribus tubis acriter responsare: Cumprimis autem sclopetariorum manus, pars in tribus ædificiis, trans pontem sitis, lignorum fascibus, saleq; constipato refertis, pars post trabium, transversâ serie in ultrata Danubii ripa dispositarum, congeriem latens, citeriorem fluminis oram obliqvis ictibus infestam reddere. Sed machinarum è vertice montis illuc conversa vis subitarias has & levidenses munitiones facilè perrumpens, latibulis illicò eos expulit: Ita ut singuli inde in apertum campum raptim profugere dinumerarentur. Donec circà vesperam, tormentorum displosu paululùm desæviente, pedetentim & furtim iterùm irreperent, nocturnarumq; tenebrarum beneficio humum moliri inciperent: Ejusdem aggestu adversùs grandium globorum impetum se tuituri. Primo Regiorum agmine Urbi proximante, eqvitum globus in aperto campo ad velitarem pugnam obviam se dare ausus, sed in Urbem exiguâ mole rejectus, & eodem curriculo eam transiens, unà cum reliqvo eqvitatu trans pontem se receperat, ibiq; in planitie aliqvamdiu, Ordinibus instructis, steterat. Ad hos sclopetarii, qvi tria, ut diximus, ædificia insederant, agglomerari, & nunc procurrere, nunc recurrere: Qvòusq; isti in diversa tandem abirent. Erumpendo qvoq; Saxoniæ Dux, postmodum fortunam suam periclitari: Sed adversâ avi, & cum clade repulsus. E turri porrò, qvæ Lederensi portæ adjacet, velut eminentiori loco, in Regiorum, Urbis munitiones subeuntium, accessus despiciente, aliqvid his damni inferri: Verùm & hæc, tormentis eò directis, brevi adeò perforari; ut obsessis nulli ampliùs esset usui. Sole ad occasum vergente, de Tillio cum Exercitu, Urbi obsidio solvendæ, ingruente rumor increbescere: Qvod eqvites nonnulli hostiles levioris armaturæ, palantes in vicinia vagari conspicerentur. Nec subsidiorum spe omninò exciderat Saxoniæ Dux, sed incolarum, de deditione aures ejus pulsantium, preces hoc obtentu, qvod præ manu essent, eluserat. Spes tamen isthæc, hostilium eqvitum adventu affulgens, citato eorum discessu mox evanescere; & motus, hac caussâ apud Regios exortus, omninò sedare: Rex autem, inclinante ad noctem die, ut obsessos eò arctiùs premeret, Hebronium Tribunum mittere: Qvi cum magno delectorum sclopetariorum numero, Wernitzæ fluvium transiens, ab hac

ab hac qvoq; parte Urbem aggrederetur.

Quam Bavarus miles paulò post deseruit. Qvo facto, sub noctem concubiam, eqvorum ac curruum, pontem transeuntium, fragor inaudiri,&,simul ac aures Regiorum feriit, tormentis, tubisq; longioribus indesinenter in pontem detonari. Deseruerat enim Saxoniæ Ducem diutiùs sustinendi fiducia: Qvare, præmittens noctu calones & impedimenta, primâ, sed dubiâ adhuc luce,unà cum præsidio,Urbem ipse pariter deserere; Regiis creberrimis ignibus ac fulminibus abeuntes proseqventibus. Nonnulli,mitiora sperantes, factâ in Hebronium eruptione, vi illìc pervadere conati, adeò fortiter excipi: Ut magna pars moribundi terram mordicus premerent; reliqvorum pleriq; captivi apud illum remanerent. Inter hæc Regii, hinc inde, in Urbem præsidio viduam penetrare, & extremum agmen ac moratorum reliqvias ad internecionem cædere. Civium tamen vitæ parcitum: Qvanqvam inter primam tumultus intemperiem,milite ad prædam dilapso, partim vi expugnatæ Urbis experirentur infortunium. Rex illicò turmas nonnullas eqvitum ac draconum hostem vestigiis perseqvi, jussit: Sed qvod fimo obstructæ portæ aditu copias eqvestres arcerent, dum hoc amoliendo tempus abit, illis in tutiora elabendi spatium dabatur. Ne nihil tamen agerent, occupârunt hæ turmæ Oberndorffium, Fuggerianam arcem, haud longulè Lico flumine dissitam. Occisorum hostium in Urbe, & circa Urbem, cumprimis in ponte, ad qvingentos recensi: Tormentaq; octo majora, frumenti copia insignis, ad hæc ter mille salis constipati orbes in Regis protestatem devenerunt.

Ita libera hæc Imperii Civitas, qvam Bavariæ Dux integra penè qvinq; lustra præduro ac ferreo jugo, cum veræ simul Religionis, simul privilegiorum internecione presserat, à Rege in libertatem pristinam asserta: Augustanæ confessionis exercitio eidem postliminio mox restituto.

Regiorũ ulteriores ad Danubium progressus. Dum ad Donawerdam à Rege desudatur, miles ejus longè latèq; dispersus, variis locis,ad superiorem Danubii tractum, jussu partim Regis,partim injussu, fortunam tentatum iit. Qvæ in Guntzburgo, Elchingâ, Gundelfingâ, Lavingâ, Höchsteto, Dillingâ, Kirchbergâ, aliis oppidis ac arcibus occupandis,propitiam se exhibuit. Rex verò, utriusq; ad Danubium ripæ potens, eo intendere omnes cogitationum nervos cœpit: Qvomodò, Lico tramisso, Bavariæ Duci, belli incommoda, qvibus alios tot annis afflixerat, in sedes suas & viscera importaret, eodemq; illi propinaret poculo, qvod aliis hactenùs largiter miscuerat.

13. Tillius econtrà, malo huic averruncando,paulò supra Raini oppidum,ex adverso Oberndorffii,inter Lici & Aichæ fluenta, in umbrosa silva, castris locum deligens, concædibus & subitariis operibus excitatis validè se munierat: Ob loci, ut ipse videbatur opportunitatem Regi, utut cum multis millibus ingrueret, neutiqvàm cessurus,sed impetum præstolaturus. Ponte qvoq; ad Rainum interscisso, Lici ripam crebris stationibus, ad Augustam Vindelicorumq; usq; sepserat: Eqvitatu omnem riparium hunc tractum assiduis discursibus pulsante, & noctu, diu (ut veteri militiæ utamur verbo) fraxante. Qvod etiam protestantibus Reipublicæ Augustanæ civibus, utpote à pontificio Clero vehementer hactenùs vexatis, minus fideret, præter sex, qvæ jam antè illic in præsidio erant, Bavarici militis signa, duodecim peditum cohortes, & binæ eqvitum alæ, clam civibus nec-opinatò in Urbem introductæ, & Protestantes, armis ereptis, compedibus his velut illigati; ne qvicqvam moverent. Tillius ipsemet, lustrato uno cum Aldringero loci situ, qvæ præsens rerum status reqvireret, ordinatum iit, totusq; eò incubuit: Ne Rex potente, populosâ, & opulentâ Urbe, occlusas undiq; versum Bavariæ fores, clavis instar, ab hac parte reserante, potiretur. Tillius ad Licum pedem figit.

Rex vero Exercitui ad Northemum, loco cis Licum Bavaricis castris directè opposito, stationem delegerat. Et qvanqvàm hostis, non sine insigni jactura Regiorum impressioni hic patere, cùm sibi videretur, tum aliis, Rex nihil- Rex illic eum adoritur.

nihilominùs loci, contra qvem Tillius ſtatum ceperat, naturam & ſitum exactè ſpeculatus, adeò ſibi opportunum & hoſti incommodum reperit: Ut, inſpectante ipſo, Licum tramittere, &, nullâ concædium aut munitionum ratione habitâ, ſtativis his eum pellere, animum induxerit. Depreſſa enim erat, qvam Tillius inſederat, ripa; à Regis econtrà parte haud paulo elatior: Ita ut hæc in illam deſpiceret, & è ſublimi eidem velut dominaretur. Licus etiam, flexo ad Regem, & reflexo mox curſu, in arcum ſinuatus, è loco, qvo Tillius tendebat, velut peninſulam efficere viſus. Idq; ut, primo intuitu, ob circumfluum maximâ caſtrorum parte flumen, pro munimento forſan habitum, ita poſtmodùm, nocumento fuiſſe, apparuit: Qvod Tillii caſtra, ripâ cujus Rex potens, ab omni ferè latere circumdata, libratis è ſuperiori loco tormentorum ac longiorum tuborum ictibus eò magis exponerentur. Rex ergò, tertio Nonarum Aprilis, tres ingentes tormentorum ſuggeſtus, binos ab utroq; latere, & tertium in medio exſtrui, aggereq;, poſt qvem ſclopetarii laterent, raptim excitato, connecti imperabat.

Suggeſtibus his ad ſeptuaginta duo omnis generis tormenta impoſita, iisq; in ſilvam, qvâ Tillianus Exercitus ſe abſcondiderat, cœcis, ſed creberrimis ictibus decuſſatim fulminatum: Demùmq;, qvod Tillio ſalutare viſum, in perniciem vertiſſe, eventu conſtitit. Arbores enim, qvæ comâ ſuâ occœcare hoſtem, & militem velut umbraculo, ne ad ictus pateret, convelare debuerant, globorum grandiorum vi diſcerptæ ac aſſulatim comminutæ, ramiq; à ſtipite revulſi adeò tota infenſare caſtra cœperunt: Ut nullibi tutus conſiſtendi relinqveretur locus. Tantus & terribilis adeò, præter tormentorum boatum in ſilva auditus fragor, qvaſi lignatores qvamplurimi, lignatum miſſi, arboribus accidendis operam darent. Interim ſub tormentorum & ſclopetariorum regiorum, ripæ incubantium, patrocinio, & continuâ denſi fumi, qvi pice aliisve fumeis materiis de induſtria accenſis excitabatur, nube, Licus ponte jungi cœptus; arietibus immiſſis: Qvod machinationis genus, fluminibus, qvamvis rapidiſſimis, modò ne altitudinis nimiæ ſint, inſternendis accommodum. Tigna enim ejus fibulis discluſis, & ſublicis certâ ratione inter ſe revinctis, partim continentur, partim diſtinentur: Ut, & obſecundando undarum rapacitati, & obnitendo, qvò major vis aqvæ ſe incitat, hoc arctiùs illigata teneantur. Huic ponti conſtruendo nox, qvæ tertium Nonarum Aprilis ſeqvebatur, impenſa; poſtridiè in eo pari diligentiâ conſudatum, nec altera nox ad laborem intermiſſa: Donec ipſis Nonis Aprilis ultratam ripam contingeret. Mox tercentum Finnones tranſire juſſi, ſemilunulam, ponti protegendo, ſubitariâ operâ emoliebantur. Bavarus ſanè miles è thoro, ad ſilvæ ingreſſum excitato, contrariâ verberatione inſtitutâ, qvatere pontem non deſtitit, & ter in eundem dedit impetum: Sed, cùm Finnonum virtute, tum vel maximè aſſiduâ tormentorum & ſclopetariorum undiq; ex oppoſita ripa depluentium, grandine, ingenti cum ſtrage rejectus.

Ponte hunc in modum abſoluto, & aditu in ulteriorem ripam reſerato, Regeq; tormentorum fulminibus acerrimè inſtante, (qvibus Exercitus Bavarus non frontem & latera infeſtabatur modò, ſed miles nullibi non, concidentium arborum mole, & hinc inde volitantium fragminum verbere, miſerrimè affligtabatur) regio deniq; eqvitatu vadum, qvod repererat, tranſeunte, & turmas nonnullas adverſæ partis, ad velitationem progredi auſas, in caſtra retrudente; Bavariæ Dux ſtationem hanc non ſatis fidam ampliùs, nec, diutiùs illîc commorari, conſultum duxit: Metu, ne hoſtis circumcingere ipſum, & in ipſis caſtris oppugnare intenderet. Præmiſſis itaq; veſperi impedimentis, noctu cum milite raptim, nec ſine confuſione, Neoburgum ac Ingolſtadium ſe recepit. *Bavarus Lici tranſitu Regi cedit.*

In calore hoc rerùm Aldringerus, generalis vigiliarum Præfectus, glande plumbeâ caput haud perfunctoriè perſtrictus; poſt diuturnam demùm curationem ad cicatricem vulnus perduxit. Imprimis autem ſenex ille & multorum annorum Imperator Tillius, in dextro crure ſupra genu globo trilibri *Tillii mors.*

trilibri percusſus, & lethali vulnere affectus, lecticâ ægrè tolli, atq; è loco castrorũ asportari potuit: Adeò enim vires defecerant hominem, ut aliqvoties ſubſiſtendum eſſet, & inter vias animam exhalaturus videretur. Vixit tamẽ adhuc aliqvot dierum ſpatio, Ingolſtadium relatus: Ubi, poſt qvatuor oſſium fragmina cruri exemta, cum doloribus & ſummo cruciatu colluctantem diu, ſed victam tandem animam indignabundus effudit. Ultima ejus verba fuiſſe feruntur: *Ratisbonæ conſervandæ ante omnia animum advertendum; hac enim deperditâ, Cæſarem de Corona & ſceptro periclitaturum.* Poſt hæc bis adhuc *Ratisbonæ* nomen inclamantem, fato ſuo functum.

Encomium. Hic ſenem ac celeberrimum Imperatorem, Johannem Tzerclaum, Comitẽ Tillium, exitus habuit. Qvi, à teneris annis aſpera bellorum ſtudia amplexus, non citato ſaltu, ſed pedetentim, per omnes militarium muniorum gradus, ad ſummum tandem faſtigum & imperium ſubvectus, à primis militiæ rudimentis, ergà Dominum ſuum fidelem apertumq; ſe, ergà hoſtem indefeſſum ac interritum præbuit: Ob infractum animi robur, diutinam bellicarum rerum experientiam, ingenii acumen, inſignem prudentiam, & ſtrenuè factorum magnitudinem, præcipuis ævi noſtri Ducibus accenſeri promeritus. Sub vitæ tamen epilogum, paulò ante Lipſienſem aciem, crudele & atrox Magdeburgi excidium, fumusq; è ruderibus Urbis hujus exundans, laudem ejus haud mediocriter offuſcâſſe videtur. Poſt qvod infandum facinus perpetratum felicitas ejus ad caſum, qvi ad Lipſiam eum mox obruit, inclinare cœpit; nec, ab eo tempore, ullis adminiculis inſtaurari, aut in priſtinam ſublimitatẽ erigi iterùm potuit. Florentibus ejus rebus, de tribus gloriatum, accepimus: *Nec vino nimio indulſiſſe unqvam, nec Veneri ulli; nec, qvamdiu ſummam imperii tenuerit, juſtâ acie victum.* Et ſanè de prioribus duobus controverſiarum illi non movebimus: Neq; hominem, ſiqvidem vera jactavit, ac rara ejuſmodi avis, ſeu miraculum potiùs, inter militares Viros exſtitit, ſuâ ſibi laude privabimus. Confitemur ad hæc ingenuè: Ultimam qvoq; gloriam tumulo illaturum; ſi fata anno maturiùs mortalitate hac exemiſſent. Verumenimverò DEo Opt. Max. viſum fuit, humanæ fragilitatis luculentum in eo exhibere nobis ſpecimen, & lauru, ipſius capite direptâ, glorioſa Regis Sveciæ cingere tempora: Adeò ut è ſummo felicitatis culmine ſubitò ad Lipſiam in præceps actus, poſtmodùm fortunam, occipitio ſemel obverſo, reſpicientem vix unqvam viderit. Hæc tamen rerum metamorphoſis eò leviorem maculam defuncti nomini aſpergit: Qvod incõparabili tantummodò Heroi, cui parem Chriſtianus Orbis multis retrò ſeculis non poſſedit, nec ulli alteri, de victoria conceſſerit. Velut GUSTAVI qvoq; noſtri Magni victoriæ, qvas ſeni & inclyto huic Imperatori extorſit, eò magis ſuſpiciendæ veniunt: Qvò majorem hic præteritis bellis, per tot arduas feliciter ad exitum perductas expeditiones, & fixa multis in locis trophæa, laudem ac gloriam ſibi comparaverat.

Sed redeamus in orbitam. Delecta è qvavis phalange ſclopetariorum manus ad impreſſionem in hoſtilia caſtra faciẽdam, deſtinata jam erat, Duce Nicolao Brahæo, Comite à Wiſingsburg, prætoriæ Legionis Tribuno: Cui, qvemadmodum Rheni reſerandi fortuna obtigerat, id qvoq; honoris, ut, Lico tramiſſo, Bavariam primus irrumperet, à Rege tributum. Rex, Lico ſuperato, in Bavariam tranſit. Poſtqvam verò, ultimo Iduum Aprilis, illuceſcente die, Bavari exercitum, relictis ſtativis, ſe recepiſſe apparuit, eqvitatui, vadum tranſeunti, maximam partem hoſtium veſtigia perſeqvi imperabat Rex: Qvorũ aliqvammulti tardiores in fuga trucidati; adeò ut clades, Duci Bavariæ hac factione illata, ad mille capitum æſtimata fuerit. Non pauci capti, & in derelictis Caſtris armorum, ſpoliorumq; nonnihil repertum. Peditatus qvoq; regius, & leviora tormenta eodem adhuc die pontem ſubſtratum traducta:

Qvi, ut temporarium, nec durabile opus, è vestigio interscissus.

Raini Urbs, à Bavaricis metu deserta, adventantibus Regiis portas statim aperiebat: Ubi qvatuor tormentis, & pulveris nitrati, commeatusq; non mediocri copiâ potiti. Pons, Licum illic propè jungens, reparari statim jussus, &, ei præmuniendo, novum propugnaculum ad Lici oram exstructum. Ita inventæ tandem claves, qvibus aditum pandentibus, Bavaria Regios lato admittebat ostio.

Magno cum incolarum tremore

Hinc, qvod Regii palantes, rupto velut aggere, qvi cursum eorum hactenùs refrenârat, Bavariam longè lateq; excursibus suis inundarent, ingens inter indigenas, formido & terror subortus: Ita ut promiscuè cum mobilibus, qvæ in pretio maximè habebant, in munitiora partim loca profugerent, partim in vicinas provincias exulatum abirent. Qvin ipsemet Dux thesaurum suum, & qvicqvid pretiosioris supellectilis per angustiam temporis exportare dabatur, Salisburgum transferri curârat.

Viennæ autem Aula Cæsaris Bavari hoc infortunio haud perinde affici, sed in tacito secum sinu gaudere visa: Qvod atra hæc, & procellâ ac tempestate gravida nubes, qvæ transire non poterat, qvin calamitatem ingentē daret, in vicinum potiùs, qvàm ipsum Cæsarem, ejusve Regna ac diciones incubuisset, & hic, si non omninò desæviret, eòusq; certè occupata teneretur; qvoad Fridlandiæ Dux, viribus confirmatior, & statu firmior, ingruenti valeret occurrere malo.

Rex obsidione Augustam cingit.

14. Septimo Iduum Aprilis, Rex cum exercitu, trans Licum, Augustam Vindelicorum versùs movens, & in Thirhaubti monasterio, vicoq; ei subjecto pernoctans, postridiè rectâ è regione Augustæ, ab altera Lici parte, in pago, cui à flumine Licusii nomen, castra metabatur. Cujus antecursores Fridbergæ, incolis deditionem & claves spontè offerentibus, mox intromissi.

Cis Licum Leonhardus Torstonis, rei tormentariæ Præfectus, cum pōderosioribus tormētis, aliqvot eqvitum turmis, & delectâ sclopetariorum manu à Rege relictus, eòdem perrexerat; &, Oberhusii pago insesso, ad Wertacchæ fluvium captâ haud procul Urbe statione, se communiebat.

Neoburgensis Legati propositio:

Interim, qvibus Wolfgangus Gulielmus, Comes Palatinus Rheni, dum ad Rhenum ipsemet abest, gubernacula principatus Neoburgi commiserat, misso ad Regem Legato, Tilliani præsidii receptionem excusatum, & Neutralitatem, immunitatemq; ab hostilitatibus qvæsitum ierant.

Regis responsum.

Qvem Rex duriter initio acceptum, increpavit: Qvod Neoburgenses, contra datam à Principe suo fidē, liberum hosti concessissent iter, tormenta subministrâssent, præsidium ejus admisissent, &, ubicunq; tulisset occasio, re ac operâ eidem fuissent adminiculati; è contrario Regis literis & postulatis aures occludentes, tubicinem, qvi hæc ferebat, longiorum tuborum bombis exceptum, repulissent. Demùm tamen à Rege, per Augustum, Comitem Palatinum Rheni, Sultzbacensem, (ut ad differentiam indigitavimus) responsum Legatus tulit. Misso in regia castra commeatu, promtitudinis suæ aliqvod etiam Regi exhiberent priùs specimen: Ita postmodùm rationem eorum, qvantum mererētur, habiturum.

Neoburgum, à Bavaro desertum,

Dum autem Legatus apud Regem satagit, Bavarus miles, desperatâ Neoburgi, si Rex arma illuc verteret, defensione, Ingolstadium se receperat: Urbe desertâ, & sex levioribus machinis cum aliqvo instrumento secum abductis; nec non abrupto uno pontis, qvo Danubius sternitur, jugo.

Rex præsidio insidet.

Qvâ de re certior factus Rex redeunti ad suos Legato, Landsbergerum sub Tribunum, qvingentis militibus stripatum, adjunxit; in mandatis dans: Ut, Urbe insessâ, pontē qvoq; ocyùs repararet. Qvod ille, simul ac eò venit, in effectum contulit, qvâ par erat, promtitudine ac fide.

Augustæ autem Vindelicorum regiis partibus initiādæ, Rex, qvod pons, qvo Licus Licusii transitur, à Præfecto Urbis exustus reperiretur, duplici fluvium, supra & infra Urbem, loco insternere aggressus, tormenta qvoq; suggestibus

ftibus commodo loco exſtructis, disponebat: Ad terrendum tamen magis, qvàm lædendum. Nec enim vel unicum illorum disploſum: Bavaricis interim pulveri ſulphureo neqvaqvàm parcentibus, ſed aſſiduè in Regios, qvamvis exiguâ eorundem jacturâ, fulminantibus.

De Auguſtæ deditione literis diſceptatur.

Regi enim oſtentare magis arma, qvàm inferre animus erat; nitidamq; hanc pariter ac potentē, nec non Proteſtantium Religioni maximâ ſui parte deditam, Urbem lenitate ſervare, qvam vi deformare aut peſſum dare. Contentus itaq; his tentamētis, & velut præludiis obſidionis, loco ferri verbis eam oppugnare cōſtituit, literisq;, per tubicinem transmiſſis, ſignificandum duxit. *Eam de Auguſtanis antehac conſtanter fovisſe opinionem: Factionibus bellicis abſtenturos, aut potiùs, ad asſerendum ſe in priſtinam Libertatē, operam adjutabilem Regi conſociaturos. Poſtmodùm verò non ſine admiratione comperisſe: Qvàm diverſam ab hac viam inſtiterint; admisſis in Urbem Regis hoſtibus, ipſi qvoq; hoſtes profesſi. Hinc ſat cauſæ eſſe, ut pro merito eos tractet: Par pari referendo, & hoſtilitates penſando hoſtilitatibus. Verùm innatam ſuam clementiam præponderare his injuriis, nec gratiæ adhucdum illis præcluſas fores: Modò, adverſariorum præſidio Urbe exacto, ab hoſtilibus armis erga Regem impoſterùm ſibi temperarent.*

Ad hæc à Curatoribus, Conſulibus, & Senatu Civitatis reſponſum. *Cum dolore inaudiisſe; qvod, præſidium recipiendo, Regē lædere voluisſe videantur. DEum autem teſtem invocare: Nihil hoſtile in Regem molitos, nec, arma adverſùs eum induere, unqvam ſibi venisſe in mentem. Qvodcunqve factum fuerit, fide & obedientia, Cæſari debitâ, exigente fuisſe factum: Et, ſiqvidem Rex prævertisſet, non magis illi reſtituros. Præſidium impoſitum ſuis minimè gentiū militare auſpiciis: Neqve igitur, eò ſe liberare, in ſua fore poteſtate. Supplicare itaqve Regi: Ut Præfectum Urbis, & cæteros militiæ Duces, tolerabilibus condicionibus oblatis, ad deditionem cohortaretur.*

Rex ad reſponſum hoc ſcripto regerebat. *Gratisſimum ſibi evenire: Qvod florentem ſtatum ſuum ancipiti bellorum aleæ committere, & arma adverſùs ipſum ſtringere detrectarent. Ex abundanti autem admonitos velle: Exonerarent ſe confeſtim hoſtili præſidio; qvod ſimul introrsùm potenti adeò civium communioni tumultuanti, deditionemve urgenti, ſimul Regiis, vi extrorsùm admotâ, inſtantibus reſiſtere neutiqvam par eſſet.*

Has Regis literas civibus, qvi Proteſtantium doctrinam magno numero ſectabantur, communicare, inq; communem deliberationem deducere, Magiſtratui urbico viſum. Qvâ habitâ, iidem Proteſtantes, unanimâ omnium ſententiâ, ſupplici ſcripto Regem adierunt; teſtificantes. *Præſidium hoſtile, ad gravisſimum Cæſaris mandatum, ipſis rerum ignaris, à Magiſtratu admisſum, omnemve militiæ ſummam ac belli nervos Præfecto in manum conſignatos. Cum ergò, præſidio ſe liberare, in Magiſtratus poteſtate ampliùs non ſit; de Præfecto autem verendum, ne, honorificis deditionis & disceſſus legibus denegatis, extrema opperiatur: In ipſos tandem, qvi maxima Civitatis pars, & qvidem innoxia, potisſimam recaſuram infortunii molem. Suppliciter itaqve Regem orare; ne in paciſcendo difficilem ſe præberet. Qvò, Præfecto honorificarum condicionum argumentis deditionem perſvaſo, univerſa Civitas impendenti ruinæ eriperetur.*

Præter iſta Campiductor Hornius Præfecti animum literis tentare juſſus. Qvi, blandè inſinuans, *meliora de eo ominari*, ſcripſit; *qvàm ut pretioſisſimum hoc Romani Imperii cimilion, Urbem verè Auguſtam, præſenti periculo exponere, & cum illibatam conſervare posſet, non ſine conſcientiæ morſu, deteſtando poſteris modo, perditum potius ire pertinaciâ ſuâ velle, crederet. Maximè, munitione Urbis admodum diffuſa, levidenſi, & debili; Civium pleriſqve, ob Religionis diverſitatem, male-fidis; Præſidii, qvod maximam partem è provinciali milite conſtaret, qvalitatibus Regi ac Regiis ſatis ſuperve perſpectis,*

 Deniqve

Deniqve spe omni auxilii à Duce Bavariæ, qvi propriarum potius dictonum tuendarum, qvàm alieni conservandi jam satagat, præcisâ. Qvod ergò, defensionem nihilominùs obstinare, frustraneus, & ipsimet Præfecto, militiæ præsidiario periculosus admodùm conatus foret: Hinc paratum se, modo ad mitiora animum reflectat, apud Regem de tolerabilibus deditionis legibus intercedere: Nec desperare; qvin Rex harum gratiam clementissimè ipsi sit facturus.

Augusta Regi deditur.

Non successu caruêre ingenii hæ machinæ. Præfectus etenim pronis auribus deditionem admittens, & abitum mox liberum pactus, qvarto Iduum Aprilis, circa vesperam, impedimentis & armis salvis, incensis fomitibus, globulis ori inditis, signisq; ac vexillis explicatis, Urbem reliqvit: Ingolstadium ex pacto deductus. Et ita insignis hæc Romani imperii Civitas exiguo temporis spatio, non armis, sed argumentis, non pilo, sed stylo oppugnata & expugnata in Regis fidem concessit.

Magistratus illic mutatur.

Postridie pontificiæ Religioni deditum Magistratum, & certos ex protestantium Civium numero delectos, Licusium Rex evocabat: De Republica imposterùm administranda seorsim cum iis acturus. Qvo tractatu aliqvot insumti dies, demumq; eò res rediit: Ut, non secùs ac Protestantibus anteà acciderat, pontificio Magistratu sedibus moto, alterius Religionis postliminio restituerentur pristinæ dignitati; stationariaq; Civitatis cohors, & alii Reipublicæ ministri pontificii exauctorati, loco, qvo Protestantes expulerant, iterùm cederent. Armamentarii verò, nosocomii, aliorum Regalium, cumprimis status qvoq; ecclesiastici, qvem Pontificii, Protestantibus ereptum, ad se penitùs traduxerant, cura Regis arbitrio relicta: A qvo idoneæ & puriorem doctrinam professæ personæ administrationi præficerentur.

Rege ingresso, Protestantium Religio templis restituitur.

His peractis Rex, ultimo Calendarum Maji, ovans Urbem introiit: Maximo protestantium civium gaudio & jubilo exceptus. Nec eqvo descendens, aut alia moratus, ad Divæ Annæ rectà contendit: Præsentibus Friderico Bohemiæ Rege, Augusto Comite Palatino Rheni, Gulielmo Saxoniæ, ac Johanne Holsatiæ Ducibus, Christophoro Marchione Badensi, aliis qvamplurimis Comitibus, Baronibus, bellicis magni nominis Ductoribus, Legatisve, nec non restituto noviter Protestantium Religionis Senatu, & multis hominum, qvi undiq; confluebant, chiliadibus, Augustanæ confessionis exercitium denuò introducturus. Ubi post habitam elegantissimam modulationem musicam, & decantatum, gratiarum actionis ergò, centesimum tertium Psalmum, protoMysta Regis, D. Jacobus Fabritius, concionem habuit: Electo è duodecimo Psalmo, ad præsentem temporum condicionem accommodo, hoc textu. *Ob inopum miseriam, & gemitus pauperum exsurgam, dicit Dominus: Auxilio iis ero, ut fidenter doceatur.* Qvem textum ad miserandum Civitatis oppressæ, qvalis paulò antè fuerat, statum, & nunc secutam metamorphosin applicans, Summatum, infimatum, qvi aderant, animos ita pupugit: Ut compluribus præ gaudio, cujus magnitudinem cordis latebræ non satis capiebant, lacrymæ in genas largiter exundarent. Finitâ concione hymnus Divi Ambrosii insonuit, & sacrosancto huic actui concentu musico, ut initium factum erat, ita colophon qvoq; impositus. Pari solennitate in aliis templis indictiva hæc solennia celebrata: Nec remissiori illîc Zelo & devotione incolæ, Protestantium Religionis, sacris interesse conspecti.

Universitas civiū juramentum fidelitatis Regi præstat.

Propitiato in hunc modum Jehovâ, Rex ad forum vinarium in Marqvardi Fuggeri palatium eqvo vectus, totam civium universitatem, in atrio illîc ante ædes congregatam, in fidem, juramento, ab iis exacto, accepit. Qvam postmodùm, restitutâ in pristinam Libertatem Civitate, & de privilegiis, ejus, statutis, immunitatibus, juribus, sartis, tectis conservandis, cautione à Rege acceptâ, ipsi pariter, syngraphâ Regi traditâ, ex intervallo confirmârunt.

A præstito juramento mox pransum est, mensisq; sublatis Rex Curiam & armamentarium visitatum iit: Nec diutiùs in Urbe commoratus, sub vesperam, ad hospitium castrense, qvod Licusii habebat, revertebatur.

Qvod

Qvod verò, Senatu nondum redintegrato, sedes nonnullæ, & alia qvædam Civitatis munia, Administratoribus destituta, vacarent, intermissis paucis diebus, Regis mandatu habita veteri more electio: Nec svetus modò Senatorum numerus suppletus, sed & aliis inferioribus ministeriis, prout necessitas & utilitas postulabant, provisum.

Gaudium autem felici hujus Civitatis occupatione exortum, non intra Urbis mœnia se continuit, sed per omnem Germaniam, qvà Protestantium doctrina florebat, effudit, singulis, universis in votivas preces erumpentibus; vel eo nomine: Qvod loco huic, unde confessio, qvam suam agnoscunt, nomen trahit, pristinâ conscientiæ libertate, & suæ sibi confessionis exercitio iterùm frui daretur. Inter alios, Saxoniæ Elector, insignitè Regi gratulatus, ad contestandum animi affectum, solennem, per territorii sui fines, supplicationem instituit.

Rex Ingolstadiū movet.

15. Augustâ Vindelicorum hosti ereptâ, eò collimabat Rex: Ut in Bavaria ad Danubium simul firmum figeret pedem, simul Ducem, qvi Ingolstadium cum Exercitu se receperat, propriis finibus, & citeriori Danubii orâ omninò excluderet. Hinc, Ratisbonam in potestatem redigere, Ingolstadii verò pontem ac transitum, ne usui ulli deinceps foret, munimentis qvibusdam obstruere, mens erat. Penultimo ergò Calendarum Maji, motis Licusio castris, Aichachum, & inde rectâ Ingolstadium versùs itum.

Acerrimè hic ab hoste exceptus.

Verumenimverò Ingolstadii hostis, & cis pontem validè se muniisse, & in opposita Danubii ripa, sub Urbe atq; tormentorum jactu cum Exercitu consedisse, repertus: Acerrimèq;, ubi ad manus ventum, res gesta. Duodecimo sanè Calendarum Maji expugnatum à Regiis munimentum qvoddam ponti præjacens; hostiumq; ad trecentos, pars concisi, pars capti. Non tamen par fortuna conatui eorum respondebat, in majus propugnaculum, proximè pontem situm, impressionem tentantium: Repulsi enim cum clade, Ductorum nonnullos, & milites aliqvammultos desiderârunt.

Rex ipsemet vitæ periculū subit.

Regi ipsimet exitium haud procul aberat. Dum enim, loci situm pro more exploraturus, propiùs Urbi succedit, candore asturconis, qvo vehebatur, hostium oculos eminùs perstringente, tormentarius ex Urbe, librato in eum tantâ certitudine ictu, tormentum exoneravit: Ut eqvum ad suras Regis discerperet, & Rex, sangvine pulvereq; conspersus, in terram provolveretur. Ingens terror, qvo lapsus Regis comitum animos perculerat, ingenti mox gaudio pensatus: Dum Regem, sub eqvi mortui cadavere ægrè se extricantem, in pedes surgere incolumem conspicantur. Qvi neutiqvàm animo alteratus, aut commotior, nisi qvod Deo Opt. Max. ob protectionem clementissimè & evidenter exhibitam, animitùs gratias ageret, alio eqvo ascenso, viam, qvam institerat, perrexit. Asturconi, sub Rege occiso, Bavaros pellem postmodùm detraxisse, inq; basilicam Ingolstadii, memoriæ causâ, suspendisse, sunt qvi referant.

Marchio Badensis ictu tormenti occumbit.

Qvas reliqvias, siqvidem sanctuarium eorum non dedecere videntur, nec nos admodum invidemus: Cum Regi periculosa hæc alea, fatis faventibus, haud malè cesserit. Qvæ utinam Christophoro Marchioni Badensi non tristiora se ostendissent! Verum is paulò post, certiori ictu percussus, & dimidio capite mutilatus, exanimis ilicò concidit. Cujus obitus Regi, ob assiduum & fidele obseqvium, exiguo licet tempore, qvamdiu arma ejus & personam fuerat sectatus, præstitum, non mediocri dolori fuit.

Regis de hoc casu ad suos memorabilis oratio.

Rex, post exantlatum periculum in castra regressus, Principes, Summates, ac primarios belli Duces, qvi astabant, verbis, in audientium animis aculeos relinqventibus, compellâsse fertur. *Repentinus*, inqviens, *ex hac vita Marchionis Badensis discessus, cujus, ut ingentium virtutum Principis morte, mœroris ac luctus meritò impletur, & fumans globus, qvi non ita pridem propè me accidit, adeò ut cutem penè perstringeret, post alia aliqvammulta vulnera, quæ ab hostibus excepta & in cicatricem coalita, corpore gero, mortalitatis meæ me commonefaciunt; nec minùs, ac vilissimum qvemq; meorum grega-*

gregariorum, humanis ejusmodi casibus arguunt obnoxium. Hæc etenim vetustissima lex est; Mori te oportet homo, quisquis es: Hoc Naturæ debitum; à quo nec illustre genus immunem me præstabit, nec regia dignitas, sceptrum aut corona, nec arma, nec multiplices laureæ & triumphi. Superest igitur, ut Iehovæ Opt. Max. providentiæ & arbitrio me obsequentissimè submittam: Qui, utut me è mundana hac scena evocare placitum fuerit, justissimæ tamen, qvam propugno, causæ patrocinium minimè gentium, ut certo certiùs confido, desertum ibit. Haud illi erit difficile, suscitare alium; & prudentiâ, animi robore, felicitate instruere: Qui, de damno Ecclesiæ suæ resarciendo solicitus, bellum hoc optato exitu componat, & puriorem Evangelii doctrinam, eámq; professos, omnimodæ securitati, nec minùs Germaniam pristinæ restituat Libertati. Haud me latet, prosperos meos ad hæc usqve tempora successus multos mihi excitare invidos: Qui nomen meum flagellant, & potissimâ factorum gloriâ me spoliatum eunt, rerum ignaris persvadere conati; bellum hoc, ditandi potiùs meipsum, & Germaniam expilandi, qvam in pristinum statum, florem, dignitatem restituendi, à me geri. Sed DEum & conscientiam meam testes, ante omnia invoco; tum Principes etiam, qvos, antea exules, nullâ accepta compensatione, in sedes proprias reposui; ærarium insuper regium, ex qvo ingentes summas in bellum hoc profudi; denique Creditores meos, Francofurti & alibi habentes domicilium, apud qvos maximo æri alieno me immersi: Num privatam utilitatem magis, qvàm eorum, qvi Religionis ac fœderum vinculo mihi junguntur, salutem ac incolumitatem bello hoc intenderim. Consiliorum meorum & actionum ratio, qvam hactenùs institi, & imposterùm cum Deo, qvamdiu vitam, viresve suffecerit, instituturus sum; magnus laborum & ærumnarum cumulus, qvem hucusqve succollavi, & deinceps succollare, necessum habebo; multiplicia discrimina, qvæ nec refugi unqvam, nec in futurum refugere, animus est, intrepidè testabuntur: Regnum meum, & qvicqvid in hoc mundo mihi carum, non aliâ causâ dereliqvisse; qvàm ut, propriâ securitate partâ, tyrannicum Austriacæ stirpis dominatum retunderem, & universalem, æqvam, stabilem, fidam Pacem reducerem, vicinis, Religionisve, nec non sangvinis partim necessitudine mihi junctis, Germaniæ Electoribus, Principibus, Ordinibus in pristinam Religionis ac status libertatem armatâ manu assertis.

Hic murmur à circumstantibus ortum, filum regiæ orationis interrumpebat: Universis, singulis lacrymabundis, & ad supplices preces transeuntibus. Ne imposterùm periculosis ejusmodi casibus caput objectaret Rex, sed parceret vitæ ac incolumitati suæ; si non sui ipsius, certè tot millium animarum causâ: Qvarum salus ab ejus salute pendula, illo humanitùs qvid passo, eâdem ruinâ pariter obrueretur. Ipsos qvidem in nullo Regi defore, verùm, non secùs, ac morigera membra decet, solâ obseqvii gloriâ, cum ejus, ut summi Capitis, imperio decertaturos.

Marchionis Badensis exuviis, sub Regis Ingolstadio discessum, universus Exercitus, in aciem dispositus, dupli i tormentorum ac sclopetorum displosu, Svecorum in morem, ultimùm valedixit: Qvæ hinc Augustam deductæ, & ulterius ad monimentum, iis condendis destinatum, avectæ. Senior autem Marchio, defuncti Parens, de tristi hoc casu certior factus, erga eos, qvi solandi causâ accurrebant, magnanimum admodùm se exhibere visus: Inter alia, ad hanc formam disserens. *Æstuare qvidem in se sangvinem, & innatam Naturâ στοργὴν: Interim tamen recordari; non defuncti modò Patrem esse, qvi lugere naturali affectu debeat, sed & Christianum, qui, divinarum literarum monitu, luctui imponere modum teneatur. DEum dedisse ipsi sobolem hanc: Eundem abstulisse. Felicem æstimare filium suum: Qvi pro divini nominis gloria, ut Christianus, & fronte in hostem obversâ, ut strenuus miles occubuerit. Illorum mortem deplorandam, & lacrymis luctuq; proseqvendam: Qui vitam, vitiorum & scelerum cœno volutati, turpiter transegissent, aut turpi clausula, cum æternæ salutis, & nominis sui strage, terminarent.*

Senioris Marchionis Badensis, de filii obitu, haud degener vox

rent. Nunqvam adeò cuiqvam rei, in fallaci hac mundi scena, adjecisse animum, ut non, de amittenda, cogitarit: Libertate & illibata conscientiâ exceptis. His præceptis suum, suorumq; animos formasse ac firmasse adversùs asperos fortunæ versatilis insultus. Priorem tormenti globum, qvi Regem adeò propè contigerit, causæ esse, cur posterioris faciliùs obliviscatur: Et cum ille Regem, oppressorum omnium asylum, publicæve rei columen, adeò feliciter præterlapsus sit, de hoc, utut filium suum sustulerit è medio, eò æquiore animo dolorem suum solari.

Rex Hornium, cũ parte Exercitus, Ratisbonam versùs ablegat.

Sed revertamur in Bavariam: Ubi Rex Hornium Campiductorem, cum aliqvot militum millibus, qvà Danubius defluit, ablegârat, injungens; Ratisbonæ statu accuratè explorato, occupandæ Urbis occasionem sedulò aucuparetur, nec oblatâ manibus elabi sineret. Hic, decimo Calendarum Maji, Neostadium perveniens, incolarum relatu comperit: Bavariæ Ducem eodem die, circa decimam antemeridianam, in adversa ripa ad Merchingæ pagum lustrato Exercitu, Honhemum iter habuisse. Ulteriùs itaq; progredi è re haud visum, priusqvàm de hostis proposito certiùs constaret: Num, ut occœperat, Ratisbonam ire, porrò insisteret; an aliud qvippiam machinaretur? Exploratores eapropter turmatim hinc inde emissi: Qvorum, qvi viam, Kelhemum ducentem, tenuerant, hostilem Exercitum, nocte ad oppidum transactâ, Ratisbonam rectà maturare gradum, referebant. Diversus eqvitum globus diverso qvoq; itinere Ratisbonam versùs speculatum ire jussus, ipsis penè Urbis portis successerat: Duobus, qvorum alter eqvitis Ordinis Teutonici, qvi Ratisbonæ sedem habet, famulus, cœnobii, dimidiæ horæ itinere Urbe distantis, scriba alter erat, deprehensis, & secum abductis. Horum confessione constitit: Antiqvum præsidium novâ accessione, bis mille peditum, & qvadringentorum eqvitum, qvi furtim insciis civibus singulari stratagemate Urbem irrepserant, auctum; cives inde statim exarmatos, domosq; nonnullas petulanter direptas.

Qvod ergò hoc rerum statu spes tentandæ cum effectu Ratisbonæ decollaret, Hornius, cœpto itinere absistens, ad Regem, qvæ per exploratores compererat, retulit: A qvo, dum vasis conclamatis Ingolstadio disceditur, revocatus, reliqvo Exercitui se junxit.

16. Paulò ante Bavaricam expeditionem Baudisius, generalis eqvestris militiæ Legatus, privatorum negotiorum causâ in Holsatos profectus, mandata à Rege acceperat, experiri: Num Daniæ Rex, consociatis in Cæsarem armis, ad colludendum cruentum, qvo Germania exercebatur, ludum induci posset? Qvo fine non modò Protestantium omnium salutem, qvæ in hoc cardine versabatur, ad animum eidem revocare, sed &, de restituendis filio ecclesiasticis, qvibus transactione Lubecensi exciderat, bonis, fidẽ Regis interponere jussus est.

Legatorum à Rege Daniæ propositio.

Utut autem effectu caruerit consilium: Rex tamen Daniæ occasionem, duos è Regni Senatoribus, Tagonem Tottium, & Christianum Thomæ, ad Sveciæ Regem ablegandi, inde arripuisse visus. Qvi in castris Ingolstadensibus eundem assecuti, præmissis, qvæ aulico more & stylo inter Magnates decet, verborum solennibus formulis, mentem Domini sui aperiebant seqventem in modum. *Regi qvidem Daniæ nil magis fuisse curæ aut cordi, qvàm illorum, qvi sacrorum & Religionis necessitudine eidèm jungantur, protectionem tutelamve. Hoc oneris laborisve impigrè suscepisse; sub hoc integrum penè lustrum desudasse; & ultimo biennio in proprio Regno atq; dicionibus suis cum universo cæsareæ ac pontificiæ militiæ robore colluctatum: Tandem, ab omnibus desertum, ineluctabili necessitate, & eorum, qvi fœderis nec non Religionis nexu ipsi devincti erant, defectione, oblatam ultrò Pacis tractationem amplecti adactum. Huic qvoqve, non sine ejus satisfactione, impositum finem, certâ transactionis conceptâ formulâ: Cui utrinqve & animo subscripserint, & manu. Itaqve Sveciæ Regis judicio permittere Daniæ Regem: Num, absqve ulla belli causa, carceres præfixos transilire, & fas omne*

Pacis

Pacis abrumpere, decorum foret. Qvanqvam verò ob has rationes adversùs Cæsarem, nec separatim, nec conjunctim arma induere ipsi liceat, de eo tamen Regem Sveciæ securum esse jubere: In majori apud se æstimio haberi communẽ Protestantium causam; qvam ut, cùm apud præsens seculum, tum futuram Posteritatem, illutibilem hanc nomini suo inurere maculam, & Regis Sveciæ, laudabilem adeò intentionem animo foventis, securitatem, conservationemq́, ullatenùs vellicare aut interturbare velit. Huic Regem Sveciæ, omnesve Electores, Principes, Ordines Imperii, qvorum hoc bello intersit, certò ac tutò posse confidere: Eum in finem à Rege suo missos; ut Sveciæ Regi sinceram, decretoriam, & nullo respectu mobilem illius mentem contestarentur. Qvia verò, ob ancipitem & incertam belli aleam, prosperi, qvibus Protestantes impræsentiarum gaudeant, successus, Regisq́ Sveciæ progressus ingentes, mutatâ fortunâ, in pejus iterùm (qvod Deus tamen avertere clementissimè dignaretur) ruere & retrò sublapsa referri possint, qvo casu universis Protestantibus, exitiabilis ruina impendeat; eapropter, à Rege Sveciæ exqvirere, ipsis unà injunctum: Num eidem haud ingratum foret; Regem Daniæ, interventu suo, æqvæ, stabilis, & fidæ Pacis reducendæ curam suscipere? Qva tamen in re nullum alium scopum propositum habeat; qvàm Regis Sveciæ, & omnium, qvorum intersit, Protestantium satisfactionem ac securitatem.

Regis responsum — Ad hanc Legatorum Danicorum propositionem Rex Sveciæ scripto respondit. *Nil qvidem sibi fuisse futurum acceptius: Qvàm si Rex Daniæ, cujus ipsiusmet & filiorum maximè intersit, ad debellandum, qvod cum Cæsare geratur, bellum, nonsecùs, ac alii protestãtes Imperii Electores, Principes, Ordines, consociare voluisset vires, aut certè aliqvid conferre subsidii & auxiliorum. Qvia verò Lubecensibus pactis adeò strictè hinc aberceatur, relinqvere suo id loco, & interim fide, qvam per Legatos interposuerit, manere contentum: Vicissim qvoq́ allaboraturum, ut amicitiam & propensum animum parili erga Regem Daniæ affectu pensaret. Oblatam ad Pacem conciliandum interpositionem gratissimam sibi accidere, nec qvicqvam magis esse in votis: Qvàm ut media stabili, fidæ ac æqvæ Paci instaurandæ idonea reperiantur. Qvod ad personam suam, eò procliviorem Paci ineundæ reddi: Qvia susceptum belli onus nimiopere solum degravet, & periculum sit; ne, omnibus penè cervicem subtrahentibus, molestamve hanc defugientibus provinciam, ipse, ferendo tandem impar, succumbat. Pro ingenti Dei Opt. Max. agnoscere beneficio: Qvod tantoperè armis suis benedixerit, ut absqve famæ diminutione, & fortunarum jactura, imò cum eorundem augmento bellum deserere, ipsi sit integrum; etiam non prævio Pacis tractatu. Regna enim atq́ diciones suas adeò longè à Cæsaris violentis armis jam dissita: Ut præ illo diu satis qviete frui, & utramvis in aurem dormire possit. Verumenimvero, qvemadmodum intentionem suam nunqvam privati commodi modulo ac pede fuerit dimensus, sed ad commune Protestantium bonum semper respectum habuerit: Ita, si hostium uno tenore continuata consilia & machinamenta, ad Protestantium oppressionem interitumve collineantia, accuratè excutiat ac secum pensitet, non posse non judicare; infidam omnem futuram Pacem, nisi, priusqvam concluderetur, universalis atqve unanima inter Protestantes consiliorum, armorumq́ ineretur societas. Qvippè, qvi jam adversæ sortis parilitate in unum coaluerint, solutâ per splendidũ Pacis nomen, ejusve obtentum, isthac compage, disjunctos, viribusve distractis debiliores, captatâ seu arrepta unde unde ansa, singulos sensim ab hoste oppugnatum, & demùm universos, dum singuli pugnant, levi negotio victum iri. Qvæ immaturæ, & nullo satis firmo fundamẽto nixæ, Pacis futura sit seqvela, & recidivus priori morbo longè periculosior morbus. Haud facilè igitur in Pacis tractationẽ descensurum, priusqvam fundamentum ejusmodi jactum sit, & societas hæc in effectum deducatur: Qvâ consilia consiliis, arma armis, in corpore aliqvo formato, hosti usqve & usqve opponantur. Qvod si, idcircò, Daniæ Regi laborem conciliandæ & stabiliendæ Pacis in se reci-*

recipere, animo sedeat, optimum tutissimumq; videri; ut Protestantes priùs ad stabile ejusmodi corpus formandum, & consilia firmiter fundata amplectendum, adhortetur: Qvò, hoste à pactis forsan resiliente, ad sui defensionem continuò stent in procinctu. Hoc enim negotio priùs confecto, minimè gentium Regem Sveciæ ambigere: Qvin Daniæ Regis intercedendi conatus, uberiores fructus, securitate universis, singulis parta, laturus sit, cessurusq; insignem ejus in laudem ac gloriam, nullis seculorum decursibus intermorituram.

Gallici, ad Bavariæ Ducem residentis, ministri adventus, & cum Rege colloqvium.

Præter Daniæ Regis Legatos, Regis qvoq; Galliæ minister, regiis negotiis procurandis in aula Ducis Bavariæ residens (de Sancto Stephano appellabatur) Regem Sveciæ in castris ad Ingolstadium visitatum venit: Tanqvàm Domini sui Fœderato reverentiam exhibiturus. Rerum verò circumstantias ponderantibus, à Bavariæ Duce ad hoc impulsum, verisimile fit. Is etenim satis perspexerat, etsi munitiora loca conservaret, omnem tamen provinciam, reserato semel aditu, Regiorum direptioni ac licentiæ longè lateq; patere: Qvapropter averruncandæ à suis præsentissimæ pesti, Gallum ad iter hoc induxisse, non injuriâ creditur; spem certam fovens, non tam amicè cum Rege transigendi (namq; seriò id haud & ex animo egisse, eventus docuit) qvàm eludendi primum Regiorum impetum, & lucrandi spatium aliqvod temporis, qvo sperata à Cæsare auxilia adventarent. Nec suspicari à ratione abhorret, inter utrumq; Regem dissidii qvæsiisse fomitem: Sicubi fortè Svecus tractatum, Gallici ministri interventu, resumere, & hostilitatibus abstinere, simpliciter renueret. Hinc Neutralitatis mentio à Gallo iterùm injecta, datâq; occasione negotium ampliter retractatum; nec non Bavariæ Dux liberioribus aliqvantùm, & durioribus verbis excusatus. Qvibus, ut ab homine nullis fiduciariis literis aut mandatis instructo, & majori, qvàm teneræ Magnatum aures ferunt, libertate uso, prolatis, Rex paulò commotior, nimiam lingvæ, in qvam proruperat, temeritatem repressisse, pariter scribitur. Nihilominùs confidenter recipienti, Ducem Bavariæ Regis voluntati se accommodaturum, traditæ, qvas ad Ducem ferret, condiciones scripto comprehensæ, seqventis argumenti. *Dux Bavariæ Exercitum, paucis exceptis copiis, dimitteret; Cæsari, & reliqvis Regis hostibus opem minimè ferret; idoneam eâ de re præstaret cautionem; & qvicqvid Regis amicis ac fœderatis ereptum iverat, restitueret.*

Sed frustranei fuere hi articuli: Tantum enim abest ut Bavarus aures præbuerit, ut potiùs ad maturandam cum Duce Fridlandiæ conjunctionem omnes cogitationes contulerit. Cui eò promtiùs asseqvendæ, rebus Ingolstadii ordinatis, præsidioq; sufficienti relicto, qvò hæreditariis Cæsaris dicionibus propior esset, Ratisbonam inde movebat.

Bavarus Ratisbonam astu in potestatem redigit.

17. Civitas isthæc non ita pridem stratagemate & dolis jugo ejus successerat. Credula enim nimis, & à Duce, Ordinibusq; Bavariæ provincialibus persvasa, qvingentorum præsidium admiserat, hac tamen lege, ut Clerus, in Urbe degens, sustentandi militis onus pariter cum civibus sustineret: Qvi etiam, priusqvàm intra mœnia reciperetur, Sacramento Civitatis adactus. Vix autem, octiduo elapso, decimus qvintus Calendarum Maji illuxerat terris, qvandò, valido eqvitum agmine Urbi de composito proximante, & portis circa qvintam matutinam solito citiùs apertis, integra recepti militis cohors, armorum tractandorum prætextu, unam portarum ex improviso occupat, civicas excubias minaciis, cum præsentissima vi conjunctis, statione deturbat, tympaniq; pulsu *ad arma, ad arma* conclamat. Qvo signo audito, binæ eqvitum alæ, in subsessa ad impetum dandum proximè latentes, incensis calcaribus eqvis, advolant, & qvod Civis, incidendo funi, cataractæ retinaculo, (sicubi opus foret) destinatus, à qvodam militum Ductore facere id absterreretur, Urbem, sine remora objecta, irrumpunt. Agmine reliqvo, qvod longiùs paulò aberat, vestigia sociorum strenuè secuto, & Urbis ita omninò potiuntur.

Qvem inter tumultum qvindecim trucidati, nec mediocre damnum, milite ad prædam ruente, Civitati illatum: Mox tota Universitas armis exuta. Bavarus verò miles, absolutus jam Ratisbonæ citra controversiam Dominus, miseros incolas variis modis vexare ac affligere cœpit; nec parùm hæ vexationes adventu totius Exercitus adauctatæ: Ita ut Civitas, sub incommodorum pondere graviter ingemiscens, ad Cæsarem qveribunda confugerit. Cujus tamen apud Bavariæ Ducem de moderandis pressuris & refrenandâ militum licentiâ pro Urbe intercedentis, auctoritas, haud adeò multum pollere, aut qvicqvam levamenti Ratisbonensibus afferre comperta.

Rex, motis Ingolstadio castris, Mosburgum & Landishutum occupat.

18. Rex Sveciæ Ingolstadii circa locum facinorosorum suppliciis destinatum, munitionem haud proletariam, scopi, qvem diximus, obtinendi, subitariâ operâ jam excitârat. A Bavariæ tamen Duce in Ratisbona occupanda præventus, & proposito hoc frustratus, biduo post, qvàm Ingolstadio movisse intellexerat, vasis & ipse conclamatis discedebat; altius, Monachium versùs, Bavariæ visceribus insinuans: Occupato, sexto Calendarum Maji, Mosburgo, transitus opportunitate haud contemnendo loco, & postridiè Urbe ac arce Landishuti, qvo Hornium Campiductorem miserat, in deditionem acceptis. Qvæ posterior Urbs centies mille Joachimicis direptionis periculo se exoneratum iit.

Leges novæ, de victu militi in diribitoriis præbendo.

Mosburgi Rex, qvia novos delectus in diribitoriis debitæ moderationis limites transcendere relatum erat, certas denuò leges, ad qvarum præscriptum & miles viveret, & Vicarii Regis in singulis Circulis militi de alimentis providerent, scripto comprehendi jussit. Harum permissu Ordinibus & subditis potestas facta: *Illis, qvi ultra præstitutum modum vi qvippiam ab iis exigere conarentur, aut, cùm in hospitiis, tum extra eadem in via regia prædationi operam darent, seu alias enormi licentiâ, adversùs militarium legum sanctionem, se polluerent, manus injiciendi, & comprehensos ad supremum Regis Vicarium, exigendæ pœnæ, deducendi.* Qvò autem petulantia militum eò pressiùs coerceretur, & omnis delinqvendi præcideretur occasio, Ducibus, qvà eqvitum, qvà peditum, injunctum: *Ne qvenqvam gregarium, absqve literis commeatus, ex hospitiis evagari armatum paterentur. Qvod si qvi milites, absq; justo ejusmodi commeatu, maximè criminis alicujus rei, deprehenderentur, aut, alterius hospitium irrumpendo, damnum darent, Duces ipsos, qvorum ductu militarent, de resarciendo damno conventum, & in temeratores legum acerrima insuper exempla editum iri.*

Freisinga Regē admittit.

Mosburgi & Landishuti Urbis atq; Episcopatus Freisingensis secuta deditio: Qvæ ingentem commeatus explicandi commoditatem Regi præbuit. Tractus enim hic omnis generis annonâ refertus, & hactenus intactus, nullam adhucdum bellicæ cladis intemperiem expertus fuerat.

Agricolæ in Regios atrociter sæviunt.

Qvanqvam verò Bavaria sic tandem, qvid bellorum furor incommodi & molestiæ secum trahat, aliqvantulùm subsentire cœperit, mitiùs tamen cum illa fuisset actum; nì incolæ omnium calamitatum summam suo sibi accersivissent jumento: Dum regios milites, ubicunq; palantes exiguo numero offendere, & multitudine obruere dabatur, imò etiam illos, qvi defendendis excursionum injuriis, ut protectores hinc inde distributi erant, miserrimos habent, & exqvisitissimâ morte interimunt; manibus, pedibusq; amputatis, oculis effossis, naribus, auribus, qvin & (sit venia dicto) pudendis resectis, nulloq; non cruciamentorum genere in eos exercito.

Sed par factis accipiunt redhostimentum.

Qvæ infanda facinora Regiorum animos in Bavaricos rusticanos adeò exacerbârunt, ut, ferro ac igne atrociter grassando, vicem rependerint; ferroq; aliqvammulti mactati & occisorum manibus sacrificati, tum deinde, aliqvot centenis pagis incensis, funera hæc velut ad rogum elata fuerint.

Monachium Regi deditur.

Freisingæ Legati à Monachii Urbe (qvæ totius Bavariæ metropolis, qvinq; inde distans milliaribus) in occursum Regis venerunt: Monacenses enim cervicibus suis hostem imminere, & ordinem jam se tangere, con-

conspicati, maturè Pacem ac tolerabiles Pacis leges exposcere, è re sua arbitrabantur. Et præscriptæ qvidem à Rege; sed ejusmodi, qvæ ad Urbicorum palatum haud essent: Qvapropter conveniri non omninò potuit. Videbantur qvoq; Monacenses Regem morâ eludere velle, tractatumq; extrahere in longum: Sicubi forsan, versâ belli aleâ, fortuna partes eorum respicere dignaretur. Nec latuit Regem versutorum hominum intentio: Hinc, nullâ morâ interpositâ, cum Exercitu eò perrexit. Qvo illi animadverso, nec vim præstolari consultum rati, necessitati temporum servire decreverunt, & portarum clavibus, ac obedientiæ symbolo Regi adventanti, summa cum reverentia humillimaq; subjectione eminùs oblatis, deditionem fecerunt: In protectionem clementissimè ab eo recepti.

Rex Monachium ingreditur. Venit autem Rex Monachium, ipsis Nonis Maji, Exercituq; in aciem disposito, Rege Bohemiæ, Augusto Comite Palatino Rheni, Gulielmo Saxoniæ, & Johanne, Holsatiæ Ducibus, nec non aliis qvamplurimis Comitibus, Baronibus, eminentioribus Exercitus Præfectis, ac magnæ dignationis Ductoribus comitatus, præsidioq; trium pedestrium Legionum, qvæ certis stationibus dispositæ, stipatus, Urbem introiit. Qvorum uterq; Rex, unà cum Augusto Comite Palatino Rheni, in basilica & decantata illa Ducis arce, reliqvi Magnates in splendidioribus Urbis ædibus diverterunt. Peditatus universus, præter Legiones, qvæ cum Rege ingressæ intus servabant, in amœno prato, Urbi subjecto, tetendit: Eqvitatu per proximos pagos hospitatum distributo. Hebronius Tribunus, multorum stipendiorum, & insignium ergà Regem meritorum Dux, sed pontificiæ doctrinæ singulari ac fervido Zelo devotus, præfecturam Urbis hujus, qvæ pari ardore in Religionem erat, ingentis beneficii loco à Rege, militaris disciplinæ eò strictiùs servandæ, impetraverat. Nec parum huic Monachium debet: Qvippe qvi Cives ab omni militum injuria fidelissimè tuitus, &, si qvi violentas iis manus injicere attentarent, acerrimis pœnis infectatus fuerit.

Tormenta tellure defossa eruit. Postridiè Rex armamentarium, arci penè contiguum, visitatum ibat; Qvandò mortui (ut Bavarici rustici loqvebantur) suscitari simul cœpti. Eximia siqvidem, & summæ elegantiæ tormenta, si qvæ unqvam videri contigit, tellure defossa, & assamentis arctè decenterq; compaginatis soloq; instratis, contecta reperiebantur. Verùm, qvod vehicula residua deprehenderentur, de tormentis, non avecta, sed alicubi abstrusa latere, conjectura primum fuit; Mox rusticus, nescio qvis, inqvisitione paulò accuratiùs habitâ, rem omnem, prout erat, retexit. Tormenta itaq; & mortaria qvamplurima solo eruta, qvæ trinâ nonnullibi serie alterum alteri incubabant. Inter hæc rustici, qvorum manuaria opera labori huic adhibebatur, come, nec vel infimæ sortis homines superciliosè dedignans Regis ingenium non satis admirari poterant: Qui ipsemet laborantibus assideret, blandoq; affatu (cujus à Domino suo insveti erant) cohortatus, simul instrueret imperitos, qvomodò mechanica conamenta tractanda, & molibus his attollendis manus applicandæ forent; solidorum insuper Hungaricorum manipulum regiâ munificentiâ largitus. Tormentorum tellure extractorum ad centum qvadraginta numerata: Qvorum nonnulla è Palatinatu illò deducta; alia Bohemis in acie ad Pragam extorta; alia Christiano, Duci Brunswicensi, alia Daniæ Regi erepta. Dux etenim Bavariæ armamentarium suum, congestis huc totius penè anterioris Germanici belli spoliis, & exuviis ditârat. Octoginta duo insigni magnitudine excelluêre; &, inter alia, qvinqvaginta, partim muralia, partim semimuralia, qvædam etiam ex eorum numero, qvæ, ob duplicatum, qvod evomunt, ferri muralibus sveti pondus, duplicia appellamus, reperta: Duodecim insuper Apostoli, celebria antehac nomina, & unum prodigiosæ molis, Suis nomine indigitatum. Hæc omnia Monachio è vestigio abducta, & Augustam Vindelicorum translata,

Commodus qvoq; Regi obvenit tricies mille solidorum Hungaricorum thesaurus: Qvi, ventre cujusdam tormenti absconditus, unâ eâdemq; operâ in lucem prodibat. Nec militarium vestium versicolorem apparatum, qvem Bavariæ Ducis ministri profugi reliqvum fecerant, aspernatus est: Qvippe qvi aliqvot Exercitus regii Legionibus amictum præbuerit.

Ab urbe hac, Bavariæ Metropoli, ter centies mille Joachimicorum census exactus: Cujus dimidiam partem præsenti statim ære pensitârunt Cives; pro altera dimidia, qvam temporum & bonorum angustiâ exclusi, corradere tam citò non potuerant, Regem discedentem, Primores Urbis ac Cleri, tanqvàm vades, seqvi jussi.

Bavarus cladem, qvam Regiis moliebatur, incidit.

Bavariæ interim Dux, ex omni Exercitu, qvi Ratisbonæ & vicinis locis hærebat, mille eqvites delectos Freisingam versùs mittere instituit: Regiorum nonnullos in hospitiis, prædæ Bavaricæ opulentiâ ebrios, & hostium securos, nec-opinatò opprimi posse ratus. Sed consilium eventus destituit. Regii etenim, excubiis probè dispositis, Bavarorum adventum maturè præsenserant, & ad vim non excipiendam modò, sed inferendam parati, qvorum impressioni præstolari poterant, iis intrepido animo in occursum se dedêre; fusos trucidantes partim, partim in captivitatem redigentes. Reliqvi, qvotqvot manus eorum evadere contigerat, plagis vulneribusq; onusti, raptim, nullo ordine, ad suos se recepisse, victoriæ loco habuerunt.

Regiorũ in Svevia progress⁹.

19. Dum hæc in Bavaria geruntur, ne qvidem, qvas à tergo Rex ad Augustam & in Svevia reliqverat, copiæ sedebant otiosæ, sed longè latèq; circumcircà grassabantur: Arreptâ Memmingæ, Campoduni, Civitatum imperialium, & aliorum in Algoa locorum possessione. Landsberga qvoq; & Fiessa, ad Licum supra Augustam sitæ Urbes, in deditionem veniebant. Veischornum atq; Echinga exarmata: Qvatuordecim tormentis, & duobus mortariis è posteriori Ulmâ abductis. Jamq; Brigantino lacui sensim magis, magisq; appropinqvare regius miles videbatur.

Ossæ eqvestris ala Luitkirchi opprimitur.

Luitkirchi, qvæ imperialis in superiori Svevia, sed exigua Civitas, Rudolphi ab Ossa, generalis apud Cæsarianos Commissarii, ala, centum triginta eqvitibus, armorum eqvorumve apparatu instructissimis, constans, vapulavit. Hi, utut, imminentis discriminis admoniti, Lindaviam maturè satis se recipere potuissent, hostilium tamen molitionum pariter & amicarum monitionum contemtores, eòusq; moram traxêre, donec serò, Phrygum instar, sapere discerent: Tupadeliò, regio Tribuno cum aliqvot draconum cohortibus, decimo qvinto Calendarum Maji, noctu advolante, Urbem undiq;, ne qvæ effugii rima pateret, cingente, &, portis refractis, vi irrumpente. Ubi tota hæc ala, unâ cum Ductore suo, è Remchingorum prosapia oriundo, septem eqvitibus, qvi in primo fervore occubuerant, exceptis, capta, regiæ postmodùm militiæ maximam partem nomen suum dedit.

Agricolæ rebelles subdomãtur.

Tribus verbis ut dicam, omni hoc tractu pauci reperti, qvi Regiorum successibus obsistere animum inducerent: Nisi qvod agrestium aliqvot millia, bellicorum discriminum inexperta, eòq; audacula magis turba, concursu ad Wingartum Swendii cujusdam Tribuni instigatu facto, magna adversùs hostem agitare visa. Qvo tamen appropinqvante, remisêre feroces animos, &, deditione certis legibus factâ, armisq; depositis, instigatorem & Ducem suum in manus adversariorum tradiderunt: Ulmam inde sub custodia amandatum. Verùm sopitum in præsens malum, recedentibus Regiis, mox recruduit. Vix enim dies aliqvot præterierant, cum ad Bregentiacum denuò coeuntes, Wangam ac Ravensburgum, qvæ debili præsidio munita vim ferre non poterant, levi negotio expugnarent: Obviis qvibusq; Regiorum trucidatis, & incolis ipsis duriter admodùm habitis. Horum exemplo Algovienses qvoq; agricolæ circa Campodunum seditionem induebant: Sed infaustâ avi, & lamentabili ipsis eventu. A regiis enim copiis, Ulmâ, Augustâ, & vi-

& vicino è tractu in unum conductis, maturè huic tumultui obviam itum: Qvæ, qvarto Iduum Maji, haud procul Campoduno, in aliqvot hujus rusticæ colluviei centurias incidentes, magnâ eorum parte rigore ferri absumtâ, reliqvos hinc inde disperserunt. Inter alios ad centum qvinqvaginta, in ædem sacram refugos, miles, subjectâ flammâ, Vulcano consecratum ibat: Qvorum nonhulli, desperatâ salute, è turri præcipites se dare conspecti. In Oberndorff, Zyppersrieth, Oyen non minor eorum edita strages: Multiq; inter hæc pagi direpti & exusti. Rustici ergò, animadverso, qvàm acerbos immaturum hoc & inconsultò susceptum bellum fructus ferret, & qvantam in semet concitâssent malorum molem, turbulentis cogitationibus abjectis, Campodunum arma deferentes, regio imperio colla submiserunt, & ductores alicubi suos, seditionis excitatæ faces ac flabra, ipsimet internecioni dedêre. Hac ratione bellum rusticanum, repentè exortũ, repentè debellatũ est.

Ossa Biberacum neqvicqvã tentat.

Intereà generalis cæsareæ militiæ Commissarius, Ossa, collecto qvater millium Exercitu, Brisaco in superiorem Sveviam movens, & confluente ad ipsum Bregentiacorum, qvos diximus, rusticorum turbâ, numero hominum ac multitudine jam ferocior, Memmingæ primùm minitabundus proximare; mox, tumultuario assultu parum illic effectum iri, præsentiens, itinere inde reflexo, Biberacum aggredi: Regiis, in qvorum protectionem nuper se receperat, Urbem extorqvere iterùm, certus. Huc etenim Civitatis Consul, & Scriba, ambo pontificii, tum Clerus ejusdem Religionis clanculùm eum accersierant: Indicio simul facto, qvibus locis ad aggressuram Urbs commodè pateret. Verumenimverò Ossa spe suâ hîc omninò falsus est. Civium enim communio, Protestantium doctrinæ dedita, adeò fortiter hostium impressioni se objecit, ipseq; imbellior sexus aqvæ fervefactæ & lapidum projectu viriculas suas in Cæsarianos subeuntes, intrepidè adeò extentavit: Ut, bis assultu tentato, bis cum qvadringentorum militum jactura repulsi, demùm, famâ de regiorum subsidiorum adventu increbescente, magnâ cum trepidatione, relictis aliqvot tormentis, & aliis belli instrumentis, cœptam obsidionem deseruerint. Qvo facto, qvos, collusione cum hoste habitâ, in protestantium civium capita fabam hanc cudisse, memoravimus, Ulmam in vinculis traducti. Ossa autem cum suis Wingarti primùm, deinde Lindaviæ tutum à Rege ingruente habuit receptum.

Rex namq; Sveciæ, hoc tempore, Monachio Augustam regressus, & dies illic aliqvot commoratus, cum copia nonnulla inde moverat, jamq; Memmingam attigerat, & plenis in Ossam velis invehebatur: Nisi rem odoratus, ancipiti discrimini, qvod imminebat, maturè satis subtraxisset cervicem.

Acta apud Helvetios bellũ Svecicũ concernentia.

20. Appropinqvante sensim hunc in modum Helvetiorum finibus belli flammâ, conventus, qvo in commune consuleretur, sub id tempus, ab illis Badenæ habitus.

Qvanqvam autem, de speciali fœdere, qvod regius Legatus, elapso proximè anno, proposuerat, cum Rege Sveciæ contrahendo, jam tum se excusatum ierant, longior tamẽ Legati ad hoc usq; tempus apud eos mora, & particulare ergà Helvetiorum nonnullos oblatũ perstrinxerant Austriacorum animos, & suspicionis qvid injecerant. Qvâ motus Leopoldus ArchiDux, & literis, & missâ ad hunc conventum legatione, hæreditariorum cum Domo Austriaca pactorum Helvetios admonere operæ pretium duxit; concludens: *Fœdus cum Rege Sveciæ, & pacta conventa isthæc hæreditaria, præsenti rerum statu unà subsistere non posse. Antiqvæ ergò conventionis fidem illibatam servarent, nec in diversa se traduci paterentur, sed potiùs, musteis Svecorum postulatis rejectis, Legato ipsi finibus suis interdicerent, de eo in utramqve securi aurem: Cæsarem ac Domum Austriacam instituros firmiter iisdem hæreditariis pactis, nec qvicqvam, qvod fidæ vicinitati colendæ faceret, intermissuros.*

Huic Legato à fœderatis Helvetiis responsum. *Pactis conventus stare,*

re, fixum sibi animo, decretumve: Modò à diversa parte parili colerentur observantiâ; abrogatis, quæ in eorum invecta fuerant præjudicium. Nolle verò manus sibi penitùs constringi, nec pactorum tenorem id præ se ferre; quasi cum aliis, sicubi commodum ac utile videatur, fœdere jungi, prohibitum omnino sit: Publicæ tamen salutis, nec non antiqviorum simul fœderum etiam hic nunqvam non memores fore.

Interim de Hispanicis copiis, Germaniæ ex Italia imminentibus ad Regis aures acciderat rumor. Unde is qvoq; datis ad Helvetios literis, ansam adhortandi illos arripuerat; *ut ne transitum Exercitui concederent, qvem ab Hispanis ex Italia Germaniæ immissum iri fama ferebat, verùm intra Neutralitatis ac amicitiæ terminos se continerent.*

Ad qvæ hoc ipso conventu regessêre Helvetii. *De Hispanicis, ex Italia in Germaniam tendentibus, copiis nihil adhucdum sibi constare; tantum abest, ut de transitu interpellati fuerint: Utut verò interpellentur, tanqvam de communi Libertate admodum solicitos, haud consensuros in qvicqvam, qvo aut Patriæ inqvietetur tranqvillitas, aut sedes etiam belli huc accersatur. Cumprimis memoratæ Neutralitati, qvantum per mutuæ ac interioris fœderis Religionem liceat, usqvequaqve inhæsurum; spe indubia: Regem qvoqve ad Exercitum suum daturum operam, ut fœderatorum Helvetiorum universitas, quæ Germanicis se turbis haud immiscuerit, & qvotqvot hinc dependent, ab omnigena belli molestia relinqvantur immunes; hisq; posterioribus etiam, qvantum pote, parcatur; ut, qvos bello haud implicari, Helvetiorum ob finium & vicinii necessitudinem interfit.*

Porrò ab Helvetiis hoc conventu unanimi consensione, Religionum diversitate, & hinc enatâ diffidentiâ haud attentâ, conclusum: *Si unum, alterumve pagum, aut eorum subditos, contra fas ac æqvum, invadi, à qvocunqve tandem, contingeret, fortunis, sangvine, vitâ insuper habitis, ope & auxilio fideliter invicem affore; vi mutuorum juramenti religione sanctorum fœderum.*

21. Per Regis absentiam, invadendorum, qvi ad Monachium restabant, Regiorum aleam denuo tentare, Duci Bavariæ videbatur: Qvod improvidis forsan, & securitate remissioribus repentino superventu cladem aliqvam illatum iri, consideret. Omne ergò eqvitum robur, additis bis mille peditibus, Johanne Philippo Cratzio, Comite Scharffensteinensi, Duce, Ratisbonâ movere in eos jussum. Sed vix Phaffenhofium attigerat, qvando regium eqvitatum, re detectâ, fiduciæ & alacritatis plenum, obviam properare, exploratò cognitum Cratzio fuit.

Bavarorũ de opprimendis Regiis cõsilium, fit ustraneum.

Mutato igitur & consilio, & itineris ratione, Ingolstadium secedere, tutius duxit: Unde, ne nullâ omninò re tanto conatu gestâ, in castra reverteretur, Weissenburgi Urbem, qvò breve illi ac expeditum, Regiis verò ad ferendas suppetias longius & ambagiosum iter, adoriri, tormentisq; vim intentare instituit.

Iidem Weissenburgum oppugnãt

Et regium qvidem loci præsidium initio viriliter se gerere, crebrisq; fulminibus in obsessores è muris detonare. Aliqvot tamen dierum morâ intermissâ, cum suppetiæ nimis diu emanere viderentur, hostis autem in horas singulas ferociùs instaret, plura insignis magnitudinis tormenta, qvæ è vicina Wiltzburgi arce deducere pronum erat, mœnibus, jam anteà laceris, admovens, animo tandem labi, &, qvinto Calendarum Junii, ad pactionem descendere: Qvâ, impedimentis & armis salvis, signis explicatis, funiculis ardentibus, glandibus ori insertis, militari modo Urbe digredi permittebatur.

Et ad ditionem compellunt:

Sed Bavarus miles haudqvaqvàm servavit datæ promissionis fidem, impetuq; in exeuntes facto, diripuit nil mali suspicantes: Qvotqvot eorum militiam hostilem promtè seqvi nollent, ferro prostratis. Color tamen huic rei qvæsitus, & *Regios ipsosmet, Urbem partim deprædando, partim exactionibus violentis expilando, Consules, Senatores, Primores civium non inter inferiorum modò Ducum impedimenta, sed in ipsius Præfecti pilento & curribus occultando, pulverem denique tormen-*

Sed pacto deditionis haud servato

tormentarium & similia clanculùm exportando, pactis minimè gentium stetisse, ab adversa parte jactatum.

Civitati, utut de honore, vitâ, religione salvis cautum fuisset, non magis parcitum: Simul ac enim Urbs patuit, miles in nefariam statim licentiam erupit. Omnia excussa, exspoliata; armaria assulatim comminuta; pudori fœminarum ac virginum violentis stupris illusum; harumq; ultra centum, unà cum Senatu, primoribus civium, & divini verbi Ministris in captivitatem abductæ. Qvod ultimum expresso Ducis Bavariæ jussu factum: Ut miselli hi obsidibus, qvos Landishuti Civitas Regi, pro summa, direptionis redimendæ, promissâ, dederat, vel præsentariâ pecuniæ numeratione, vel alio qvovis modo, recuperandæ Libertatis essent instrumentum.

Rex id Duci minitabundus exprobrat.

Acerrimè autem Regis animum pupugit datæ hæc fidei violatio. Literis itaq; ad Ducem Bavariæ compositis, *Cratzium, ut flagitii autorem, debitâ pœna affici, milites suos, & Weissenburgenses cives, qvos libertate hic mulctarat, in eandem reponi, spoliatisq; ablata restitui* postulabat: *Alioqvi fore* minitans; *ut par pari, oblatâ occasione, referret, & cumprimis contractu cum Monachensibus inito, minimè ampliùs obstrictum se profiteretur.*

Rex è Bavaria in Franconiam recedit.

Rex etenim, de instanti conjunctione Bavariæ & Fridlandiæ Ducum, perniocissiq; consiliis, qvæ animo coqvebant, certior factus, & Memmingâ Augustam, inde in Bavariam regrediens, copias, qvotqvot Landishuti, Freisingæ, Monachii, alibi, in hoc terrarum tractu reliqvæ in unum coegerat: Locis istis, ut exigui momenti, desertis, viam, qvæ Rainum ac Donaverdam ducit, remensus. Qvadraginta qvatuor tamen Primores, partim è Clero, partim è civium numero, Monachio Augustam priùs avecti; illic detinendi: Dum Civitas residuum pecuniæ, qvam pensitare, avertendæ direptioni receperat, in solidum exsolveret.

Et sanè Rex liberando obsidione Weissenburgo gradum admodùm accelerabat; hunc in finem, qvò citatius agmen raperet, sclopetarios, ex omnibus Legionibus delectos, imponens eqvis; cumq; his & eqvitatu reliqvum Exercitum festinanter præcedens: Sed non sustinuerant tamdiu obsessi, Regisq; subsidia properatâ deditione præverterant. Nihilominùs Rex proposito itineri, ut paulò inferiùs audiemus, institit: Hostis molitionibus, qvibus sociis minabatur, obviam iturus.

Regiorũ prosperi successus in superiori Svevia.

22. Exercitu autem è Bavaria repedante, Gulielmus, Saxoniæ Dux, qvem Rex copiis in superiori Svevia præfecerat, interim haud feriari compertus. Consilium enim, qvod de intercipiendo qvodam ad Bregentiacum munimento inierat, adeò feliciter, circa exitum mensis Maji, executioni mandatum; Ut Hannibalis, Comitis ab Hohenembs, Legionem necopinantem illic oppresserit, &, cæsis ultra qvingentos, qvasi qvadringentos, unà cum Comite ipso vivos redegerit in potestatem. Ad Wingartum qvoq; cum cæsariano eqvitatu acri conflixit certamine, nec minùs secundo successu: Ita ut funderet, & qvinq; eqvestria vexilla, victoriæ argumentum, è prælio referret. Post hæc, relictâ rerum his oris summâ Bernhardo fratri, qvem Rex, Christiani Comitis Palatini æmulum, & parere eidem dedignantem, à Rheno ob id huc avocârat, in Saxoniæ utriusq; confinia repedare, militeq;, qvi dispersus illic hospitabatur, in unum contracto, sicubi necessitas id fortè postularet, tempori adesse subsidio à Rege jussus.

In Franconia præsenti, qvod decurrebat, vere, regiæ qvædam, noviter ductu Johannis Georgii, Marchionis Brandenburgensis, Pauli Kevenhülleri, Baronis è Stiria exsulis, & Truchsessii Tribuni, conscriptæ Legiones, adminiculantibus Franconici Circuli Ordinibus, Bambergam ac Forchemum, intercluso undiq; crebris discursibus aditu, non parum coangustârant. Cronacum verò Dux Saxoniæ, Coburgi, & Marchio Brandenburgensis, Culmbaci sedem habens, per provincialem militem præsentariâ vi aggredi fuerant ausi: Hassvertio Tribuno, qvi Königshofii Regis

gis nomine servabat, operam suam expeditioni commodante, & rei curam in se suscipiente.

Cronacū in Franconia Protestantibus oppugnatur in cassum.

Hasvertius hic, ad dimidium milliaris Urbi propinqvans, anticipato cum qvatuor eqvitum turmis, & trecentis sclopetariis gradu, primo tentamento ædes nonnullas, sibi peropportunas, & portarum unam, aditum in suburbium præbentem, occupabat: Necessitate in Urbem se recipiendi hostibus impositâ. Applaudere conatui ejus fortuna hunc in modum visa: Nulla ergò mora; qvin machinis, simul ac cum provincialibus, qvos Coburgensis ager suppeditaverat, adventarent, in montis, proximè assurgentis, jugo collocatis, terror Urbi crebris fulminibus inferretur. Sed dum Urbici è contrario aliqvot tormenta in suburbium, mœnibus subjectum, displodunt, personati è Coburgensi agro bellatores, qvibus nil, præter arma, militis, gradu statim hærere, animo labi, ac ordines sensim linqvere. Hasvertius autem id conspicatus, sibi nihilominùs haud deesse: Sed portam occupatam, qvorundam sclopetariorum, è Legione sua delectorum, præsidio firmare; provinciales dispersos, latebrasq; qværentes, qvantum per tempus & otium liceret, recolligere; &, donec in diem nox iret, continere sub signis. Ubi verò, increbescente luce, hostiles machinæ reboare cœperunt; qvanqvàm ictibus in cassum cadentibus, non Ducis adhortatio, non pudor eos satis coercere; qvo minùs, panico terrore impleti, nullo urgente, in fugam se præcipites, effuso cursu, darent. Eorumq; exemplo, qvibus tormentorum & rei tormentariæ cura demandata erat, jumentis raptim conscensis aufugientes, hostium illa relinqvere arbitrio: Unde isti, stupore imbellis turbæ in commodum suum versâ, tentatâq; hoc ipso temporis articulo eruptione, tribus tormentis potiti. Circa meridiem hujus diei, Muffelius Tribunus, tres ejusdem notæ & animi cohortes è Marchionatus Brandenburgensis agro collectitias, & binas conscripti militis secum trahens, alteri Urbis lateri proximavit, & postridiè subortâ luce, aggressuræ in suburbium faciens periculum, eodem fato non repulsus tantum, sed duarum insuper machinarum, & mortarii, qvem projiciendis artificiosis ignibus advexerat, amissorum dedecore mulctatus, retrocessit. Nec enim provincialibus his, aut plus ad ornandam, qvam susceperant, spartam animi, aut ad turpiter derelinqvendam minùs pavoris fuerat.

Hasvertius tamen Tribunus è vestigio, non sibi, sed eorum, qvi imperium illius seqvi jussi fuerant, vecordiæ, qvicqvid acciderat, imputandum, reipsâ ostendit. De milite enim, Cronacensibus subsidio veniente, certior factus, magnâ alacritate appropinqvanti obviam properabat: Qvinqvaginta novem auxiliariis, haud procul Dieffgleno occurrentibus, internecioni ad unum datis; eâdemq; adhuc vesperâ, ad Kypsium, ducentis circiter maximam partem cæsis, reliqvis, qvi stragem evasêre, hinc inde dispersis. Qvod præsentientes octoginta, viam eandem ingressi, Croatæ, metu ne, si pergerent, simili adventitiâ exciperentur, vestigia sua, qvà venerant, relegere, satius duxêre.

Hoc patrato Hasvertius qvatuor suæ Legionis cohortes, qvæ apud Truchsessium Tribunum hactenùs hæserant, nactus, & viribus confirmatior, ipsis Maji Idibus, Cronacum denuò adoriri haud dubitavit, castrisq; in rosarum monte, cujus summo vertici arx inædificata, locatis, penultimo Calendarum Junii, accessus moliri cœpit: Eòusq;, exiguo intermisso tempore, progressus; ut in acclivitate montis arci propiùs succedens, hostium, è superiori loco detonantium, iram, globis, ob sublimitatem positus, militem ejus, demissiori loco collocatum, supervolitantibus, haudqvaqvàm formidaret. Undecimo Calendarum Junii, sexcenti agricolæ ad Weismannum denuò coierant, & Croatarum atq; draconum qvorundam subsidiis aucti, obsidionem Cronaci discutere meditabantur: Qvos tamen Hasvertius, duabus eqvitum alis eò missis, cæde paucorum consternatos, dissipatum iit. Septimo iterum Calendarum Junii, nonnulli Cronacensium, Urbe egressi, silvestres rusticos (qvorum aliqvot centu-

riæ

riæ confluxerant) feroculam manum, in Urbem clàm deducere conabantur: Nec minùs hi ab eqvitatu, qvem Hasvertius, rerum gnarus in subsessa collocârat, excepti & repulsi, qvadraginta è suis desiderarunt. Qvarto Calendarum Junii, à meridie, hostium ad ducentos eruptionis periculum fecêre; & accessus qvosdam obsidentium vi jam occupaverant: Sed, dum promtè ad arma ubivis concurritur, in munitiones, unde venerant, cum clade rejiciebantur.

Inter hæc hostis, contractis in superiori Palatinatu nonnullis copiis, sub Tribuni Brinckii turmas, Pegnitii, Marchionatus Brandenburgensis oppido, ad ejus Palatinatus confinia, hospitantes, oppresserat; loco ipso in cineres redacto: Flexoq; Baireutum, Christiani, Marchionis Brandenburgensis sedem, haud ultra sex milliaria Cronaco distantem, itinere, paria illi minitabatur: Qvâ de causa Marchioni delectus suos, qvi Hasvertio hactenùs juncti paruerant, tuendæ propriæ Urbi, avocare visum. Hasvertius ergo, solum se haudqvaqvàm viribus ad continuandum obsidium parem sentiens, ipse qvoq;, ne, hoste desubitò ingruente, jacturam militis faceret, maturè receptui cecinit: Et, ultimo Nonarum Junii, statione, qvam ceperat, desertâ, Neostadium ad silvam primò, duobus à Cronaco exiguis milliaribus, Coburgum versùs, mox ulteriùs in tutiora se recepit.

Hostis Bambergâ cum damno suo erumpit.

Hasvertio ad Cronacum occupato, Bambergenses, decimo qvarto Calendarum Junii, in Johannis Georgii, Marchionis Brandenburgensis, hospitium impressione nec-opinatò factâ, complures eqvites conciderunt: Sed Kevenhullero, qvi haud procul inde divertebat, cum parte Legionis laborantibus subsidio veniente, facies rerum mutata, & hostes eodem, qvo aliis propinârant, poculo malum mœrore mistum bibere compulsi. Namq; ad qvadringentos ferro mactati: Unū tormentum, duo scalis, repentinæ aggressionis instrumentis, onerati currus, & tormentariæ aliarumve rerum nonnihil Regiis partum. Ita Bambergensibus pessimè vertit hic conatus: Melius forsan cessurus; si Forchemenses, ut receperant, tempori ad fuissent, nec promissū deseruissent vadimoniū.

Fridlandiæ Dux in Bohemiā movet.

23. Regiis, qvâ diximus, ratione in Bavaria longè lateq; dominantibus, Duci, qvo diutiùs res trahebatur, eò acrius & impensius cæsarianorum auxiliorum desiderium incesserat. Et qvanqvàm nec ille sibi apud Cæsarem, subsidia crebris solicitationibus flagitando, nec ipsi vicissim Cæsar apud Fridlandium deesset, ad ferendum suppetias enixè adhortando: (summo enim in hominem imperio, condicionibus cum eo conventis, suâ sponte se abdicaverat) Fridlandius tamen, qvi, Bavarum his angustiis aliqvamdiu colluctari, haud invitus videbat, Bohemiam ab Electoris Saxoniæ milite, ante aliqvot menses illìc nidulato, ante omnia perpurgare animum induxit, priusqvam Bavaro auxiliatum iret. Cui rei, Exercitu, qvi in propriis Cæsaris dicionibus, ingenti cum subditorum incommodo ac onere hospitatus hactenùs, supra triginta, ad qvadraginta capitum millia æstimabatur, mense Aprili, ad Znaimum Moraviæ contracto, in Bohemiam rectà iter habuit: Ubi nonnulla exigui momenti loca, à Saxonicis possessa, sub primum statim adventum, nullo negotio eidem patuerunt.

Regii Legati ad Electorē Saxoniæ propositio:

Rex Sveciæ, cui ingentium bellicorum apparatuū, qvos Fridlandius undiqveversùm per totam hiemem coadunaverat, nihil occultū, facilè eminùs providebat animo: Densâ, & horrendo atrore minitabundam nubem, in atrocem tempestatem de improvisò erupturā. Huic igitur maturè idoneis remediis occursurus, dum in Bavariam tendit, Philippum Reinhardum, Comitem Solmensem, in Misniam, Saxoniæ Electorem conventum, ablegârat: Ad animum illi per Legatum hunc suū revocans: Qvæ urgentes ipsum rationes, cum copiis, qvotqvot Rheni ac Mœni tutelæ post se relinqvere necessum non habuerat, Danubium versùs movere compulerint: Nimirùm, *ut armorum impetum, ab amicorum, & vel maximè Electoris Saxoniæ finibus aversum, in Bavariæ viscera derivaret. Rationi enim consentaneū & verisimile videri: Hostem, si, armis ad Danubiū translatus,*

latis, simul Bavaria belli mala reapse persentisceret, simul Austria, conterminæq; Cæsaris diciones gustum eorundem eminùs præciperent, omni robore suo huc contracto, exortæ ac gliscenti flammæ restingvendæ summo studio operam daturum. Qvin etsi non universum robur, sed potissimam tantùm ejus partem, Regi immitteret, Protestantium tamen, interq; has Electoris Saxoniæ provincias, à tergo relictas, hoc manere commodi: Qvod eò faciliùs defendi ac conservari qveant. Hostem qvippe distractione virium debiliorem, destitutum iri mediis, tentandi impressionem in Protestantes: Cumprimis Saxoniæ Electorem; qvi, apparatu bellico, militeq; satis instructus, vim mediocrem haud extimescat. Utut enim adversa pars Hungarorum, Croatarum, & ejus farinæ insignem numerum cogat, volaticum tamen hunc equitem adversus gravem Germanorum armaturam neutiqvam subsistere; & vastitiei qvidem provinciis rapido excursionum turbine inferendæ percommodum, munitioribus tamen locis expugnandis, aut manibus statario marte conferendis ineptum. Qvin potius id metuendum venire, mentemq; illò ac cogitationes advertendas: Qva ratione, si hostium vis præcipuè huc versa, nimiâ suâ mole degravet Regem, arma ejus ab Electore, non publici modò boni sed privati qvoq; commodi causâ, missâ in subsidium non modicâ Exercitus parte, suffulciri & possint, & debeant? Qvas subsidiarias copias absoluto Regis arbitrio subjici, & ab eodem unicè dependere, necessum sit. Sic namqve meliùs & majori efficaciâ res geri: Cum alioqvi intentionum discrepantiâ & diversis respectibus sufflaminentur subinde ac confundantur. Qvod si universum hostium examen in Electorem se proruperet, contracto in locum opportunum & tutum milite, Regis, auxilia sua præsentanea, seu integro Exercitu, seu parte ejusdem opus foret, offerentis, fideq; regiâ spondentis, adventum modò opperiretur; & interim animi sui sensa explicaret: Qva viâ armorum conjunctionem qvam commodissimè effectum dari posse, opinaretur.

Regis de cui jun- Regis autem consilia, Electori per Solmensem postmodùm inter tractandum retecta, hæc erant. *Fridlandium aut, insuper habito Electore, in Regem, aut, hoc præterito, in Electorem omnium virium mole incubiturum, aut bipartito (qvod vix tamen verisimile videatur) Exercitu, invasurum, hinc Regem, illinc Saxonem. Priori casu Elector, certis Legionibus Swalbaccho Tribuno attributis, firmatoq; cum his in Lusatia aut Bohemia pede, hosti pro re nata, seu illinc, seu in Silesia negotium simul facesseret, simul Electoris Brandenburgici dicionibus præsidio esset: Cum majore verò copiarum parte Chamum superioris Palatinatus se conferret; promoto inde in Bavariam superiorem ad Danubii ripam Exercitu, occasionem quæsiturus invadendi à tergo hostis, rusticæq; in superiori Austria plebis, Cæsari alias male-fidæ, & novandis rebus pronæ, ad seditionem concitandæ. Regem interim trans Danubium occupaturum hostem: Ut nullo profectu in proprio & amico solo attriturus sit vires suas. Hac ratione, vergente ad brumam anno, in hæreditario Cæsaris patrimonio hiemandi necessitatem illi impositum iri, nec ex his, utpote jam antea evisceratis, media restaurandi belli diu superfore. Altero casu, necessarium Regi videri; ut Elector, munitis opportuno loco castris se continens, aut, prævalente hostium vi, in tutiora recipiens, tamdiu ejus impetum eludat, dû suppetiatum Rex approperet: Id qvod, nullâ interposita mora, & velit, & commodè facere qveat. Res etenim Bavariæ in eo statu, ut exigua solum ad Danubiû & Licum manu (Augustæ Vindelicorum & Ulmæ tuendis) egeant: Qvod reliqvû Exercitus, inde deduci, & Franconicis aliisve copiis auctum, Electori in Saxoniam subsidio adduci posse. Concedendum tamen Regi sufficiens temporis spatium, qvo tantum itineris cum Exercitu emetiri liceat. Maturè ergò Regem de eo certiorem fieri; nec falsis tamē rumoribus & præcepto inani metu exciri oportere. Deniq; de alimentis etiam Exercitui omninò prospiciendum venire: Cum disciplinam servare haud possit jejunus & egens miles, multiplexq; expeditionibus militaribus hoc defectu injiciatur remora. Ultimo demùm casu, & Electorē, omnium indicio, licet nullo alterius auxilio suffulciatur, hosti sustinendo parē:* ctione armorum consilia:

Et

Et Regem, non ad distringendas modò, inq; proprio solo atterendas ejus vires, verùm etiam, si occasio & tempus ferat, novam offensionis aleam tentandam, sat superq; validum.

Inter Electorem & Fridlandium sermones de Pace ultrò citròq; cõmeant.

Dum regius Legatus mandatorum ad Saxoniæ Electorem satagit, Pacis cum Cæsare ineundæ spes à Duce Fridlandiæ affulgere visa. Fridlandius etenim, ingenti licet belli militumq; apparatu ferox, de Protestantibus tamen, si concordiæ inter eos vinculum sartum tectum maneret, debellandis & iterùm subjugandis admodum diffidens, aliâ viâ rem aggredi, & num Fœderati Regis Sveciæ, cumprimis Saxoniæ Elector, reliqvis pro exemplo ad imitandum futurus, à fœderis, & unius ejusdemq; intentionis communione divelli possent, Campiductoris Arnhemii, qvi Saxonis Exercitui cum summo imperio præerat, interventu, periculum facere constituerat.

Arnhemius hic à Fridlandio ad militaris dignitatis apicem insignitè sublimatus, fortunam ac splendorem suum eidem maximam partem debebat, & adhucdum, qvamvis adversariæ partis stipendio innexus, singulari respectu in illum ferebatur: Prout liqvidò apparuit, qvandò, Pragâ deditâ, superbas atq; magnificas ejus ædes, una cum luculenta ac pretiosa, qvâ instructæ erant, supellectile, in tutelam receptas, fideliter protexisse, & ab omni militum injuria illibatas conservasse, compertus est. Ex qvo, & aliis, hostilitatem minimè redolentibus, actibus, occasionem exseqvendæ, si fieri posset, intentionis suæ arripuit Fridlandius; eò tandem progressus: Ut Sparrium Tribunum Pragam ablegans, oblatis ingentibus donis, & inter alia, ceu memoriæ nonnemo prodit, qvinqvaginta, in argento præsentario, Joachimicorum millibus, Arnhemii colloqvium de rebus, Pacis negotium concernentibus exposceret.

Elector Saxoniæ, veniâ ad Fridlandium eundi Arnhemio concessâ, & postulatis ejus tantummodò auditis, fœderis, cum Rege contracti, pacta neutiqvam violatum iri ratus, animum, auresve penitùs hinc avertere, nefas judicabat. Deferre tamen rem dum adhuc in integro, ad regium Legatum, Comitem Solmensem, & ab eodem exqvirere placuit: Utrumne de Pace tractare, aut præparatoria saltem tractatus fundamenta jacere, à Rege suo in mandatis haberet?

Arnhemius Regiis ob literás nonnullas suspectus.

Conqvestus autem Elector Solmensi antehac in privato fuerat colloqvio, de Arnhemio, ut mirione, & singulari, nescio qvâ ingenii, atq; actionum insolentiâ ipsi suspecto; aliasve diversas personas, maximè binos Campiductores, Gustavum Hornium, & Hermannum Wrangelium, in sermonibus habuerat: Qvorum alterutrius precariam operam, ad regendum Exercitum, à Rege impetrare, animum induxisset. Adhæc nonnulli Saxonicæ militiæ Duces, &, præ aliis Baro Hoffkirchius, malè de Arnhemio sentientes, demandatum ab Electore militiæ imperium, non qvibus decet, candore ac fide administrare hominem, suspicabantur. Hic ergò Hoffkirchius, curiosâ indagatione comperiens, Arnhemium cum Sparrio, hostili Tribuno, commutare literas, nonnullas earundam interceptas Comiti Solmensi circa hoc tempus transmiserat: Refertas verbis altioris recessus, & suspicionem inferentibus; qvasi Arnhemius cum Cæsarianis clancularió colluderet, cusâ præcipuè in Regis caput fabâ. Scribebatur enim in dictis literis. *Ducem Fridlandiæ lætari ex animo, qvod insolentiam nonnullibi locorum repressum, ac Pacem in Imperio restitutum iri spes sit: Sparrium Tribunum gratias agere DEO, qvod eousqve res venerit; & ad reprimendam insolentiam lubentissimè collaturum operam.* Qvo convitio Sveciæ Rex & victricia ejus arma perstringi visa. Porrò. *Nil qvicqvam, qvod summam rei concerneret, tentatum, incursiones tamen hostiles, qvæ turmatim & exiguo numero fierent, neutiqvam intermissum iri: Neqvis, tractatum inter ipsos agitari, persentisceret, aut odoraretur.* Qvæ & ipsa suspecta admodùm res erat: Qvasi clàm, aliis, qvorum intererat, ignaris, nescio qvid inter eos cuderetur. Demum. *Arnhemium maximam initurum gratiam, & favorem insignem sibi conciliaturum.*

Id qvod à Cæsarianorum parte scriptum, pro Rege certè Sveciæ, ut capitali eorundem hoste, aut ipso etiam Electore Saxoniæ, & aliis Imperii protestantibus Ordinibus, qvasi ipsorum utilitas hic verteretur, explicari minimè gentium poterat. Arnhemius qvoq; Campiductor in appendicula literarum qvarundam Sparrio seqventibus verbis responderat. *Carissime Domine Tribune, per DEum te obtestor, ne ejusmodi ad me des literas: Alioqvin in famæ, corporis, ac vitæ discrimen immeritum adduces. Moderare autem stylo tuo hunc in modum, ut Electori ostendere, qvicqvid scripseris, liceat.* Qvod responsum Sparrius, inter pocula, mero resolutus, & ob id familiarior factus, Hoffkirchio legendum præbuerat. Has ob literas, maximè inscio Electore commutatas, Comes Solmensis Arnhemium collusionis cum hoste suspectum habere: Non ambiguo tantùm, & in seqviorem partem detorqveri facili eorundem sensu inductus, verùm hac qvoq; ratione; qvod nulli militiæ Duci ab hoste, de rebus, Dominum suum concernentibus, obsignatas accipere literas, easq; Dominum celare, vel tunc demùm, qvandò aliorum indicio palàm fiunt, proferre, jure militari liceat, aut decorum sit. Dehortari ergò Solmensis omnibus modis Electorem; ne Arnhemio, sub publicæ auctoritatis aut mandati prætextu ad Fridlandiam commeanti, ulterioris communicationis atq; arcani colloqvii ipsemet ultrò præberet ansam. Et in hunc finem Electori exhibere dictarum literarum exemplar.

Arnhemius Electori se purgat.

Elector ad ista cum Arnhemio, præsentibus Consiliariis interioris admissionis, Solmensi tamen, utut impensè flagitaret, non admisso, expostulare, atq;, ut actorum redderet rationem, jubere. Hic verò communicationem qvidem cum hoste haud inficias ire, & literas, partim ut auctor, partim ut receptor, agnoscere: Sed è vestigio tamen ore tenùs, &, ex intervallo postmodùm, scripto, ad Electorem suspicionum, qvæ impingebantur, expurgationem habere. Cardo hujus scripti in eo præcipuè versabatur. *Erga Dominum, cui fidem dederit, in omnibus consiliis & actionibus, aperto, ingenuo minimèq; fucato candore semper hactenùs usum, omniumq; primum, aversum à Cæsare animum profiteri, haud reformidasse: Qvinimò inter principes numerandum venire; qvi Electori Saxoniæ, ad amplectendam communem Protestantium causam, sub Cæsaris ac sociorum potentatu laborantem, atqve Regis Sveciæ auxilia imploranda, calcar addiderint.* Reliqva duriuscula & concoctu difficilia frusta, qvæ in Sparrii literis maximè reperire erat, hac excusatione palliabat: Qvod *non à se, sed Sparrio ortum trahere*, diceret. *Sparrius autem sicubi stylum arriperet, non in sua esse manu, dirigere eundem, aut coercere; ut scribere cogeretur, qvæ ipse præscriberet. In nullo adhucdum consensum illi præbitum, nec constare: Utrum Arnhemius postulatis ejus acqvieverit.*

Et ad Fridlandium mittitur.

His excusationibus Electori satisfactum: Qvi, ut criminis omnis puro, literas innocentiæ agnitæ testes, tradidit, &, post secretiorem deliberationem cum eo habitam, in Bohemiam remisso, ad Ducem Fridlandiæ eundi, privatimq; cum eo colloqvendi potestatem fecit.

Splendida Fridlandii oblata.

Ab hoc magnificis (qvantum nobis innotuit) oneratus promissis revertebatur. *Fridlandiæ*, scilicet, *Ducem aliâ intentione ad Pacem non ferri: Qvam ut Paci oblatæ aures animumve advertentibus pristina bona, dignitas, ecclesiastici qvoqve peculii, seu ante, seu post initam Passaviensem transactionem occupati, possessio, libertas item conscientiarum & Religionis sarta, tecta manerent; deq; his omnibus firmissimè caveretur.*

Minaciis mista.

Dulci huic illecebræ amaritudinis nonnihil admiscuit, per æqva, per iniqva ad metam suam properans, Fridlandius: Exaratis ad Electorem Saxoniæ propriâ manu literis. Qvibus ab eodem responsum, Pacem inire, necne, vellet, aculeatis & acriter penetrantibus minis, nec tralatitiâ importunitate flagitabat; expressis verbis sibi reservans: *Utut amplissimam de Pace tractandi potestatem haberet, ad suspiciones tamen evitandas cum Exercitu illicò sibi progrediendum; ne momentaneâ qvidem morâ interpositâ.*

Sed

Qvibus Elector necdum movetur.

Sed nondùm hac vice Electoris animum è statu dimovere, & flectere poterant, aut blanditiarum dulcitudo, aut minaciarum terrores, aut, qvicunq; tandem forent, respectus: Ut particularem Pacem, qvò Fridlandius collineabat, amplecteretur. Qvin potiùs, omnibus his insuper habitis, constanter respondit. ***Non sui hic juris esse, sed in re adeò momentosa, communicatis cum Rege Sveciæ, nec non aliis, qvorum interſit, protestantibus Electoribus, Principibus, Ordinibus, decernere consiliis, fœderis initi vinculo, & amicitiæ jure necessariò obstrictum.*** Cui responso, Sparrio ad Arnhemium denuò commeante, & priores pollicitationes iterante, Elector firmo vestigio insistere, pro tempore compertus.

Solmensis, utut generoso Electoris responso applauderet, de insincero tamen Arnhemii animo indies magis, magisq; suspicionum impleri; nec, rem diu multumq; secum volutans, promtius & expeditius malo, qvod præsagiebat, reperire remedium, qvàm conjunctionem regii & electoralis Exercitus: Qvâ in Effectum deductâ, Regis, utpote summi in militaribus capitis, præsentiâ & auctoritate, periculosis qvibusq; machinationibus facilè occursum iri, sibi habebat persvasum. Hinc, qvod potissima hostium moles in Electorem inclinare videretur, ab una parte Regem, ut maturato adventu Electoris Exercitum præoccuparet, assiduis literis monere: Ab altera, ut ambiret conjunctionem, eandem promoveret, & cum copiis suis extra aleæ jactum in tutiora se recipiens, donec illa inseqveretur, duceret bellum, urgere Electorē.

Electoris primum, regio Legato datum, responsum.

Inter isthæc diversimoda Electoris consilia, diversimoda responsa. Cumprimis octavo Calendarum Maji Legato seqventem in sententiam occursum. ***Tutissimum Electori videri, id arripere consilii: Qvo simul hostis distineretur, ne Regem mole sua opprimeret; simul imminens discrimen ab Electoris dicionibus aliqvatenùs averteretur. Commodissimè autem, Electoris opinione, id factum iri; si Rex (Tillianis viribus plerisqve, ut fama, novorum nuncia, ferat, jam dissipatis) justum*** *Exercitum in superiorem Palatinatum ablegaret: Qvo casu Elector in Pilsnensem districtum flecturus iter sit. Hunc in modum utriusqve copias adeò exiguo intervallo inter se stare dusitas; ut in horas se conjungere, & hostis molitionibus seu in Regem, seu in Electorem incumberet, cum DEo præverti qveant.*

Electoris alterum responsū.

Demum tertio Nonarum Maji, Elector regio Legato ultimum & decretorium responsum transmisit: Fausta qvæq; eidem ad iter precatus. Responsi autem summa erat. *Electorem, qvamplurimis prægnantibus de causis, haud è re communi arbitrari, omnimodam, toties oblati, nec adhucdum depositi, Pacis tractatus repulsam. Articulum sanè de pactorum servandorum cautione, non injuriâ, præ aliis in considerationem venire. Sed tamen in hoc qvoq; si prospicere nobis detur, qvòusqve humanæ rationis acumen penetrare potis sit, & qvantum jura, moresq; Gentium admittant, nec rerum aut personarum utrinqve condicio respuat, cætera divinæ providentiæ ac solicitudini committenda; omnemq; hanc curam in DEum, velut Patrem, obseqviosorum liberorum more, magnâ fiducia rejiciendam: Qvi si, paterno affectu motus, almam Pacem, velut cœleste donativum, nobis conferre dignetur, utiqve etiam eâdem illam Clementiâ sit firmaturus. Regem Sveciæ, ut insignem turbarum præsentium partem, & fidelissimum Protestantium rebus dubiis adjutorem, socium, amicum, oblivione inter Pacis tractatus haudqvaqvàm prætereundum: Sed Electorem, qvantum in ipso foret, & qvantum æqvitas, dignitatusq; ac conscientiæ respectus admitterent, omnia ejus causâ facere paratum; ut, satisfactione æqvis atqve possibilibus condicionibus acceptâ, bello hoc evolvatur. Qvod ad protestantes Imperii Ordines, his eò præcipuè allaborandum: Ut, gloriâ DEI ac Ecclesiæ christianæ commodo præ oculis habito, Romaniq; Imperii dignitate, salute, incolumitate stabilitâ, fundamentales & aliæ Imperii Leges, unà cum avita, tot laboribus partâ, Libertate, sartæ, tectæ conserventur; excessibus qvibusqve sublatis, jus unicuiqve æqva lance tribuatur; gravaminibus publicis è vestigio discussis, privata ulteriori æqvabili disqvisitioni subjiciantur; Electori-*

ctoribus, Principibus, Ordinibus sua cuiqve maneant bona, privilegia, jura, immunitates, dignitas, eminentia; christiana, universalis, sincera, honesta, tuta, & stabilis Pax postliminio reducatur, amnistiâ, præteritorumq; oblivione sancita, nec non debitâ illorum, qvi, immeritò læsi, de damno vitando laborent, ratione habitâ; deniqve, ut qvicqvid conclusum utrinqve & promissum fuerit, de eo candidè & Germana fide caveatur.

Hec responso, qvod nec conjunctionis armorum, à qva non abhorrere Elector antehac ostenderat, nec ullius rei, qvam belli gerendi & avertendæ tempestatis, jamjam ingenti fragore à Cæsare ingruentis, ratio flagitabat, vel verbulo mentio fieret, Solmensis minimè acqviescens, novo libello memoriali apud Electorem instare, operæ pretium arbitrabatur: *Regis intentionem cum Electoris mente, qvoad principalem fidæ & universalis Pacis instaurandæ scopum, pulchrè conspirare*, asserens. *Verùm Regi insimul eam stare sententiam: In tanti momenti negotio omnes circumstantias, sufficientia imprimis debitæ securitatis vincula, inter Regem, Electorem utrumq; & alios, qvorum bello hoc interfit, Ordines, priusqvàm rem ipsam aggrediantur, probè ventilanda, exactissimâ judicii librâ examinanda, certiq; aliqvid communi suffragio decernendum; qvò paratiores ad qvosvis adversæ partis occursus in arenam hanc pacificatoriæ tractationis descendant. Interim, qvia hostis armis nullatenùs ferietur, & ne momenti qvidem morâ impetum eorum suspendat, qvietis his Pacis cogitationibus belli qvoqve gerendi consilia ab Electore socianda, & ad conjunctionem armorum cum Rege advertendum animum: Ut, eâ subsecutâ, hosti coadunato utriusqve militiæ robore eò validius obviam iri, & frons obverti possit.*

Ultima Electoris declaratio.

Occasione hujus memorialis libelli declarabat Elector demùm *promtum & propensum suum ad conjunctionem animum. Qvo autem loco commodè fieret, haud certò impræsentiarum posse definiri: Namqve ad hostis motum, qvi incertus, aptanda consilia. Cumq; in fœdere, Regem inter ac Electorem inito, scriptisq; sancito, casû, qvo arma invicem jungantur, de summo militiæ moderamine expressis verbis provisum reperiatur, huic etiam utriusqve placito per omnia standum videri.*

Isthoc responso Legatus regius hac vice ad Dominum suum ab Electore dimissus. Nec qvicqvam amplius de ea Legatione memoratu dignum occurrit: Utut Solmensis, novis à Rege mandatis inter redeundum acceptis, Dresdam reversus, usq; ad nonum Calendarum Junii moram illic adhuc traxerit.

Conjunctio autem, de qva à Solmensi tantâ instantiâ actum, licet effectu caruerit, Campiductorem tamen Arnhemium, ob molitiones, qvas diximus, cum hoste, in perplexabilem conjecerat solicitudinem: Ita ut de resignando, qvod ad Electoris Saxoniæ Exercitum sustinebat, hoc casu, munere, in mentem venerit. Jamq; missionis, qvo decebat, loco magnâ diligentiâ fategisso, spemq;, haud difficulter impetratum iri, ipsi datam, constanti qvorundam fide dignorum relatu, nobis liqvet.

Praga Fridlandio expugnatur.

Fridlandius intereà, qvod machinæ & artes non ex præcepta animi sententia procederent, nec ejus technis pro tempore collabefieret Electoris Saxoniæ animus, haud secùs ac obnunciaverat, armis nullâ intermissâ morâ correptis, Pragam, qvâ Hoffkirchius, duas, eqvitum unam, alteram peditum, Legiones secum educens, paulò antè exierat, omnibus viribus furibundus movit, & candidum, qvem vocant, montem, minori Urbi proximum, qvarto Nonarum Maji insidens, dispositis viginti tormentis, verberationem violentam instituit. Aggressurâ autem tentatâ, Electoralis miles strenuum qvidem initio se præbere, & primum insultum sustinere: Redintegrato tamen impetu, hostium demùm vis præpollere; ita ut propugnatores stationibus suis dejecti, in arce ac Retschino (prout appellatur) qværere cogerentur receptum. Unde, vilioribus condicionibus deditionem pacti, depositis armis, & viginti duobus peditum signis, nec non binis eqvitum vexillis hosti relictis, mox excessêre.

Qvæ

Qvæ Pragæ, Urbis aliàs haud admodùm munitæ, expugnatio, idcircò maximi momenti visa: Qvod per hanc, tanqvàm Bohemiæ metropolim & cor provinciæ, totius velut Regni possessionem recuperatum irent Cæsariani, & in novam restaurandi status, jam penè collapsi, spem erigerentur. Saxonicis, qvi jam anteà adversus ancipitia fortunæ non satis firmati reperiebantur, animi statu econtrà dejectis: Et protestantibus longè, latèq;, qvò faciliùs recidiva acciderat, eò majori terrore, & futurorùm periculorum metu perculsis. Nec de nihilo erat, qvod Cæsariani arma omnis generis (qvorum penuriâ maximè laborabant) ad qvater mille milites instruendos nacti, ab hoste in propria velut armarentur viscera.

Saxonicus Exercitus Bohemiâ cedit.

Pragâ amissâ Electoris Saxoniæ Exercitus, qvi Litomeritii aliqvamdiu substiterat, Fridlandicæ potentiæ minimè par, metu, ne ab omni latere includeretur, omnem, excepto munitissimo Tetschenæ castro, deserebat Bohemiam: Gradu in Misniam retroacto, Pirnæ ad Albim iterùm figens pedem.

qvæ exinde tota sub Cæsaris leges revertitur

Fridlandius verò, Bohemico solo hostem hac parte pepulisse contentus, Egram versùs cum militari Cæsaris robore iter flexit; & illic, nec non Falckenoæ ac Ellebogæ ejectis pariter Saxonicis, pulchrè sub Anni superioris exitum in hostico cœptam, sed postmodùm detexi intermissam, victoriarum telam retexuit: Eo patrato, afflictis Ducis Bavariæ rebus succurrere deniq;, certus.

24. Egregia isthæc Fridlandii specimina, inter prima suscepti denuo imperii rudimenta edita, animos in aula Cæsaris, tot adversitatum impulsu infractos & vacillantes, insignitè stabilierunt, spesq; jam deposita ac moribunda reviviscere cœpit: Non Protestantium modò armis posse obsisti, progressusve eorum sufflaminari; sed forsan, respiciente fortunâ, pristinâ rerum faciem induci. Qvam spem Campiductoris Pappenhemii, ad Visurgim & Albim strenuè grassantis, raptatoq; hinc inde magnâ celeritate expedito ac volatico Exercitu, Regiis, Regisve Fœderatis per Hassiam nec non inferiorem Saxoniam variè insultantis, haud frustranei ausus mirum qvantum refocillabant, ac auctum ibant.

Pappenhemius regios nõnullos ad Visurgim opprimit

Pappenhemius enim, Gulielmo Saxoniæ Duce, & Bannerio, ut suprà tetigimus, à Rege in Franconiam avocatis, ingentiq; hac moliminum suorum remorâ è medio sublatâ, ad Visurgim, sub Martii mensis auspicium, celeri gressu repedaverat, & tertio Nonarum Martii, Tribuni Caggii, Rosæq; sub Tribuni dracones, propè Hùxteram, in pago qvodam (Albatzi huic nomen) subitariâ vi aggressus, dispersérat. Qvorum fato Schaffmanni qvoq; eqvestris Legio, in vicino pago divertens, involuta: Tumultu etenim exorto, subsidio suis accurrens, eodem, qvo illi; turbine perculsa, pedem retulit. Culpa rei, si qvæ fuit, in Rosam sub Tribunum derivabatur: Cui Caggius, regiis copiis hìc commorantibus cum imperio præfectus, arcem, haud procul pago, qvâ Hüxteram itur, sitam, præsidio firmare, deq; tuto, si necessitas exigeret, receptu hac ratione sibi cavere, injunxerat. Id qvod ab eo neglectum: Ad hæc, cum de hoste, magnis viribus adventante, certior fieret, aliorum militarium Ducum, receptum tempori svadentium, salutares admonitiones insuper habitæ. Ultra centum tamen Regiorum isthac hostium impressione minimè occubuisse, constat, & qvasi ducentos captos: Reliqvi ad signa, qvæ hostis faucibus erepta erant, animo à terrore ac fuga recollecto, reversi.

Hùxtera à Regiis & Hassis deseritur

Hüxteræ, & circumcirca, generalis vigiliarum Præfectus, Uslarius, cum Hassiacis copiis hærebat, nec non cum Regiis nonnullis memoratus Caggius: Qvarum, qvas diximus, cladis aliqvid repentinâ hostium vi passæ fuerant. Pappenhemius verò, primâ pugnâ editâ, haud qviescendum sibi ratus, illis pro virili neqvicqvàm se opponentibus, partem eqvitum, peditumve Visurgim transmittere instititit: Regios & Hassiacos Hüxteræ (ubi & annonæ, & pulveris nitrati, bellicorumve instrumentorum, aut nihil, aut parum suppetebat) circumfun-

fundere, viisq; ob omni parte receptui interclusis, ad ancipitem aperti martis aleam subeundam compellere, animo destinans. Hi econtrà viribus hosti manifestò impares, Hüxteram deserendam, & de receptu, Embecum versus maturè cogitandum, consultius judicabant. Nec diu dilata res, sed, tormentis, qvæ avehi non poterant, in Visurgim projectis, sexto Iduum Martii, mota castra, & postridiè Embecum perventum. Unde Caggius, acceptis eâ de re mandatis, in diœcesin Magdeburgensem se contulit: Hassiaci autem Göttingam & Hassiæ fines petierunt; ulteriori Pappenhemii irruptioni illìc pro viribus se objecturi.

Pappenhemius Embeco, vi oppugnato, potitur

Pappenhemius vestigia eorum ex intervallo secutus, & undecimo Calendarum Aprilis, circa primam pomeridianam Embeco propinqvans, qvatuor illicò peditum Legionibus, è proxima silva, propriùs Urbi succedere jussis, accessus eâdem adhuc vesperâ ad fossam Urbis usq; promovit: Dispositisq; in tumulo, qvinqvagenos aut sexagenos circiter passus à fossa dissito, tribus dimidiatis machinis, nec non mortariis aliqvot, violentâ verberatione muros qvatere, & artificiosos ignes crebrò in Urbem ejaculari, instituit; haud intermisso inter nocturnas tenebras, sed usq; ad nonam antemeridianam diei seqventis, uno protelo continuato furore. Nec tamen à sphæris his, contagiosâ flammâ fœtis, qvæ magno numero arcuatim promittebantur in Urbem, ullum excitatum incendium. Interim molaris & fontana omnis aqva ab Urbe aversa, & restingvendi, si qvis subortus fuisset, ignis media obsessis penitùs ademta: Qvare incolæ pariter & accolæ ruricolæve, qvi eò confugerant, vicini, animis abjectis, de honestis & tolerabilibus deditionis legibus agere, magnâ contentione cœperunt: Pappenhemio eorum obsecrationibus bis dante repulsam, nec, nisi arbitrio suo & voluntati se permitterent, vitæ gratiam faciente; Alioqvin, qvicqvid virilis sexus, interemtum iri. His in angustiis Gronsfeldii Comitis & Bonnighusii Tribuni suggestu, obsessi per qvinq; virgines, genere ac venustate primores, unà cum Consule ex Urbe delegatas, tertià vice de Pace supplicârunt, interventuq; ejusdem Gronsfeldii & Bonnighusii, res eò deducta; ut certo pacto transigeretur. Qvo Civitati generalis omnium commissorum venia concessa; liberumq; Religionis exercitium, nec non privilegia sarta, tecta relicta; direptionis autem avertendæ, triginta octo millium Joachimicorum mulcta imposita: Et huic conventioni personæ qvoq; atq; bona extranea, qvæ receptum illic habuerant, nisi apertæ erga Cæsarem hostilitatis vitio laborarent, inclusa. Ita rebus transactis, Pappenhemio porta ad orientem è vestigio recludebatur: Per qvam cum plerisq; insignioris notæ Ducibus, & binis peditum Legionibus, nec non totidem Croatarum turmis, ingressus, Golnitzium Tribunum Urbi imposterum gubernandæ præfecit.

Eo autem peracto retrò mox ferre gradum, inq; diœcesin Bremensem inferre, Pappenhemio visum: Cujus potissimam partem Archipræsul, Regiorum, qvi sub imperio Achatii Tottii, Campiductoris, tramisso Albi, subsidio venerant, ope subnixus, sibi iterùm vindicârat.

Vœrda Bremensium in Regiorum potestatem venit

Regius Tribunus Mainius his oris, aulæ episcopalis sedem, Vœrdam mediocri excursorum manu, militibus hinc inde obeqvitantibus numero paucis, decimo tertio Calendarum Martii, præsidiariorum animos irritans, cum reliqvis in subsessa haud procul latens, interceptū ierat. Erumpentibus enim ad ducentos in palantes, & longiùs temeritate nimiâ provectis, è latibulo surgens, adeò subitò & arctè circumfundebatur: Ut, reditu in arcem intercluso, ad qvadraginta morti occumberent, &, reliqvis captis, arx, defensoribus vidua, simul in potestatem veniret.

Et Buxtehuda.

Ottersbergam Archi Præsul propriis viribus recuperaverat. Buxtehudam verò adortus Tottius, vim non ostenderat modò, sed, bidui verberatione violentissimâ institutâ, intulerat. Qvâ hostis ad pactionem adactus, qvarto Nonarū Martii, salvis impedimentis & armis, signis expansis, fomitibus accensis, & globulis ori insertis

tis, Urbis possessione decessit. Leslæus, generalis vigiliarum Præfectus, pedem dextrum graviter hoc obsidio læsus, difficili curatione reconvalescere potuit: Non modicum tempus, retardante ipsum vulnere, Martis opere abstinere coactus.

Danus miles Friburgo ejicitur.

Eâdem ipsâ nocte, qvam dies, Buxtehudâ Domino suo reddens, præcesserat, Kiglerus, ArchiPræsulis subTribunus, mandatu ejusdem, milite nonnullo assumto, Danos, qvi ad ducentos qvinqvaginta, pridiè Iduũ Februarii, Albim trajecerant, Friburgi oppressum iit: Oppido Bremensis dioeceseos, à Cæsarianis ipsis tradito. Triginta horum primo fervore cæsi; reliqvi capti: Qvatuor exceptis; qvi seminudi, & vix indusiũ vestiti, scaphâ raptim conscensâ, irruentiũ manus evaserant. Drengenbergerus Centurio, saucius, in eorum potestate remansit.

Occupationem Friburgensis oppidi, à Danis factam, Regii & ipsi haud æqvis satis animis acceperant: Qvippe non Rege modò Sveciæ, belli, qvod à Protestantibus gerebatur, Moderatore summo, & ArchiPræsulis ac Dioecescos Bremensis Protectore, sed & ArchiEpiscopo ipso, clientelæ jure Regi innexo, cum qvo Regi Daniæ non benè conveniebat, inscio factam; prævio solùm clanculario tractatu cum utriusq; ex professo hostibus. Color qvidem huic rei qværi à Friderici Ducis, regiæ sobolis, persona: Cujus juri conservando, qvicqvid factum, factum fuisse, obtendi. Econtrà Regiis venire in mentem: Friderico Duci nihil planè adhucdum, vitâ nondum defuncto ArchiPræsule, juris in ArchiEpiscopatum competere; de futuræ autem successionis certitudine aliâ sibi potuisse prospicere viâ, siqvidem Regi Sveciæ, & Protestantium partibus se associare, animum induxisset. Rex etenim Sveciæ, generali Commissario, Salvio, potestatem jam olim fecerat: Simultates, inter Daniæ Regem & ArchiPræsulem gliscentes, auctoritate regiâ componendi, & Daniæ Regẽ de futura filii successione regiâ fide cavendi. Qvod Salvius aliqvoties Gubernatori Pensio, Podewelsio, & Friderico Guntero insinuârat: Ostensis etiam postremo huic Regis sui, qvibus id continebatur, literis. Hinc Regii, ob Friburgum à Danis insessum, validè qvidem commoveri, nec minùs, ac ArchiPræsul cum suis, seqviorum cogitationum & suspicionum impleri. Nihil tamen hostilitatis inferre Danis ausi; anteqvàm res ad summam potestatem, cujus in tali casu Pacis ac belli arbitrium, referretur. Effecit autem zelus & dolor ArchiPræsulis, qvi Danum Cæsaremve æqvè limis oculis in dioecesi sua aspiciebat, ne insititius ab ulteriori Albis ripa tradux altiores ageret radices. Unde tamen eò minus turbarum exortum; qvia occupatio Friburgi injussu Regis Daniæ accidisse perhibetur: Prout Rex, misso ad Tottium Legato ipsemet excusatum iit.

Stada obsidio à Regiis cingitur.

Buxtehudâ deditâ regius Exercitus, gradu promoto, Stadam obsidione cinxit: Swingæ ostio, ne qvid subsidiorum aqvâ, servantibus illic, Cæsarianis adveniret, navibus & celocibus armatis clauso. Ultimo Iduũ Martii, delectorum militum manus hostilem ad Swingam munitionem violentâ aggressurâ tentatum missa. Nec frustraneus conatus exstitit: Nam & munitio Regiis cessit, & hostium non pauci violentæ expugnationis intemperie vitâ mulctati. Peccatum tamen in eo: Qvod, cum ab obsessis, numeroso ter mille qvingentorum veteranorum præsidio instructis, valida irruptio non injuriâ extimescenda foret, istis, qvi dictam munitionem occupârant, tempori suppetias minimè itum est. Arripuit enim, paucitate Regiorum animadversâ, oblatam occasionem ambabus manibus hostis, & posterâ luce, sesqvimille ablectorum numero Urbe effusus, tanto impetu munitionem deperditam iterùm invasit: Ut Regios, qvos diximus, plerosq;, interq; hos subTribunum Buchwaldum obtruncaverit; uno centurione & subcenturione captivis in Urbem abductis. Nec id Tottium tamen absterruit, aut impedimento fuit: Qvò minùs lento qvidẽ, sed indies arctiori obsidio Urbem incingeret.

Pappenhemius Stadæ subsidio venit.

Pappenhemiũ Cæsarianis, in dioecesi Bremensi, laborantibus suppetiatum in viam se dedisse Alleram versùs, jam ante diximus. Hic ergò Rethemo & Verdâ occupatis, redituq; securioris causâ præsidio firmatis,

ArchiPræsulis eqvitibus, in qvos ad Alleram inciderat, primâ coitione fusis, à Finnonibus, præcursores ejus intrepidè excipientibus, vicissim, amisso subTribuno, & tribus eqvitum Magistris, repulsus, mox toto Exercitu ingruens, nostris paucioribus, qvàm ut Alleræ transitu eum arcerent, vi perruperat, & citatum agmen Stadam rapiebat.

Tottius, Pappenhemii adventu denunciato, Walsrodæ universas copias in unum contrahere decreverat: Sed propositum Pappenhemius, diem lustrationi dictam insigni celeritate prævertens, interturbatum iit. Consilio ergò mutato, Tottius in eam descendit sententiam: Ut milite, qvi ad manus erat, & ter qvasi mille qvingentorum peditum integræ valitudinis, eqvitum octingentorum numerum explebat, in duas partes diviso, Leslæi qvidem Monroji, ac Brunnemanni Legiones in Kedingensium provincia, reliqvos in Palæogæa, seu veteri regione subitariis operibus se munire, hostiumq; impetum, terminos defensionis haud transiliendo, opperiri juberet. Interim Pappenhemius, ultimo Calendarum Maji, qvadraginta tribus eqvitum vexillis, & qvinq; legionibus peditum, qvæ, exploratorum relatu, bis mille eqvites, & qvater mille sexcentos pedites conficiebant, sex machinas secum trahens, Stadæ proximare, castrisq; unico milliari ab Urbe locatis, ipsemet eâdem adhuc vesperâ illam ingressus, pernoctatum ibidem ire.

Regios in Kedingensium tractu clade afficit.

Utut verò Tottius, suis præmetuens, de aggerum repagulis, qvibus Oceanus, stato fluxu exæstuans, humili solo abercetur, perfringendis, & aqvâ toto agmine admittendâ, in Palæogæa consilium caperet, qvò, depressioribus locis stagnatis, difficilior redderetur aditus; idemq; in Kedingensium provincia fieri, tribus, qvæ illò conjecerat, Legionibus scripto denunciaret: Adversa tamen, vehemensq; tempestas, omnis velificationis obliqvæ impatiens, obstaculo fuit; qvò minùs nuncium, qvod aqva illuc perferendum erat, tempori adveniret, & præceptio ejus effectum sortiretur. Hinc, dum hostis, decimo septimo Calendarum Maji, totis viribus ingruit, & uliginosa loca jaculabilium pontium projectu tramittit, factum: Ut Regiorum ad qvadringentos, unà cum nonnullis signis ac militiæ Ductoribus, qvos inter duo subTribuni, Brunnemannus & Weismejerus, numerati, hostium potirentur. Cæteri, interq; eos nonnullæ è Monroji Legione cohortes, cum signis suis, & vel dimidia reliqvarum Legionum pars, prævalenti hostium furori se subtrahentes, in provincia Hadelensi, ac contermino terrarum tractu, tutum habuerunt receptum. Unde, subsidiariâ incolarum ope adjuti, hostium, primæ victoriæ vestigia persеqventium, vim feliciter defensum iverunt.

Dum ita hostes aliqvot dierum morâ illic distinentur, interim Lohusiana Legio, & residuus Ducum Megapolensium eqvitatus è Megapoli, ab alia parte Georgii, Ducis Luneburgensis, nonnullus miles, & à Francisco Carolo, Saxoniæ inferioris Duce conscriptus noviter eqves, pedesq;, tum Caggii deniq; Tribuni copiæ appulerant. Qvo facto, Tottius peditatum universum in Palæogæam, certis & commodioribus locis distribuit; Ipsorummet, nec non provinciæ simul securitati ac tutelæ eò impensiùs consulturus. Pars enim peditatus jam anteà illic occupabatur: Ut eqvitatui ad validum Exercitum conficiendum, & hosti æqvo loco occurrendum, jungi non posset.

In Palæogæa idem tentans repellitur.

Sub hæc Pappenhemius, decimo qvarto Calendarum Maji, totâ virium mole universas Regiorum stationes, furibundus invadere, & transitui Hornburgensi incumbere potissimùm, sexq; semimuralibus machinis in eundem magnâ detonare vehementiâ. Sed regius miles, ductu Lohusii, generalis vigiliarum Præfecti, fortem & intrepidam adeò hic navare operam: Ut hostis etiam in occupando Lunulæ dimidiatæ munimento, ad transitus ingressum raptim excitato, frustra esset. Aliorsùm ergò se vertens, & in prato, oppidulo adjacenti, voraginosa qvædam loca, virgultorum falcibus, qvæ in aggresuræ usum comparaverat expleta,

pleta, qvadringentis initio sclopetariis & aliqvot eqvitum centuriis superans, Tottium, qvi cum regio eqvitatu ex adverso pransus, paratus stabat, vi qvoq; tormentorum illuc versa, adoriri. His verò cum clade à regio eqvitatu rejectis, interim verò pedite, post flammam ædificiis, qvæ Hornburgi erant, injectam, in locum, & positu & arte munitiorem, integris ordinibus se recipiente, oleum, aut sangvinê potiùs, operamve se hic perdere, perspicuè animadvertens, tormentorum toros & qvicqvid in humo illîc fuerat molitus, iterùm demoliri: Relato inde pede, & Exercitu Stadam reducto.

Navis Svecica à Danis è Tychopoli, tormento perforata, submergitur.

Pappenhemio moram hîc loci trahente, accidit, regiam navim, propè Swingæ caput unà cum aliis excubantem, in Albi deorsùm versùs, Kedingensis provinciæ ripam, ad Ostæ fluentum usq; exploratum mitti: Num forte hostis, aqvâ qvippiam attentare, animum induceret? Hæc Danicam classem haud procul Tychopoli prætervecta, dum contracto dolone, duabusq;, Svecico more, machinis displosis, Prætoriam salutat, &, inclamante nescio qvo, cujas esset profitetur, imminentis discriminis minaciter admonita est: Respondente, qvi inclamaverat. *Abi, abi modò: Qvomodò reverti liceat, ipsa videris.* Nec diu post, Tychopolin ipsam transiens, è ligneo, qvod Albi incumbit, propugnaculo, tribus infestis semimuralium tormentorum ictibus petebatur. Qvorum unus proximè aqvæ superficiem perforatum ipsam iit; ita ut, aqvâ per hiatum admissâ, haud longulè inde in arenaceo qvodam tumulo ad fundum subsideret. Factum tamen hoc, Regiis de eo conqverentibus, à Pensfio Gubernatore excusatum; qvod diceret. *Sicubi aliorum Magnatum bellicæ naves transeuntes in Daniæ Regis honorem tormenta disploderent, tribus ictibus, ut Danici Regni tesserâ, respondere, & salutantes resalutare, tormentariis in mandatis datum: Hinc, illorum incuriâ forsan globum involasse navim, qvam prætervolare debuerat.*

Pappenhemius cū

Stadæ Urbs annonæ angustiâ non mediocriter conflictabatur, nullumq; è contiguo terrarum tractu, aut aliunde sufficiens suppetebat huic malo remedium: Nec obsidio Urbs liberata videri poterat, qvam alimentorum penuria usq; premeret; vel sola hac de causa, etiamsi nulla vis admota foret, in Regiorum potestatem brevi transituram. Et Pappenhemius sanè invidere pingvem ejusmodi bolum Svecis, faucibusq; eorum eripere conari; Regi Daniæ loci hujus, & diœceseos Bremensis, qvantulumcunq; Cæsari inde supererat, possessionem offerendo: Hac ratione in colludium protractum, & cum Rege Sveciæ commissum iri, spe certâ ductus. Unde, simul ac Stadam venerat, ad Daniæ Regem, conventum provincialium Ordinum Rendsburgi hoc tempore habentem, eâ de re dederat literas: Vicissimq; à Rege Daniæ ad Pappenhemium, per Pensfium Gubernatorem, nec non regium Consiliarium à Wartensleben tractatus & sermo Stadam commeaverat. Sed caruêre exitu consilia. Nam Pensfius convenire qvidem generalem Regis Commissarium, Salvium, expiscaturus: Num absq; Regis Sveciæ offensa, & bona ejus cum gratia id fieri posset? Hic verò respondere. *Antehac à Rege suo habuisse in mandatis, de persvadendo ArchiPræsule, ne Regi Daniæ, futuræ filii successionis satagenti, se opponeret, aut obstaculo esset. Actu verò Friburgensi, & tractatione Regis Daniæ cum hoste, rerum statum haud paulò immutatum, eòq; loci jam redactum; ut ad Regem & ArchiPræsulem referre, eorumq; placitum præstolari cogatur. Satiùs interim videri: Ne Camerina, cujus fœtorem jam senserit Pensfius, denuò moveatur; priusqvàm horum veniant responsa. Qvod si Pensfius misericordiâ inductus, hosti, Urbe ac diœcesi Bremensi absqve ulteriori ruina decedere, aliâ ratione persvadere posset, id haud impeditum iri, nec Regiis molestum fore.*

Rege Daniæ, de Stada tradenda, neqvicqvā tractat.

Odorabantur ex hoc responso Dani non obesæ naris; tractationem cum Pappenhemio siqvidem procederet, Regi Sveciæ & sociis haud admodùm gratam, nec ad eorum palatum futuram: Tandem itaq;

Pappenhemio responsum. *Milite Regis Sveciæ & ArchiPræsulis diœcesin Bremensi evacuare, & ArchiPræsuli in redituũ administratione aliqvod inferre præjudicium (quæ utraque condicio traditioni à Cæsarianis annectebatur) neqvaqvam in Daniæ Regis stare arbitrio: Nec ipsi collibitum, ArchiEpiscopatus possessionem acqvirendo, difficultatibus, quæ imminere videantur, se implicare; qvin tritâ potiùs & solitâ hac in re usurum viâ.*

Pappenhemius Stadam, milite evacuatâ, deserit.

Ita spe suâ excussus Pappenhemius, perinde ac non ita pridem Magdeburgum, educto milite, deseruerat, ita nunc, haud disparibus causis impulsus, ad deserendam Stadam animum adjecit. Clavibus ergò portarum Senatui urbano redditis, & gratiâ aliqvot millium Joachimicorum, qvæ à Civitate pro discessu innoxio paulò antè exegerat, civibus factâ, reformatæ Religionis acerbitatem, Pontificiis, dum rerum potirentur, usitatam, qvantum rei iniqvitas permitteret, excusationum malagmate emolliens, & ægrorum (qvorum aliqvot centuriæ remanebant) curam iis commendans, deniq; reditum suum post menstruum tempus, seu pollicitus, seu interminatus, tertio Nonarum Maji, cum omni milite Urbe excessit, Verdamq; & Rotenburgum iter habuit: Pauculis Urbis machinis secum abductis; reliqvis, foramine, qvo ignis cietur, obturato, corruptis; & his, qvæ in munimento reperiebantur, in aqvâ projectis. Inter vias Bremensium Vœrdam violento, sed frustraneo, conatu tentare instititit: Cum strage militum non mediocri inde rejectus.

Regii autem munimentum primò ad Swingam, mox Stadam ipsam, defensoribus vacuam ingressi, præsidio trecentorum Svecorum, & totidem Germanorum, è Tribuni Crichbomii, qvi Urbi simul præfectus, Legione, firmârunt.

Baudisius Tottio in imperio succedit.

Resignârat Tottius Campiductor, circa hoc tempus, ob afflictam corporis valetudinem, imperium militare, qvo Exercitui hic locorum præfuerat hactenùs: Conferendi se in Germaniam superiorem, & thermarũ remedio utendi proposito. Qvod, ipsis Maji Calendis, Baudisius, generalis eqvitatus Legatus, à Rege delectum, susceperat: Leslæo, cui destinatum aliàs erat, ob acceptum pridem vulnus adhuc invalido, nec obeundis militaribus muniis apto.

Belli status ad superiorem Rheni oram.

25. Pappenhemio in inferiori Saxonia tantâ ferociâ grassante, ad Rheni qvoq; tractum, & in Alsatia, cui Cæsar Gulielmum, Marchionem Badensem, ex Edowardi stirpe summo cum imperio præfecerat, ab armis neutiqvàm cessatum.

Hedelbergâ, sub exitum Februarii, septem eqvitum alæ egressæ, trajecto ad Philippoburgum Rheno, Hagonoam incolumes pervenerant: Oppressis & dissipatis Lauterburgi, civium, cum iis conspirantium, adminiculo, aliqvot eqvitum, peditumve regiorum, noviter conscriptorum, turmis ac cohortibus. Qvod ipsum, accedentibus interceptis Lauterburgensium literis, proditionis eos arguentibus, causæ fuit: Cur primores loci conjicerentur in vincula, & ipsimet Consuli ad Landaviæ Urbis mœnia laqveo gula frangeretur. Idem hostilis eqves Belluni qvoq; regiorum militum cohortem afflixerat. Parumq; intercessit moræ; cum summus cæsarianarum partium Commissarius Ossa, ter mille peditibus, & duabus eqvitum alis per Alsatiam descendens, illis jungeretur: Weissenburgum, qvod à corona nomen fert, adortus. Qvam Urbem, ad resistendum imparem, facili negotio in potestatem redactam, crudeliter satis habuit: Nonnullis è Senatorio Ordine secum abductis, in Alsatiam, nullâ aliâ re memorabili gestâ, regressus.

Ossa occupat Durlacũ.

Hic verò novis auctus subsidiis, tramisso Rheno, in Badensem Marchionatum, qvem medium vocant, irrumpebat: Durlaco vesperâ, qvæ Paschatos festum præcedit, occupato, & seniore Marchione, illic commorante, militem suum noviter conscriptum, qvem secum habebat, in Cæsaris militiam transcribere adacto. Cui necessitati eqvos tamen, in diversam partem abeundo præverterat.

Propositum ipsius erat, Regiorum delectus & diribitoria, qvæ hoc terrarum tractu instituerant, interturbare:

bare: Cui fini tertiũ qvemq; provincialem militem ex anterioribus Domus Austriacæ dicionibus, evocârat. Nec frustrane omninò conatus hic exstitit.

Stolhofiũ Post Durlacum enim Stolhofio, amicis primùm deditionis invitamentis tentato, mox, ubi Strasburgerus, eqvitum Ductor, qvi modico præsidio id tuebatur, militariter responderet, vis admota. Qvam is aliqvantisper, duplici aggressurâ repulsâ, sustinuit qvidem: Instante tamen hoste, & subsidiis nusqvàm comparentibus, cedere tandem, deditione factâ coactus.

Et Lichtenavum. Post Stolhofium in Lichtenavi oppidum versus impetus: Ubi loci Hornbergerus centurio, cum modica militum manu, curabat. Qvi spe subsidiorum deditionem eòusq; distulit, & in longum extraxit; dum nullæ, nisi ex præscripto hostis, ejus conseqvendæ leges supetessent. Qvarto enim Iduum Aprilis, ad id angustiarum redigebatur; ut seq;, militemq; suum arbitrio hostis in captivitatem traderet: Qva occasione oppidum primò direptum, mox, immissâ flammâ, in cineres redactum.

Hispanus, Mosellâ transmissâ, novas turbas dat. 26. Ad alteram Rheni oram Hispani, Comitis Embdani ductu, mense Aprili, ex inferiori Germania, Exercitu ter eqvitum, & decies mille peditum, (ut calculum ipsimet inierant) novem instructi machinis, qvarum sex unaqvæq; novenis eqvis, duæ septenis singulæ, & unica qvaternis trahebantur, à Mosella impetum dedêre: Vindicandarum per Re[illegible] absentiam, qvas ab eo passi fuerant, cladium occasionem patere rati. His Kirchberga primò in Hunnorum recessu post aliqvot tormentorum ictus, mox Simmeriæ qvoq; Urbs, Bodobriga, & superior Vesalia; inde Navâ tramisso, Altzhemum qvoq;, nullo resistente, deditum.

Franckendalæ præsidiarii Neostadium ad Rauricũ nemus expugnant. Conterraneorum suorum adventu recreati, qvi Franckendalæ servabant, ipsi qvoq; munitionum claustra egressi, Neostadium ad Rauricum nemus adoriebantur: Deditione primùm imperatâ, & vi ostentatâ; mox illatâ. Nec civibus, & ruricolis, qvi illò confugerant, qvicqvam profuit, qvod, initio defensionem meditati, nonnullos hostium sclopetorum ictibus è muro prosternerent: Qvin potiùs devictorum eò durior condicio exstitit; oppidiq; Hispanus potitus, abacto ingenti pecorum agmine, aliâq; varii generis prædâ repertâ, lætior longè, ac venerat, recessit.

Hispanorum eqvitatus à regio malè mulctatur. Huic irruptioni Hispanorum occursurus Regni Sveciæ Cancellarius, qvem Rex, sub discessum suum, rerum summæ ad Rhenum præfecerat, regias copias, hìc circumcirca commorantes, citatis nunciis Moguntiam convocârat: Retracto etiam Christiano Comite Palatino, qvi cum milite nonnullo, ad sistendum Ossæ trans Rhenum progressus, in itinere jam erat. Et peditatus qvidem intra munitiones, qvibus Moguntia cincta, satis spatiosas castra metari, eqvitatus verò, ejusdem Comitis Palatini ductu, pridiè Iduum Aprilis, Rhenum Moguntiæ transiens, ad exploranda hostium consilia & intentionem, propiùs accedere illos jussus. E qvibus Rhingravius cum Legione propria, & Cancellarii cohorte draconum, nec non mille delectis sclopetariis, inferiorem Ulmam, vicum ad sesqvimilliare Moguntiâ Altzhemum versùs, dissitum, insedit; reliqvus eqves cum Palatino sensim insecutus, dimidio à Rhingravii statione, adeòq; integro à Moguntia milliari sub dio tetendit: Sociis, qvi procubabant, si hostis infenso animo in eos qvid moliretur, subsidio futurus, & in omnes rerum occasiones pervigili curâ intentus. Credibile enim erat: Hispanos, Regiis adeò vicinis, suarum pariter & hostilium virium facturos periculum. Hac conjecturâ ductus Rhingravius draconibus & sclopetariis in vico, muris circumdato, relictis, cum eqvitibus aliqvo post intervallo, qvâ Palatinum versùs via & receptus erat, statum cepit, noctemq; insomnem illic egit in procinctu.

Interim apud Hispanos, ex hospitio, qvo Comitis Isenburgici Legio diverterat, panico tumultu exorto, ad arma subitò conclamari. Qvo casu dum universus eqvitatus, raptim eqvos insiliens, conglobatur, errore licet postmodùm agnito, generalis Exercitus Hispanici Commissarius, Lucas

Caye-

Cayero, qvod turmæ ad invadendum hostem, præliandumq; parati starent, occasione uti, & septem Hispanorum eqvitum, nec non qvinq; Isenburgicæ Legionis alis assumtis, Rhingravium in inferioris Ulmæ vico, rusticorum indiciâ, opprimere, animum induxit. Reliqvo eqvitatui, pedetentim & lento gradu subseqvi, imperans: Ut eò tutiùs destinata perageret, &, necessitate forsan exigente, faciliorem haberet receptum.

Ita ad inferiorem usq; Ulmam progressus, Rhingraviumq; in statu, qvem diximus, offendens, sclopetariis, qvi in vico commorabantur, insuper habitis & præteritis, istum (& qvinq; ejus turmas, (nam residuum Legionis diversâ viâ à se dimiserat) pavore simulato refugos, acriter perseqvi instituit. Nec fugere hic desiit, donec Hispanum, præceptâ animo victoriâ, ferociter vestigia prementem, illiceret in nassam totius regii eqvitatus: Cujus prospectum tuberculũ qvoddam montis, ponè qvem tendebat, abstulerat. Simul autem Hispanus montem conscendit, simul præcipitis eum consilii, sed seriùs, pænituit. Namq; non Rhingravius conversis modò eqvis, sed Stalhantschius qvoq; cum qvaternis alis, & alii confestim magno in illum ardore invecti: Qvatuor tantummodò sclopetulis displosis, in effusissimam mox se dantem fugam. Qvi in subsidium & tutioris receptus causâ, ex intervallo subseqvi jussi erant, commilitum infaustam sortem conspicati, ne illorum qvidem, nedum hostium adventum protinùs, anteqvàm fugientes integris miscerentur, terga vertêre: Ut ita à secundis bis ordinibus, priores laborantes parum senserint subsidiariæ opis, &, occasione præsentis factionis universus Hispanorum eqvitatus, aut potissima certè ejus pars, in confusionem & formidinem non mediocrem conjectus fuerit.

Regii tantâ animorum contentione, hostium, pavore consternatorum, inhærebant tergo: Ut bis deni in integram centuriam impingentes nonnullos eorum cæciderint, alios ceperint, residuos in ipsam ductoriam hostium aciem incitato cursu compulerint; nemine nato homine resistere auso. Qvatuor eqvitum Magistri, & diversa alia ignobiliorum Ducum nomina, desiderati: Generalis Commissarii optio, Antonius Alevre, unâ cum duobus alarum Ductoribus, & compluribus gregariis, captus; ejusdem Commissarii caballus, qvo eâ ipsâ die vectus fuerat, & sex eqvestria vexilla, nec non unum, cui vexilla affigi solent, hastile, in Regiorum potestatem devenêre.

Hispani Spiram Nemetum in deditionem accipiunt.

Cautiùs hæc clades, insperatò superveniens, imposterùm mercari, nec hostẽ fastuoso supercilio præ se tenere, Hispanum docuit. Arctè igitur, strictèq; servatis ordinibus iter suum continuabat, non lacessendo Regios: Qvin satis potius, superq; contentus, si nemo lacesseret. Bockenhemum autem & neoLeiningam venienti Philippus de Silva, cum nonnullo milite, qvem ex Franckendalæ, Hedelbergæ & Philippoburgi præsidiis contraxerat, se junxit. Qvibus copiis auctus Spiram Nemetum, liberam Imperii Civitatem, qvam Wolffgangus Everhardus ab Horneck, Tribunus, Legione nuper conscriptâ obtinebat, magnâ celeritate adoriri; deditioneq;, nomine Cæsaris, decimo tertio Calendarum Maji, imperatâ, repulsam passus, ad vim illicò converti; suggestibus atq; accessibus Urbis mœnia proximè subire; & postridiè injiciendis artificiosis ignibus, murisve qvatiendis tanto incumbere profectu: Ut ad veterem Spiram initio penè superiores evadere visus, mox tamen ab oppidanis, animorum vigore & impetu armorum instaurato, repelleretur. Ad Divi Marci qvoq; portam, duabus dimidiatis machinis, & totidem è Philippoburgo adductis tormentis, in vicino, Urbiq; damnifico admodum, sacello dispositis, muro aperiendo operam dare: Sed & hoc loco, utut Urbs immunita satis, strenuè obviam iri. A civibus tamen ac incolis magis, qvàm musteis Hornecci militibus: Ut enim hi ad militaria munia obeunda segniores, ita illi, ad defendendum se, suosq; haud impigri, duplicibus bombardis, tubisq; longioribus è turrium minis indesinenter in obsessores fulminare; ita ut horum non pauci, hîc, sicut alibi, terram moribundi oscularentur.

Et certaminis sanè hæc serra ad deci-

decimum usq; Calendarum isthac ratione reciprocari; qvando Horneccus Tribunus ipsemet, præsente Senatus urbici primoribus, transigendi cum hoste mentionem injecit: Qvo infracti statim Magistratus animi, civibusq;, ab armis & defensione ut abstinerent, injunctum. Pactus itaq; cum Hoste Horneccus pro se tantùm, & milite suo: Civitatis & civium conservandorum curâ Magistratui Urbis relictâ. Qvi, post ejus discessum, minimè auditus, sed in militari Hispanorum Senatu deliberatum: Diripiendane Urbs, an, loco direptionis, certâ pecuniæ summâ mulctanda foret? Nec defuêre, qvi omnimodam Urbis ruinam urgerent. Tandem in sententiarum divortio mitior nihilominùs sententia vicit; &, pro redimenda direptionis vexatione octogies mille Joachimicos exigere placuit. Non minùs tamen eqves, in suburbiis hospitium nactus, cum pulvisculo eadem everrit: Peditatu, in Urbem introducto, haud moderatiùs se gerente, sed qvascunq; speciali protectione non munitas ædes, aut vi irrumpere, aut furtim irrepere dabatur, (qvarum numeratæ ultra qvadringentas) expilante. Insigniores militiæ Duces, hospitem qvisq; suum (pleriq; autem Cameræ imperialis, protestantium Religioni dedita, erant membra) grandi prius ære mulctatum, ad ultimum, hoc non obstante, deprædabantur: Reclusis armariis, qvicqvid genio arrideret, secum asportantes. Nihil âlieni occultare, sed, si qvid ab extraneis depositum fuerat, præstitutâ contravenientibus bonorum diripiendorum pœnâ, indicare oportuit: Qvæ omnia, nullo Dominorum attento discrimine, ut spolia ab hoste jure belli parta, miles sibi addixit. Qvamplurima autem è vicino terrarum tractu huc, velut in tutum receptaculum, congesta reperiebantur: Unde factum, ut præda, qvam in pecunia numerata & rebus pretiosis Hispanus avido ore hîc deglutiit, vigesies centenis millibus, & qvod excedit, æstimata fuerit.

Hispani Mosellam versùs se recipiunt. Ad Spiram Hispanus integrum mensem, nullâ aliâ re memorabili, aut gestâ, aut tentatâ, substitit; spe plurium subsidiorum à Cordua adducendorum: Sub cujus adventum vicenis peditum, denis eqvitum millibus impetum in Regios se daturum, omniaq; hactenùs amissa facilè recuperaturum, minitabundus jactabat. Jam qvoq; ad Treviros Cordua appulerat: Verùm sinistra de fœderatorum Belgii Ordinum, grande qvid agitantium, molitionibus concepta, suspicio iter ejus sufflaminare visa. Qvæ occultè primùm gliscens, mox, Principe Arausionum cum instructissimis copiis in campum prodeunte, apertè erumpens, non Exercitum modò apud Treviros, referre gradum, coegit, sed alterius qvoq;, Spiræ desidentis, in Belgium revocandi fecit necessitudinem. Duodecimo ergò Calendarum Junii, duobus peditum millibus, & qvinqvaginta eqvitibus, Franckendalæ præsidio relictis, castra è stativis mota, & ad milliare à Spira sub dio pernoctatum: Ante discessum tamen, qvod Civitas, prædatione jam anteà ad incitas penè redacta, præfinitæ octogies, aut centies potiùs vicies mille Joachimicorum (qvòusq; Hispani summam pro lubitu auxerant) mulctæ persolvendæ haud esset, nonnulli è Consulum & Senatorum numero in custodiam dati, vadûq; loco pro reliqvis abducti.

Regii eorum vestigia acriter premunt. Regni Sveciæ Cancellarius, hostium motu, & præparatione, motum antegressâ, tempori cognitis, sed ambigens, utrumne de reditu seriò cogitarent, an prætextu hoc ad secretius intentum convelandum forsan uterentur, in omnem eventum consilia formârat, & copiis, qvæ Manhemi hactenùs servabant, injunxerat. Movente hoste, simul ipsi moventes, ad Wormatiam tramitterent Rhenum; hîc loci excubantibus se juncturæ, si hostis versùs Mosellam pergeret, &, junctis viribus, ad ipsum, hostem in receptu perseqvi certum, ituræ: Sin in Wormatiam arma verteret hostis, raptim Oppenhemum digrederentur; ipsi igitur tutùm porrò ad se receptum eorum curæ fore.

Simul ac autem hostem, Spirâ desertâ, ad Mosellam iter flectere, fama increbuit, Exercitu in unum conducto, Regni Cancellarius, Moguntiæ præsidio relinqvens Comitis Solmensis Legionem integram, & qvinq; de

Comitis

Comitis Hanovienfis cohortes, tum ducentos è rubra, & nonnullos alios, è diverfis ablectos, fclopetarios, addito fub Tribuni Relingeri qvaternione eqveftri, qvorum omnium numerus ad mille octingenta capita afcendebat, reliqvas copias dimidio à Moguntia milliari in planitie luftratum iit, & duodecimo Calendarum Junii Altzhemum perrexit. Ubi Eberfteinius Comes cum propria Legione, & octo Tribuni Vitztumii, nec non duabus Urbis Francofurtanæ cohortibus, Hubaldus Tribunus cum fua phalange, qvæ duodecim cohortes numerabat, & qvatuor Tribuni Schavelitzkii fignis, omnes pedites, porrò eqvites Stalhantfchii Tribuni qvaternio, & tres Comitis Hohenloenfis alæ, qvi ad Nicrum partim, partim Wormatiæ hucusq; hæferant, agmini fe junxêre: Totusq; Exercitus feptem peditum phalanges, & fexaginta qvinq; eqvitum alas, qvarum illæ octies circiter aut novies mille, hæ fuper qvater mille qvingentos pugnatores complectebantur, recenfuit; res verò tormentaria duabus dimidiatis, qvatuor qvartariis (qvæ duodecim pondo ferrum vomunt) & novem legionariis machinis abfolvebatur. Hoc ipfe die hoftis, Altzhemum prætergresfus, Gelhemi, ad alterum inde milliare, pernoctare compertus. Qvà ex itineris flexura & ratione cum judicatu facile veniret, feriò, nec aliud, nifi Mofellæ tranfitum qværere, Regni Cancellarius, fuffragante Chriftiano, Comite Palatino Rheni, veftigiis recipientis fe, donec pedem figere cogeretur, inhærere decrevit.

Misfus ergò, vix paululùm albefcente cœlo, Rhingravius cum fua Legione, nec non aliis duodecim eqvitum turmis, in antecesfum, hofti indagando, &, qvantum pote, diftinendo: Dùm folidum Exercitus robur Kirchemum pedetentim fubfeqveretur. Qvi vix in Gelhemi confpectum venerat, qvandò hoftem in prato tendentem, ac impedimentis Wintweillerum præmittendis occupatum, offendit. Qvorfum Regni qvoq; Cancellarius & Comes Palatinus Rheni, curriculo de eo certiores facti, cum pedite, tormentis, ac refiduis eqvitibus, gradum citatim direxêre qvidem: Iniqvitas tamen viarum, rapidiorem tormentorum ductum remorantium, obftaculo fuit, cur aliqvantò feriùs appellerent; impedimentis hoftilibus jam præmisfis, & Exercitu ipfo, qvi inftructâ hactenùs acie fteterat, abitionem parante.

Habuerat hoftis caftra in convexo fpatiofæ vallis, & aliam anguftiorem vallem finibat: Regii autem defuper veniebant hofti, per montem asfitum & imminentem; qvi ob id valli fubjectæ dominari videbatur. Ut ita hoftiles ordines, qvotqvot nondum è confpectu recesferant, defpectantium oculis penitùs fubjecti, hoftilium virium magnitudinem retegerent: Nec longius hofti à monte iter, qvàm globi è legionario tormento projectu. Eqvitatus ejusdem qvadraginta alis conftans, ad bis mille, aut certè haud multò plus æftimabatur: E peditum numero Italorum qvædam, & Hermanni, Comitis Bergenfis Legio, nec non aliæ nonnullæ copiæ, impedimenta, tutelæ majorisq; fecuritatis ergò, fecutæ, caufæ erant; qvò minùs accurata horum ratio iniri posfet. Inter hæc Regii pedeftrem in fupercilio montis aciem dirigentes, certamini proludere tormentis: Rhingravio cum parte eqvitatus à monte in hoftem decurrere jusfo. Et hoftis qvidem tantus qvantus in itinere jam esfe, non nifi qvinq; eqvitum vexillis, qvæ frontem Regiis obtenderent, reftantibus: Qvibus tamen alia qvinq; mox accesfêre, & ita decas hoftilium vexillorum in unum corpus conftipata. Illis Rhingravius, cum tribus Legionis fuæ alis, qvas plures turmatim feqvebantur, non majori ferociâ, ac felicitate incumbens, in effufam omnes fugam conjectos, tribus etiam vexillis ademtis, usq; ad filvam, & in medios ipforum fclopetarios præcipites egit. Dùm itaq; hoftis, non modò fuorum fugâ, fed continuâ etiam legionariarum machinarum procellâ, qvam inter grandiora qvoq; tormenta ex intervallo detonabant, perculfus, peditatum feftino gradu per filvam, qvà via erat, rapit, eqvite autem peditatus terga, qvantum trepidatio admitteret, fuffulcit, Regii, qvà eqves, qvà pedes, per anguftum, qvod binos montes interjacet, vallis convexum, in Hifpanicum eqvitatum movebant:

Sed

Sed hic, omni certaminis cogitatione depositâ, incensis calcaribus eqvis, ipse qvoq; ad silvam properans, ab effusissimo cursu haud destitit; donec viam attingeret, densis ac cœcis hinc inde virgultis obsitam. Hos Regii è vestigio secuti; parum admodum remoræ injicientibus sclopetariis, qvos hostis ad distinendum eos, & transitu abercendum, in postremis reliqverat: Exiguâ qvippe mole è subsessa sua propulsi, & sic iter ab omni discrimine repurgatum. Verumenimverò callis, qvem tumultuariâ festinatione Hispani inierant, arctus adeò repertus: Ut non expensâ, sed ductoriâ tantùm acie incedere, nec ordines, nisi filatim & longâ serie, traduci possent. Ita per dimidium milliare hostis calci insistentes, & pugnæ necessitatem refugienti imponere avidi, redepti tandem sunt ipso silvæ meditullio, in exigua planitie interqviescentem: Ubi illicò velitari cum eo regii sclopetarii cœperunt; id laborantes: Ut circuito per silvarum ambages transitum à fronte intercluderent. Qvod Rhingravius, qvi primam eqvitum aciem ductabat, conspicatus, præmetuensq;, ne hostilis eqves, propè abstans, sclopetariorum ac peditum, silvam raptim transeuntium, latus invaderet, in hostem, universo eqvitum suorum robore, acie instructâ, & fronte obversâ, ad dimicationem in procinctu stantem, qvatuor Legionis propriæ alis provectus est paulò præcipitantiùs; Priusqvàm ullæ aliæ Regiorum turmæ caperenr statum, aut aciem dirigerent: Nam, utut primum hostium globum, qvem incurrebat, impelleret, mox tamen, Philippo de Silva, & Luca Cayero, cum maxima eqvitatus Hispanici parte ingruentibus, moli sustinendæ impar, terga vertere cogebatur. Cujus fugientis vestigiis Hispani, animadverso, nullos adhuc penè Regios eqvites, silvam emensos, statum adhucdùm cepisse, per intervallum aliqvod institère. Tantusq; exinde pavor, nec non, ex parte, confusio noviter conscriptos & musteos delectus, utpote bellicorum casuum insolentes, invasit: Ut Signiferè Hornecki Legione, signo projecto, & alterius Signiferi optio (Ductorem germanicè speciali vocabulo appellamus) signum secum asportans, in fœdissimam abriperentur fugam. Reliqvus tamen Regiorum eqvitatus, acie celeriter instructâ se objiciens, impetum hostis mox repressum iit; Rhingraviusq; cum suis, hoste tergis fugientium depulso, animos recollegit, & vires: Confusio qvoq;, inter pedites suborta, paulo momento sedavit; ordinibus ubivis instauratis. Qvia tamen ob solem, dum hæc fiunt, occasum noctis tenebræ ingruebant, eatenùs hosti remora isthæc usui fuit: Qvod vesperâ hac tentari in eum nil posset. Dictus autem Signifer, & optio seu Ductor, postridiè, laqveo ex obvia arbore penduli, ignavæ ac degeneris fugæ pœnas, aliis in exemplum, luerunt.

Noctem integram, dùm lucesceret, regius Exercitus in loco, qvem vesperi ceperat, qvietus se continuit: Qvod viarum ratio, maximè in obscuro ac infido saltu, ipsis ignara, & qvo in statu hostis staret, minus notum foret. Is verò, eàdem adhuc die, silvam emensus, fluento propè Wintweillerum, Falckensteinianæ viduæ dotalitium, superato, pontem post se interściderat.

Luce subortâ, Regii qvoq; iter proseqvi, atq; hostem, qvod castra ejus dimidio tantùm milliari inde abessent, citò asseqvi: Exercitu ad dimicandum instructo in acie stantem, & impedimenta, qvà Lautereccum itur, præmittentem. Statimq; ad fluenti transitum conseri cum eo cœptæ manus; Regiis sclopetarios adversæ partis, qvi illìc servabant, propellere, & pontem reparare connitentibus: Qvi tormentorum tandem adductorum impetu, campo exturbati cesserunt. Anteqvam autem transitu omninò potirentur Regii, horæ aliqvot elapsæ; nec hostis, magnâ festinantiâ impedimenta præmissa subseqvi, cessaverat: Aliqvot centenis curribus ac carris, nè iter remorarentur, igne priùs injecto exustis. Ponte verò reficiendo magna diei pars absumta, & hostis

intereâ sesqvimilliaris viam anticipârat: Uno profectionis protelo subseqventem noctem Lautereccum versùs pergens.

Postridiè, qvi septimus Calendarum Junii, Regii vestigia ejus denuò legere, & antecursores sanè eqvites ad Lautereccum adhuc hærentem, offendere: Sed qvod locus, ob extuberantium montium & vallium subsidentium inæqvalitatem, silvarumq;, qvibus obsitus, aspredinem, eqvestri certamini minùs aptus foret, peditatus autem cum tormentis adeò citato, prout opus erat, gradu subseqvi non valens, sub noctem demum adventaret, hostis eodem adhuc vespere, cum omnibus copiis, priusqvàm regius proximaret Exercitus, ponte ad Lautereccum tramisso, & Urbe statim desertâ, imminenti se eripuit periculo. Magnâ iterùm, ut ad viam expeditior esset, curruum, carrorumq; multitudine, qvorum numerus ad aliqvot centena ascêdit, dimidio à Lauterecco milliari in unum locum convectâ, & voracibus flammis absumtâ: Ita ut impedimentorum penè semisse in hoc itinere semet mulctasse, judicatus sit.

Regii igitur animadvertentes, ab hoste, aleam certaminis præcipiti gradu subterfugiente, manuum conferendarum occasionem frustrà qveri; nec injuriâ solliciti, ne Cordua è Treviris recenti milite suis subsidio advolans, præceptam animo victoriam redderet dubiosam; tum, qvæ ob oculos versabantur, aspreta locorum, tormentis penè invia, considerantes; deniq; Pappenhemii molitionibus, qvæ qvorsùm erupturæ essent, nondum satis constabat, diffisi, nec à Rheni ac Mœni ripa longiùs digredi idcircò ausi, cum Exercitu Creutznacum retrocedere, & illic loci pedem figere, consultius arbitrabantur. Missus tamen Stalhantschius, Tribunus, cum novem eqvitum turmis, ad perseqvendum hostem, &, provincialium adminiculo, moratorum aliorumve, qvi ad latus vagabundi excurrerent, terga cædendum: Cui eqvestris alæ è Legione Rhingraviana Legatus, viarum his oris apprimè gnarus, comes additus. Postridiè, qvi qvintus Calendarum Junii, Rhingravius bis duodenis eqvitum alis, & Tribunus Canoffskius, octingentis sclopetariis, stipati, diversam viam, sed eâdem intentione, tenuêre; qvibus injunctum: Præverterent hosti, nec qvicqvam relinqverent intentatum; qvod in ejus detrimentum cedere videretur. Ab his utrinq; magnus hostilium eqvitum, peditumve numerus, qvos partim singulos, exiguâ partim manu palantes, in pagis, aut inter viam offendebant, concisus. Hostis autem tertio Calendarum Junii, tumultuariè, nec justi instar Exercitus, certo ordine iter facientis, sed sparsim, & penè cohortatim turmatimve Augustæ Trevirorum appulit: Copiis in hoc receptu ad tertias, & ultra imminutis.

17. In superiori Rheni tractu, cum Argentorato, liberâ Imperii Civitate, & opibus & munitionibus validâ, hactenùs aliqvamdiu de fœdere contrahendo actum fuerat. Argentoratum Fœdus cum Rege consummat.

Argentoratenses etenim, utut, simul ac Sveciæ Rex pedem in Germania poneret, propendere in ejus partes reperirentur; Regiorum conatibus applaudentes, & in genere optima qvæq; de se polliciti: Certis tamen legibus Regi fidem suam, prout ab aliis Imperii Ordinibus factum, nondùm obstrinxerant. Videbantur autem consiliorum suorum & intentionis summam superstruxisse Lipsiensis decreti fundamento: Qvod, ad nudam & simplicem defensionem collineans, amicum qvidem Sveciæ Regem agnoverat; sed amicitiæ jure intra benevoli affectus ac communicationis terminos cohibito.

Hinc demùm, ultimo Iduum Maji, Johannes Nicodemi, Secretarius, Regis mandatu, rem ad colophonem deductum, illuc venit, &, audientiâ postridiè impetratâ, mandatorum suorum summam exposuit: Novam tractatus telam exorsus.

Nec à Rege illis ad animum revocari intermissum. *Necessarium maximoperè esse: Ut, de qvo in genere antehac subinde spem fecissent, nunc in effectum conferrent, nec nudæ & imaginariæ defensioni, ulterius insisterent,*

rent, sed, ceu fida corporis Protestantium membra, ob consiliorum, quæ hactenus fovissent, generositatem toto Orbe celebrata, aliis laborantibus re ipsâ adminicularentur. Alioqvi accidere posse: Ut, dum singuli pugnant, universi vincantur. De Lipsiensi decreto Regem non Civitatibus, non ulli alii moturum controversiam: Nec spernendum illud; ut laudabile in se, & tempori suo accommodatum. Præsentem verò rerum statum præsentiora reqvirere consilia, & efficacius remedium: Non hostis modò causâ, qvi nullum non lapidem in bello hoc jam moveat, longèq; validiorem, ac anteà, & viribus suis parem armaturam efflagitet; sed ipsiusmet qvoqve Regis intuitu. Qvandò enim Lipsiense decretum scisceretur, Pontificios fœderatos nondum exstitisse Protestantium ex professo hostes, aut rem ad id, in qvo nunc versetur, extremitatum redactam. Regem qvoqve Sveciæ tunc temporis ad mare balticum, & limbum velut Germaniæ hæsisse: Jam verò in umbilicum & viscera Imperii penetrâsse; neqve nudâ & simplici communicatione contentum ampliùs posse vivere, sed de Protestantium amicitia aliqvantò exactius cautum sibi velle. Qvinimò ipsorum Protestantium non minùs interesse, ut norint: Qvid de Rege, in meditullio eorum cum valido Exercitu versante, sibi polliceri debeant. Ulterius, Lipsiensi decreto maximam sociorū partem sponte suâ remisisse nuncium; vixq; ab exiguo retrò tempore aliqvas nominis superesse reliqvias. Huic itaqve diutiùs haudqvaqvàm immorandum, sed, flagitante rerum statu, & communis causæ necessitate, qvæ in prospero regiorum armorum successu principaliter conqviescat, socialia Regi jungendum arma, atqve sub illius moderamine supremo, qvod ipsemet Elector Saxoniæ transdiderit, ad eundem scopum pro virili cooperandum. Nec aliud hoc ipso facturos Argentoratenses, qvā pleriqve protestantes fœderati Principes, Ordines, Civitates, qvin ipse Elector Saxoniæ, cum Rege unusqvisqve pro se particulatim, legibus statui suo accommodis, in fœdus descendendo, fecerint.

Hæc & similia ex parte Regis in medium allata. Et qvanqvam initio vacillarent animi, Hispanorum, Mosellam transeuntium, impressione, primisq; eorum satis prosperis in occupanda Spira successibus concussi, tum Regis absentis præsidio destituti; qvod tamen Regis vicem, hostis intentione infractâ & retuso impetu, strenuè suppleret Regni Cancellarius, tandem ex voto Regis res cecidit, fœdusq; certis legibus, qvas ipsemet Rex postmodùm rati haberet, ictum est: *Civitate Regis protectionem subeunte, summumq; militiæ clavum, pro sua parte, eidem demandante*, & unà spondente. *Urbem, Regis & communi Protestantium bono conservaturos; nullum cum hoste habituros tractatus commercium, sed eidem qvæ Regi, cum generatim, tum in specie, præstare receperant, denegaturos; præsidium, qvantum pote, continuatis aucturos delectibus, propriis impensis sustentaturos, & qvandòcunq; necessitas reqvirere, nec non Civitatis ipsius salus ac securitas admittere videretur, Regi, pro ejus arbitrio, subsidio inde qvid missuros, novisq; delectibus confestim decedentium suppleturos lacunas; Regi, ejusve militi, tutum ac liberum receptum, in territorium, munimenta, terrarumq; & fluminum claustra, nec non itum per eadem reditumq; haud gravatim præbituros; (ita tamen, ut, si Rex Urbem, cujus transitus minimè necessarius, transeundam judicaret, id singulis Legionibus, aut turmatim, cohortatimve fieret) insuper omnia isthæc claustra, qvotiescunqve Rex postularet, in manus illius consignaturos, præsidio firmanda, ac fideli custodiâ asservanda; qvinimò, extremæ necessitatis casu, regium militem in ipsam admissuros Urbem; Regi qvoqve militis in Urbe conscribendi, ac commeatus bellicorumve necessariorum pecuniâ comparandorum facultatem fore, &, siqvidem copia eorundem privatis non suppeteret, è publico penu seu armamentario mutuo illa daturos Argentoratenses; Consummatoq; statim fœdere, certum longiorum sclopetorum, qvales fomitum candentium admotu displodunter, numerum gratuitò subministraturos; deniq;, ad continuandum bellum, collaturos qvotmensibus certam & definitam pecuniæ summam.* Rex vice versâ, *de Civitate*

ab adversariorum machinis potenti manu asserendâ, & regio patrocinio protegendâ, juribus, immunitatibus, privilegiis ejus sartis, tectis conservandis, ac Pace, nisi quâ & ipsi complexi in pristinum statum reponerentur, neutiqvàm ineundâ, fidem dedit. Qvibus, laciniæ instar, assuta clausula: *Regem, tam de damnis, quæ perpessi hactenùs fuissent Argentoratenses, qvàm impensis, qvas insumserint, resarciendis solicitum; & horum nomine, siqvidem caduca hostium bona, quæ in vicino tractu sita reperirentur, fisco addici, olim forsan decerneretur, Civitatis præ aliis memorem fore.*

Re hac ratione transactâ, dictus Johannes Nicodemi, abitum parans, qvod Cæsarianos omnes motus suos accuratè observare nosset, per montis, qvem Knibus Germanicè appellamus, ardua in Wirtenbergensem agrũ tendere, prudenti dissimulatione præ se tulit: Hac igitur, ut opinio erat, redituro à sexcentis adversæ partis sclopetariis, & qvingentis eqvitibus, ad Oberkircham coeuntibus, structæ insidiæ. Ille verò, qvingentis Argentoratensium sclopetariis, & unâ eqvitum alâ, qvos Civitas securitatis causâ abeunti adjunxerat, tum qvater denis circiter eqvitibus, nec non centum peditibus, Regis auspicio, Cronecci sub-Tribuni conqvisitione nuper conscriptis, comitatus, diversam, ac innuerat, viam ingrediebatur: Et per medium Marchionatum Badensem, Rhenum juxta, descendens, Lichtenavumq́;, Stolhofium, Badenam ipsam inoffenso pede prætervectus, non, nisi propè Etlingam demùm, Badenæ ac Etlingæ Præfectos, ad descendentis famam excitatos, cum qvinq; eqvitum turmis, unâ draconum cohorte, & qvadringentis sclopetariis, infestos sensit. Milite tamen, qvi ipsum comitabatur, ad certamen imperterrito animo se accingente, vana hæc sine idoneis viribus hostium ira, & frustraneus conatus erat. Argentoratenses, qvos diximus sclopetarii, eo in tutum deducto, per Wirtenbergensem agrum domum reversi: Eqvitum verò alam, cujus meminimus, à Civitate Regis militiæ transcriptam, ad Regem porrò unâ euntem, Domino suo idem Nicodemi, Civitatis nomine, ut primum datæ fidei pignus, ab hac offerre rogatus.

28. Jam de semita, qvâ paululùm evagati sumus, in viam regiam, ad ipsum, qvo totius belli summa vertebatur, cardinem regredi, operæ pretium fuerit. Videbantur autem illic circumstantiæ mutatæ aliqvid, sub hoc tempus, rebus inferre alterationis: Certâ inter Bavariæ & Fridlandiæ Duces, post tractatum habitum, initâ pactione, fabâq́; in Regem Sveciæ cusâ; ut capitalem principemq́; Cæsaris ac Cæsarianorum hostem. Hoc enim oppresso, (id qvod, viribus ejus per universum Imperium longè, latèq; dispersis, junctâ Exercituum mole, haud adeò arduum fore sibi persvaserant) Saxoniæ Electorem, & reliqvos Protestantes Electores, Principes, Ordines facilè sub jugum, qvod excusserant, denuò redactum iri, arbitrabantur. Cui scopo asseqvendo Dux Bavariæ, relicto Ingolstadii ac Ratisbonæ, præcipuis ad Danubium locis, idoneo præsidio, cum Exercitu, de compacto, in superiorem Palatinatum, Ambergam, & hinc Weidam movit: Egræ Bohemorum propinqvans; qvò Fridlandius potissimum militiæ suæ robur contraxerat. Bavariæ Dux in Palatinatum superiorẽ transit.

Sultzbacum, unico tantùm milliari Ambergâ dissitum, non semel à Bavaro milite tentatum erat: Sed, incolis gnaviter se defendentibus, irrito semper conatu. Donec, septimo Iduum Julii, valida manus, ductu Johannis Everhardi, Baronis à Schonburg, Urbem ferociter aggressa, ferociùs instaret, tantâq́; contentione rem ageret: Ut Principis Consiliarii ac ministri, publicæ rei moderandæ relicti, præcluso subsidiis Noribergâ venientibus aditu, civibus autem, qvi penuriâ militum militaria munia obibant, virium armorumq́; vigore defectis, & stationes deserentibus, deditionem pacisci adigerentur. Qvâ tamen convenit: Ut ne ultra duas peditum cohortes in Urbe diverterent, inter qvos militaris disciplina strictè servaretur, nec eorum sustentatio ulli civibus oneri esset, sed annonæ inopia è vicinis locis suppleretur; Principis Consiliariis ministrisve, pro lubitu, aut in Urbe ulteriùs com- Cui Sultzbacũ certis legibus deditur.

commorari liceret, aut aliorsùm cum suis concedere, arx Principis à belli injuria immunis existeret; & hospitiorum distributio in Cancellariæ principalis, Senatusq; ac Civitatis remaneret arbitrio.

Nec hæc tamen servata. Hæc benè & cum cura provisa, sed punicâ fide servata. Peditum enim septingenti & qvadringenti eqvites Urbem illicò ingressi; Consiliariorum & primorum civium ædes, nec non arx, inq; ea Principis eqvile, ac eqvaria camera, tum cella, penusve direpta, qvicqvid commeatus reperiebatur, maximam pàrtem Ambergam avectum, reliqvo accuratè descripto: Ad hæc ingens pecuniæ summa Civitati vi metuq; extorta.

Rex Noribergam movet. Sveciæ Rex, Bavariæ Duce in superiorem Palatinatum transire comperto, Augustam, Rainum, ac Donawerdam, Urbes, sufficienti milite firmans, & Johannem Bannerium ad Donawerdam, Bernhardum verò Saxoniæ Ducem in superiori Svevia, qvemq; eorum cum nonnullis copiis, relinqvens, Exercitum reliqvum Noribergam ocyùs traduxit: Misso inter vias Rhenum versùs Campiductore Hornio, ut militarium rerum summæ illic præesset, & Augusto, Comite Palatino Rheni ád Electorem Saxoniæ ablegato, cum magni momenti mandatis; Pacis præcipuè cum Fridlandiæ Duce tractatum, de qvo ubivis locorum percrebuerat, concernentibus. Hunc enim fervere admodùm, crebrosq; sermones eapropter hinc inde commeare, qvin & cæsareæ aulæ potissimam in eo spem stare, Regi à fide dignis relatum fuerat.

Et in superiorem Palatinatum. Sexto autem Iduum Junii Furtam, qvæ milliari Norибergâ distat, perventum; Ubi miles à labore viæ interqvievit, ad tertium usq; Iduum: Qvandò Rex castris iterùm motis, & Exercitu sub primulum lucis ortum Noribergæ mœnia præterducto, Lauffi, duobus ab Urbe milliaribus pernoctatum iit. Unde Hersbruccum porrò, & ulteriùs in Palatinatum superiorem itum.

Sultzbacū à Regiis per deditionem recipitur. Eodem manè Sultzbaci ab hoste recuperandi consilio inito, summum qvendam vigiliarum eqvestrium Præfectum, cum aliqvot eqvitum centuriis, Rex eò ablegârat: Comitem huic adjungens, Augusti, Comitis Palatini, aulæ Magistrum; qvi, locorum & viarum gnarus, ad expeditionem isthanc operam suam ultro offerebat. Nec sanè adversùm vota res cecidit. Bavarus enim centurio, qvi Urbi præerat, præter integram draconum cohortem, eqvitumve alam, ultra centum sclopetarios præsidio secum habens, adventantibus Regiis initio qvidem defensionem meditari, &, civibus exarmatis, è mœnium turriumve pinnis in propiùs subeuntes crebris fulminibus debacchari; arce qvoq; principali, velut tuto receptus loco, in subsidium, sicubi ultima necessitas ingrueret, electâ: Regiis tamen deditionem imperantibus, præfractâ mente exutâ, lenioribus consiliis præbere aures, deq; Urbe tradenda certo modo, ut, nempe, impedimentis salvis dimitteretur, pacisci.

Leges deditionis vice versâ haud attenduntur. Qvi tamen, Urbe cum præsidio exiens, parum viæ processerat, qvandò à Regiis ob datam servatam Weissenburgensibus, nuperq; ipsis Sultzbacensibus, fidem, par pari referentibus, circumfusus, ipsemet qvidem, sub primum tumultum, globo trajectus cecidit: Miles verò, qvà eqves, qvà pedes, hoc conspicatus, vitæ gratiam sibi fieri petiit; nuncio Bavaricæ militiæ promtè remisso, in Regis stipendia transgressus.

Rex mox retrocedit. 29. Regi in hoc itinere propositum; Ducem Bavariæ antevertere, conjunctionem cum Fridlandiæ Duce, qvam ambiebat, præpedire, &, facultate oblatâ, priusqvàm perficeretur, opprimere hominem: Ea de causa, non secùs ac Bavarus, Weidam deflexerat. Sed Bavariæ Dux magnis passibus & cito gradu procedens, anteceperat unius diei iter: Etiam inter vias insignis à Fridlandio subsidii, nimirùm, triginta sex turmarum eqvestrium, è Croatarum genere, & duarum pedestrium Legionum, accessione auctior factus. Regi verò duo adhuc flumina, & asperum sesqvimilliaris longitudine, densis silvis horridum, anteqvàm Weidam perveniret, superanda restabant, hosti peropportuna: Cui, siqvidem post flumina, aut ad ipsam

ipsam Urbem pedem figere in mentem veniret, bellum ducere aliqvamdiu in proclivi, nec qvicqvam interim impedimento erat; qvò minùs novis indies copiis augeretur, aut universum etiam ad se Fridlandici Exercitus robur attraheret. Qvocircà, his perpensis, consilium Rex mutans, viam, qvà venerat, relegit: Decimo sexto Calendarum Julii Hersbruccum reversus.

Sultzbacensi autem Urbi, ut qvæ tanti momenti haud videretur, præsidium, nuperrimè impositum, iterùm exemtum: Unde Principis qvoq; Consiliarii, ministri, & primores civium, hostilis oppressionis formidine, cum omni familia, laribus desertis, Norimbergam secontulerunt.

Regis ad Turcarũ Imperatorem legatio, & cũ Ragotzio tractatus.

Hersbrucco Boncidai, nobilis Hungarus, à Ragotzio, Transilvaniæ Principe ad Regem missus, cum responso ad eundem remissus.

Relictæ enim Bethlehemi Gaboris viduæ, Reginæ Svecorum sorori, cum Ragotzio & provincialibus Transilvaniæ Ordinibus simultatum qvid intercedebat: Qvod ut certá ratione componeret, & affini huic suæ consilio adesset, Rex Paulum Strasburgerum, à consiliis aulicis secretioribus, in Transilvaniá, & ad Turcici qvoq; Imperatoris aulam seu Ottomannicam, ut vocant, portam, unde Transilvania ceu Feudum dependet, ablegârat. Cui simul injunctum. In Turcici qvidem Imperatoris, ut potentissimi Europæorum Principum Principis, nec vicini modo Domui Austriacæ, sed perpetuò qvoq; æmuli Monarchæ, aulâ, indagare: Qvò inter Primores animorum illìc inclinarent motus; & qvodnam de præsenti Regis expeditione ferretur judicium? Tùm apud Turcas, martiam ac bellis deditam nationem, gloriosum & condignum factis conciliare nomini regio respectũ. Apud Ragotzium verò, discrimine, qvod cervicibus ejus, non secùs ac aliorum in Germania Protestantium à Cæsare immineret, ob oculos posito, periculum facere jussus est: Num contra Cæsarem posset instigari ad arma, pro tuitione Religiosæ ac profanæ Libertatis capessenda?

Et sanè magnus Turca, qvam de Rege nostro foverit opinionem, & qvo in æstimio Rex apud hunc fuerit, vel exinde claret: Qvod, cùm aliàs nulli Legatorum ad audientiam, nisi stratâ priùs muneribus, pateat viâ, hic tamen, absq; ejusmodi delinimento, non admissus tantùm, sed lautiùs insuper supra morem cohonestatus fuerit. Nec silentio prætereundum: Cum inter felicissimos Regis ad Rhenum Danubiumq; progressus, Cæsaris ad aulam Turcicam residens minister, Rudolphus Smidius, scripto huic fini expressè tradito, magno Vesirio, Mechemet Bassæ, diffidentiæ qvid injicere, Regemq; Sveciæ & ejus legationem rapere niteretur in suspicionem intentionis sinistræ, magnum Vesirium Legato scriptum hoc renidenti vultu communicâsse; addito. *Siqvidem ex relatu Cæsariani ministri res se haberet, Legatum haud gratum futurum hospitem, nec admodùm lautâ acceptum iri adventitiâ: Aulam verò Turcicam politicarum versutiarum haud adeò rudem, ut ignoret; qvantum fidei narratibus ejus notæ veniat adhibendũ.*

Porrò Ragotzius haud abhorrere omninò à Regis desiderio: Ut aleam tamen apertè jaceret, induci nondum posse. Et hac occasione Boncidai, cum literis, ad Regem venerat, causas continentibus: Cur palàm hostem se profiteri, & arma in Cæsarem sumere adhuc ambigeret Princeps? Qvarum cardo in hoc præcipuè verti visus. *Negotium tantoperè arduum ac maximi momenti, qvod suæ suorumve salutis summam concernat, maturo judicio, nec perfunctoriâ considerantiâ tractandum; &, priusqvàm ancipiti adeò se implicet discrimini, securum de hoc eum reddendum: Ita commune fore periculum, ut ne tota moles alterutri separatim sustinenda veniat; armorumve impetum sic in ipsum derivatum iri, ut ne omninò illuc redundet, verùm, ubi oneri ex parte aliqva successerit, potissima tamen belli intemperies, distento & occupato alibi hoste, à copiis suis, ad id destinatis, avertatur.*

Hujus scrupuli eximendi seqventem ferè in sensum respondebatur. *Nullatenùs Regem dubitare; qvin Ragotzius, accuratiùs perpensâ eorum, qvæ Rex hactenus gesserit, serie, ipsemet judi-*

judicaturus sit: Regem, quod ab ipso è rerum suarum commodo flagitet, jamdudùm dare effectum; nec desiderii aut voti sui meliori unqvàm ratione se fieri potuisse cõpotem. Germanicum bellum asserendæ, post vindicatas à Cæsarianis illatas injurias, Religioni ac Libertati, solo DEo auctore, suscepisse Regem: Nec privatorum commodorum spe ad id illectum, nec discriminum inde horrore absterritum. Nobiliorem Germaniæ partem Regi vinculo, partim subjectionis, partim fœderis addictam: Qvadringentas, & qvod excedat, eqvitum alas, nec non centum ac qvinqve peditum Legiones ejus auspicio militare, universamq; in se traxisse hostilis potentiæ molem: Qvicqvid hostis polleat, hic detineri & occupari. Qvinimò, cum arma jam sua in ipsam Austriæ viciniam, facili transitu, si Ragotzio qvid metuendum foret, ejus conservationi consulturus, extenderit, haud auspicatius unqvàm liberiusve illi obtigisse occasionis momentum: Certiori secundorum successuum spe ulciscendi injurias; auxilio Reipublicæ præstito immortalitatem famæ sibi comparandi; juratosq; ejus publicè & privatim hostes atterendi, ad optatam suimetipsius securitatem. Præsertim cum à Regis parte haudqvaqvam metuendum ipsi sit: Bellum tantâ rerum commotione exortum, tam facili negotio sedatum iri; Pacemq; non comprehensis, qvi pro re communi steterint, coalituram. Ragotzio non minùs apertis documẽtis perspectum, ac Regi, causam propriæ salutis hic agi: Nec aulã cæsaream in visum tãtummodò habere ejus nomẽ, sed fortunis qvoqve jamdiu exitium voto destinâsse irrevocabili, per delecta instrumenta solertissimè huic rei incũbere, totamq; consiliorum contra ipsum machinam hac ratione instruxisse; ut nisi, qvo animo causam communem amplecti præ seferat, eodem pro virili re ipsa unà cum Rege protegendam suscipiat, aliâ via præsentissimum haudqvaqvàm vitaturus sit infortunium. Maturè igitur cum immortali Nominis sui gloria rem aggressus, in hostem moveret, ac Regem incumbentis molis parte exonerare, animum induceret. Regem vice versâ, ad consilia invicem communicandum, juvandum, qvacunq; ratione posset, hostis vires, consiliave, ne noceant, distinendum, succurrendum deniq;, si opus esset, & per belli rationem liceret, laboranti, promtum paratumq; fore.

Hoc responso à Rege dimittebatur Boncidai: Qvi, ut obiter hoc addamus, transfugio postmodùm infamiam sibi apud suos, veniam apud hostes peperit. Nec interim tractationis isthæc tela usq; ad gloriosissimi Regis obitum, & longo tempore post, utut in manus resumta, detexi potuit, sed ignis, inexstinctus tamen ac sensim gliscens, sub cinere usq; delitescebat: Donec nuper erumperet. Qvod suo olim loco & tempore cognoscere licebit.

30. Decimo tertio Calendarum Julii hostis, cum Croatarum plerisq;, qvorum qvadraginta sex vexilla numerata, propè Hersbruccum, Regiorum statum, vires, & consilia exploratum veniens, excubiarum stationem, sex modò eqvitum alis constantem, incidit: Qvi, utut numero valdè dispares, impressione acerrimè factâ, volaticum hunc eqvitatum facilè dispellebant. Verùm, dum fervidiùs, qvam consultiùs, fugientes inseqvuntur, laxatis inter insеqvendũ ordinibus, à multitudine Croatarum, qvâ dispersi erant, facilitate iterùm coeuntiũ, oppressi, ad ducentos ceciderunt: Reliqvi, Ducibus plerisq; amissis, fugâ hinc inde, qvà qvisq; poterat, dilapsi. Captivos nonnullos, qvibus vitæ gratiam fecerant, Croatæ, qvod initio certaminis aliqvid stragis essent passi, contra datam fidem ex intervallo postmodùm trucidârunt: Humanitate, qvâ inter primum cædium æstum gloriosè fuerant usi, crudeli illaudatæ iracundiæ exemplo deturpantes. Regius eqves cladem ad Hersbruccum patitur.

E superioribus liqvet, qvantoperè pro Electore Saxoniæ solicitum se Sveciæ Rex præbuerit: Ne Fridlandius, versâ huc totius belli mole, oppressum, pessum daret. Unde per Solmensem Comitem, suppetiarum spem illi fecerat indubiam, &, datis literis, insinuârat: Cum denum peditum, & sex eqvitum millium Exercitu rectâ Noribergam, inde in Misniam, siqvidem opus foret, moturum; eoq; documento affectum, qvo Electorem, Rex Noribergæ statum capit.

ctorem, ejusve provincias ac subditos complecteretur, reapse demonstraturum. Ubi verò, in se fabam cudi, subsensit, sepositâ aliis succurrendi cogitatione, propriæ saluti prospicere oportuit. Nec præsentius ullum malo averruncando occurrebat remedium: Qvàm, cum milite, qvi ad manû præsto, sed universis cæsarianæ & Bavaricæ militiæ viribus aperto marte confligere impar, opportunum alicubi statum, unde nec ad certamen, nec ad receptum cogi posset invitus, capessere, ferocientiumq; impetû morâ eludendo, illìc se continere; qvòusq; reliqvæ, discretæ per omnem Germaniam, vires, in unum coeuntes, totâ mole à tergo in hostem consurgerent. Et sanè Mœnum attingere per hostem satis licuerat: Ad qvem majori, & commoditate, & securitate castra locatum iri, imò subsidia qvoq; è diversis Germaniæ oris maturius conventura, videbantur. Sed præponderare his Urbis Noribergæ respectus: Qvam, Regis defensione viduatam, maximo impetu oppugnatum, & forsan, priusqvàm Rex, contractis sufficientibus viribus suppetias veniret, vividâ hostis iracundiâ, prædandiq; æstu flagrantis vi, non cum minori regiæ famæ, qvàm boni publici dispendio, oppressum iri, metus erat. Ad Noribergam ergò pedem figere, re exactè pensitatâ, animû Rex induxit.

Et forsan de Civitatis hujus corio clanculum ludebatur à Bavariæ ac Fridlandiæ Ducibus, id unicè agentibus, ut, Rege falsis prætextibus inde abducto, invadendæ occasio patefieret: Hac in potestatem redactâ, qvicqvid damni in Bavaria ac alibi hucusq; fecerant, opulentiâ ejus abundè resarctum iri rati. Cui scopo asseqvendo, peritorum more pugilum, aliò ostendentium ictus, aliò inferentium, Adorphum, & Oelsnitzam versùs ire præ se ferebant: Qvò in locum Regis, hac arte Noribergâ divulsi, & Electori, prout secum constituerat, subsidio tendentis, ipsi reflexo itinere succedentes, virium suarum in perculsa & patrocinio destitutâ Urbe, facerent periculum.

Verumenimverò Rex odoratus primùm, qvod res erat, mox hostilium machinationum certis indiciis per omnia particeps factus, tempori obviam ire decrevit, & tam intentionem hostis, qvàm, qvid ad illam retundendam cepisset consilii, Senatui Noribergensi aperuit. Nempè, *Civitatem ipsorum sibi cumprimis cordi esse, & pro ipsius salute pervigili excubare curâ, sangvinemq; ac vitam ipsam pacisci paratum. Hinc animo sedere, non Urbem modò, sed contigua qvæqve ædificia, & opportuniora loca vallo induere: Intra qvod, necessitate exigente, pedem adversùs hostem figendi, & castra locandi facultas esset.*

Id qvod à Senatu civium communitati, in unum convocatæ, propositum non modò non displicuit, sed, summo omnium plausu acceptû, confidentiam, qvâ in Regem jam antè proni ferebantur, mirificè auctum ivit. Rex igitur Urbem obeqvitans, &, velut militarium operum conficientissimus erat, solicitis oculis loci ingenium lustrans, extra Urbis mœnia, ubi qvàm commodissimè videretur, aggerem fossato præmunitum, & aliqvammultis Reductibus munimentisq; interstinctum, excitari jussit. Qvæ munitionum moles, civium communione aliqvot operarum millibus manum admoliente, & ne nocte qvidem intempestâ ad laborem intermissâ, biduo in altitudinem, defendi idoneam, excrescere visa.

Interim regius miles pedetentim ad Urbem appellere, vallumq; ingressus, semifacta opera consummando, novaq; adjiciendo prioribus, pedem adeò firmare: Ut Bavariæ ac Fridlandiæ Duces, licet Exercitu, viribus insigni, & regio in omnibus pollentiori, paulò post ingruerint, præcisâ tamen secundorum successuum spe, castra Regis adoriri haud fuerint ausi.

Dux enim uterq;, juncto militiæ robore per superiorem Palatinatum sensim gradum promoventes, Noribergæ interim proximabant magis, magisq;: Dirschenreutum primò, inde Weidam, Ambergam, Sultzbacum transeundo. Unde, septimo Calendarum Julii, circa noctis meridiem, aliqvot militû millia, cùm rei tormentariæ parte reliqvum Exercitum antegredi jussa, Neomarcum venerant.

Circa

Regii ad Neomarcum ab hoste cæduntur.

Circa idem tempus Tupadelius Tribunus, cum draconibus suis, & qvatuor eqvitum è Sperreuterii Legione alis, eòdem exploratum, hostiumq; nonnullos, è qvibus de statu eorum & intentione certi qvippiam cognosceretur, interceptum missus. Huic Croata statim in manus venit, minimè, qvod res erat, dissimulans: Nimirum, qvatuor circiter pugnatorum millia, cum rei tormentariæ parte, ad Neomarcum jam stare. Sed potior coactâ hac confessione visus voluntarius rustici, nescio cujus, relatus; hostium numerum bis mille capita haud superare, magnâ confidentiâ assseverantis: Qvos Tupadelius aggredi, audaciùs paulò secum constituit. Et sanè arridere cœptis fortuna sub impressionis exordium: Qvatuor enim Croatarum turmæ, cæsis inde non paucis, primo cœtu dissipatæ. Sed dum altiùs hostibus Regii se immergunt, à multitudine circumfusi, &, numero virtutem superante, tota ferè draconum Legio internecioni data: Qvod supererat, cum Tribuno captum, cumq; his bina etiam eqvitum Sperreuterianorum vexilla in hostium manus delapsa. Rex ad primum conflictus rumorem, cum potissima eqvitatus parte, Neomarcum versùs) subsidio suis, properaverat: Verum inter vias, cladem in suos incubuisse, jamq; facta, transacta omnia, comperiens, in castra ad Noribergam reversus est.

Hostis castra è regione Noribergæ confert.

Pridiè Calendarum Julii Bavariæ & Fridlandiæ Duces, universo Exercitu Neomarcum contracto, ultra ter centum vexilla eqvitum, & ducentas peditum cohortes recensuerunt: Tormentorum autem omnis generis octoginta numerata. His copiis subnixi, Regneso Stenii tramisso, ad semihorulæ & qvadrantis iter, in Noribergæ conspectu, regiis castris castra contulêre; eminulo, Regneso incubanti, loco tendentes: Qvi momento, tentoriorum multitudine, in hibernam velut canitiem exalbuit. Nec virium tamen fiduciâ artem habuêre insuper, sed hanc illis junxêre: Pariter, ac Rex fecerat, vallo stativa sua è vestigio circumsepire exorsi.

Hosti, ut conjectare licebat, propositum erat; Regem, qvem, locorum & munitionum opportunitate tectum, impetu adoriri, inconsultum arbitrabatur, eminùs circumsessum, annonâ & pabulatione intercludere, sangvineq; velut ac succo subtracto, diuturnâ emaciare morâ: Qvorsum finitima loca, Forchemum, Neomarcum, Swabaccum, valido hostili præsidio insessa, apprimè accommoda; & eqvitatus vel maximè, qvo hostis superior, camporum æqvor circumcircà assiduis discursibus infensare poterat. Nec inficias imus, Regios, cumprimis sub finem, aliqvâ pabulo laborâsse angustiâ; eaq; de causa eqvitatus rem, dum ad Noribergam bellum ducitur, aliqvantulùm rediisse in arctum. Annonam tamen qvod attinet, à Civitate illa, qvamdiu castra opposita fuêre castris, abunde suffecta est: Ut ita hoc in passu spe suâ exciderit hostis.

Magistratus urbicus cives qvoq; suos, armis militarem in modum instructos, sub viginti qvatuor signa digesserat: Qvæ, primis literarum elementis insignita, singula unius literulæ characterem depictum præferebant. His bis duodenis civium cohortibus, & domesticæ Urbis Legioni, tutiores atq; ab hoste aversæ stationes assignatæ: Nec pœnitendam isti, vigilias & alia militaria munia obeundo, nec gravatim, qvamdiu bellum hîc consisteret, Regi exhibere comperti sunt operam.

Sed relictis capitalibus hostibus, ad Noribergam desidentibus, mentis discursu paululùm hinc evagabimur; visuri: Qvid inqvies Pappenhemius rerum volatili suo Exercitu molitus & emolitus fuerit.

Pappenhemii in Hassia, & his locis, ausa.

31. Hic post obsidio liberatam simul & desertam Stadæ Urbem Brunswicensem agrum remensus, in Hassiam, & eò locorum, Landgravio mistum mœrorem iterùm propinaturus, iter verterat. Cujus adventum simul ut Hassiaci, qvi Volcmarsiæ & Mundæ hospitabantur, præsentirent, recedentes inde, Cassellas se receperunt: Nec celeri tamen adeò gradu fieri id potuit; qvin impe-

impedimentorum nonnihil ab his, qvi Volcmarsiâ excesserant, in Pappenhemianorum manus incideret. Pappenhemius autem loca deserta milite suo denuò insidens, &, qvâ aliâs, celeritate usus, qvicqvid novorum Hassiacorum delectuum Drengelburgi, Witzenhusii, Allendorffi, Eschwegæ reperiebatur, rapido superventu suo disturbatum iit.

Witzenhusii tamen ab Hassiacis par pari relatum: Ubi sex Pappenhemianorum eqvitum turmæ repentinâ irruptione oppressæ, ad ducentos trucidati, reliqvi pleriq; cum Ducibus suis capti, & opima præda, tam aliarum rerum, qvàm qvadringentorum imprimis, & qvod excedebat, eqvorum ab hoste parta.

Ex Hassia Pappenhemius in Isfeldium agrum contendebat: Eo, unâ cum Duderstadii Urbe in potestatem redacto, adversùs Thuringiam, nescio qvas, machinas agitans. Indicio est; qvod Mulhusianos de annona, in Exercitus usum præparandâ, (licet frustrà & repulsam passus) interpellaverit. Sed novi, cùm ab Hassiacis, tum à Georgio, Duce Luneburgensi, & Baudisio motus causæ fuerunt, cur, mutato consilio, retro ad Visurgim flecteret.

Hassiaci namq; Volcmarsiam in ipsius absentia, resumtis animis, oppugnatum ierant: Qvam ut liberaret, qvinqvaginta qvinq; eqvitum vexilla, Visurgim ad Pollam raptim transducta, Gronsfeldio Comite cum nonnullis copiis se jungente, eâdem adhuc vesperâ Brakelam, & porrò Volcmarsiam properare jussit.

Hassorū ad Volcmarsiam ab eodem accepta clades.

Continuato igitur totam noctem itinere, gradum pro more accelerantes, rubescente aurorâ, ad Volcmarsiam hi conspecti: Eodem penè momento; qvo Hassiaci deditione Urbem receperant, & sub dio propè mœnia, ad qvatuordecim eqvitum alas, tendebant. Hassiaci ergò, hostem propè abesse sentientes, impedimentorū qvicqvid raptim asportari poterat, in tutum amandare, ad silvam in clivo qvodam ordines instruere adversùm, & ingruentium primam impressionem ingenti animo sustinere: Mox tamen, multitudine obruti, evadendi viam circumspicere, sed fossato, qvod ex transverso silvam intersecabat, impediri; qvò minùs maturo sibi consulerent receptu. Hinc factum, ut novem eqvestria vexilla amissa fuerint: Qvorum tamen jacturam plus qvàm ducentorum circiter, inter qvos duo eqvitum Magistri numerati, mors haud comitata. Decem alicujus notæ Duces, unà cum subTribuno Seekirchio, & ducentis qvasi gregariis, vivi in hostium manus devenerunt. Reliqviæ cladis Cassellis receptum habuêre: Qvinq; tormentis, & mortario, qvo ignes artificiales evomuntur, hosti relictis.

Pappenhemii in Brunswicensem agrum reditus.

Pappenhemius, facinore hoc patrato, decimo tertio Calendarum Julii Warburgum venit: Ubi peditatus eqvestribus copiis se junxit; tramissoq; Visurgi Calenbergam rectà hinc itum est.

Arcem isthanc Dux Luneburgensis & Baudisius, admoto Exercitu, obsidio cinxerant; primasq; Comitis Gronsfeldii, cum qvatuor Legionibus subsidio venientis, conatus acriter, nec sine Cæsarianorum clade, represserant. Ubi parum abfuit, qvin ad internecionem à Regiis cæderetur hostis: Nî pons interruptus adjumento huic fuisset, Regiorumq;, calcibus se recipientis inhærentium, elusisset impetum. Qvandò verò de adventu Pappenhemii, validum Exercitum secum trahentis, cognitum est, obsidionem deserere, tutius arbitrati, relato gradu, ad Hildesium pedem fixêre cum Exercitu: Qvi, lustratione circà hoc tempus habitâ, octo peditum, & qvatuor eqvitum millibus recensebatur.

Pappenhemius econtrà cum totius Exercitus robore, qvod duodecim millibus peditum, & eqvitatu Regiis par æstimatum, tertio Calendarum Julii, Calenbergâ movebat, monteq; Sancti Mauritii ad Hildesium superato, instructâ ac distentâ latè acie vires suas ostentabat: Qvasi Regios, intra castrorum opportuna se continentes, præsentissimâ vi adoriri in animo haberet, præ se ferens; & octo majoribus tormentis, qvæ, in montis superciliū convecta, ad ædem sacram statuerat, Regios ter salutans.

Sed

Sed par pari datum hostimentum, & acerbam potionem propinanti ejusdem generis poculo plenis faucibus responsum: Nec, manum conserere ambientibus Pappenhemianis, certamen admodùm subterfugere Regii. Finno cumprimis eqves, ut semper aliàs, ita hîc intrepidus animo, manu strenuus, cum undenis eqvestribus vexillis fortiter confligere, &, uno eorundem cum Magistro eqvitum capto, hostium cædere ad ducentos. De prospero itaq; successu desperans Pappenhemius, retrò inde Rotenbergam, &, secundis castris, Gronavium discessit: Missis Calenbergam, qvi, præsidio exemto, munitiones arcis tumultuariâ operâ demolirentur. Ultimo Nonarum Julii Glenius Tribunus, duabus eqvitum centuriis,& centum qvinqvaginta peditibus comitatus, ad Pattensœam transiens, eâdem adhuc luce, Peinæ arcis præsidiarios, ad centum qvinqvaginta, Gvelpherbytum secum abduxit: Sedecim illîc relictis machinis, sed pulvere tormentario, qvantumcunq; asportare haud dabatur, in aqvâ projecto, corruptove. Qvam arcem Luneburgensis Dux, à discessu Pappenhemii mox occupatam, præsidio firmatum iit. Qvinto Nonarum Julii, qvi alter ab illo dies, Glenius, pari modo qvo Peinâ, Stenbruccum, milite vacuefactum, Regiis, pro arbitrio, insidendum reliqvit.

Pappenhemii Rhenum versùs abitus.

His peractis Pappenhemius, ad Visurgim iter relegens, Pollam petiit: Ubi Exercitus flumen iterum traductus. Hinc porrò, silvâ occidentali superatâ, versùs inferiorem Rheni tractum, & diœcesin Coloniensem, Trajecto Mosæ, qvod arctissimâ à liberis Belgii Ordinibus obsidione premebatur, liberando, properatum.

Lapis Hermonius Gallis traditur.

32. In superiori Rheni ora, postqvam Regni Sveciæ Cancellarius Hispanorum Exercitum, ut retulimus, ad Mosellam, qvamqvàm parum gratus comes, deduxerat, malacia penè erat: In Trevirensi tamen Electoratu traditione Lapidis Hermonii, munitissimæ arcis, qvod Regi Galliæ Elector, sub Maji finem, insigni solertiâ, præsidii & Præfecti ingratiis, in manus consignârat, novorum tumultuum jacta semina. Clerus etenim Trevirensis, qvi plus in Cæsaris ac Hispanorum, qvàm Gallorum partes inclinabat, ægrè admodùm istud ferre, eòq; rem deducere; ut non Augustæ modò Trevirorum sed Confluentibus qvoq; Hispanorum reciperetur præsidium, & ita Gallo Hispanus, Rheno tantum interfluo, collimitaret: Neuter qvidem apertas inimicitias ergà alterum professus, sed infidi tamen amici & vicini; maximè in terrarum societate constituti, qvarum possessionem sibi in solidum vindicare qvisq; mallet. Hinc continuis odiis inter se collidi; tormentis invicem crebrò salutare; &, sicubi alter alterius manum incideret, crudeliter hostilemq; in modum tractari.

Confluentes hosti extorqvent Sveci.

Donec Svecus, Campiductoris Hornii ductu, Galli, qvi his locis, pro tempore, viribus Hispano inferior erat, partibus interventu suo momentum adderet: Tertio Iduum Julii Moguntiâ producens Exercitum, & Confluentes acri obsidione adortus. Nec ob id tamen animo statim defici Hispanus, sed strenuè ab initio se gerere, ut militem decet: Viribus tamen Sveci prævalentibus, & propiùs, propiùsq; ingruentibus, ulteriorem obsidii laborem se haud durare posse conspicatus, undecimo Calendarum Junii, deditionis mentionem injicere, & ante solem adhuc occasum certas ejusdem leges pacisci. Qvarum vi, armis ac impedimentis salvis, militarê in modum excedens, Urbem Sveco tradidit.

Et Gallis certo pacto traduntur.

Deditio autem hæc Montaburi, Engersii, Hamerstenii, Lohnstenii, Larnecci, aliorum, minoris momenti, locorum desertionem, velut laciniam, secum traxit. Confluentes postmodùm, brevi interjecto tempore, Gallis & Electori Trevirensi restitutæ; impensas, obsidio insumtas, refundentibus, & stipulatò promittentibus: *Urbem qvàm diligentissimè, ne recuperandi ulla daretur hosti occasio, custoditum & conservatum; Regius qvoq; in Mosella ac Rheno, seu terrestri, seu fluviatili itinere uti mallent, liberum transitum præbitum, hosti verò denegatum iri.* Iisdem condicionibus superiori Vesaliâ, etiam Bodobrigâ, aliis nonnullis diœceseos Trevirensis locis, Sveci spontè suâ cesserunt.

Gräffenburgum, Trarbacco vicinum, capiunt

Confluentibus Hispano extortis, Hornius, munitionis haud contemnendæ arcem, Gräffenburgum, Mosellæ propè Trarbaccum incumbentem, (qvo diverticulo ad transmittendum Mosellam Hispani haud semel fuerant usi) aggressus, obsidione cinctam tormẽtis qvatere instituit. Jamq;, mediocri ruinâ in exterioribus munimentis horum vi editâ, aliqvam ad eam invadendum stravisse sibi videbatur viam, qvando Hispanus centurio, loco præfectus, metu, ne, aleâ aggressuræ tentatâ, ad incitas redigeretur, nullâ interpositâ morâ, de deditione agere cœpit; sexto Iduum Julii, his legibus pactus: Ut ipse, præsidiumve, cui imperabat, hostile, salvis omnibus impedimentis, arce excedere permitterentur. Sic locus, transitu Mosellæ peropportunus, nec exigui ideò momenti, in Regiorum potestatem venit; unâ cum annonæ & bellicorum apparatuum copia insigni: Qvæ accuratâ inqvisitione & consignatione habitâ, illic inventa.

Kirchbergæ muniones diruunt.

Paulò anteqvàm Gräffenburgum dederetur, Kirchbergæ Urbs, in qva Hispani subinde nidulari soliti, ne imposterùm id ampliùs contingeret, muris ac vallo ad terram depositis, munitione omni exuta ac renudata est.

Elector Coloniensis Neutralitatis apud Regni Cancellarium satagit

Electori Coloniensi inter hæc, ob bellum indies latius serpens, & vicina jam ambedens, timor non proletarius incesserat: Ne contagione in fines etiam suos, seu irreperet, seu irrumperet malum. Simul ut enim Confluentium deditio innotuit, nonnulli ejusdem Consiliarii ad Regni Sveciæ Cancellarium comparuêre: Beneficio Neutralitatis collato, hostilia arma à Domini sui territorio deprecati. Qvanqvàm verò Regni Cancellarius concludere qvippiam certi in hoc negotio absq; speciali mandato nollet, re omni ad Regem rejectâ, interventu tamen Baronis Charnassæi, Legati Gallici, in bimestres armorum inducias demùm consensit; hac annexâ condicionum appendiculâ: *Elector, intereà temporis, tractatus telam, quam in subditorum suorum & dicionum securitatem instituerat, cum Rege ipso continuaret; hosti nullatenùs ferret opem; nec qvicqvam, seu directò, seu per ambages, in Regis, Regiorumve præjudicium moliretur.*

Cæsariani amicos Electoris Saxoniæ se ferunt

33. Erga Saxoniæ Electorem communis hostis, dum Regem Sveciæ præcipuâ virium mole opprimere parat, humaniter ac pacatè se gerebat. Nam & Fridlandius, proclamato Egræ Bohemorum publicitùs edicto, ne qvis Electoris subditos ullatenùs læderet, aut temerarias illis inferret manus, sancire compertus: Et Balthasar de Maradas, qvi, absente Fridlandio in Bohemia pro Cæsare curabat, agrestium, Electoris fines incursionibus subinde incursantium, colluviem, severo mandato, perniciem violatoribus interminatus, refrenatum iit. Sed non aliorsùm spectabat benigna hæc manus injectio, qvàm ut aliqvam onerarent Zamiam, & Electorem, à Regis, aliorumve protestantium Electorum, Principum, Ordinum societate divulsum, poppysmis his consopirent.

Paulò post hostilem iterùm animum induunt

Qvod ubi pro tempore in cassum cecidisse animadversum, mox bilis, qvam intimis pectoris penetralibus abdiderant, iterùm, in nasum concita, efferbuit, & è Silesia in Lusatiam se effudit: Per immissa aliqvot militum millia, Lubenâ, Sittoâ, Gorlicio occupatis, & circumjecto agro miserandum in modum populato. Utut verò electorales copiæ Lubenæ, obsessæ ac tormentis concussæ, vi denuò potirentur; hostium ad septingentis illic trucidatis ac pessum datis: Cæsariani tamen mox, valido agmine reversi, par pari retulêre, & Urbe itidem impetu expugnatâ, complures Saxonicorum conciderunt: Reliqvi, qvibus vitæ gratia facta, sub Cæsarianorum signa distributi; Urbs autem direpta ac funditùs desolata.

Lusatia itaq; circa hoc tempus Cæsarianorum atq; Saxonicorum palæstra erat: In qva, variâ qvidem belli fortunâ, sed, qvòcunq; res caderet, certo incolarum exitio colluctabantur.

Status rerum ad Noribergam.

34. Ad Noribergam, interim, utriq;, & Regii, & Cæsariani, firmis munitionibus circumsepti, torvùm contueri invicem; nec horum, de com-

commeatu Regiis intercludendo, & atterendis inopiâ illorum viribus, consilio aut conatui satis respondere eventus: Annonâ haud adeò sæviente, ut regius Exercitus inde qvicqvam notabilis sentiret incommodi. Nam frumenti qvidem penore in annum vertentem, & ulteriùs Noriberga satis instructa reperiri: Sed molituræ res in arctum redigi, & pro tanta hominum multitudine, qvæ præter cives militemq;, huc, velut ad receptaculum, dum belli procella desæviret, confugerat, farina ac panis ægrè suppetere. Magistratui tamen urbano id præcipuè curæ esse; ne militis alacritas alimentorum defectu minueretur: Adeòq; huic, ante omnes, de qvotidiano panis demenso providere. Apud Cæsarianos similiter res annonaria in tolerabili consistere statu: Qvippe qvibus ex vicinis provinciis, diœcesi Bambergensi, superiore Palatinatu, Marchionatus Brandenburgensis, qvem Onoltzbacensem vocant, agro, imò ex ipsa Bavaria, & Cæsaris Regnis ac dicionibus, tolerandæ vitæ necessaria subveherentur. Verumenimverò pabulatio in arenoso hoc & sterili solo perexigua & disjecta esse: Adeòq; ob eqvorum, jumentorumve innumerum penè numerum, his, qvæ præ manu erant, citò absumtis, brevi pabulatoribus utrinq;, longè lateq; evagandi imponi necessitas. Hinc factum; ut, dum excursorum manus crebras sibi invicem insidias struunt, qvod una pars magnâ curâ conqvisierat, altera non rarò in castra referret: Secùs aliqvandò insidias qvoq; istas cecidisse meminimus, & ipsosmet insidiarum auctores tendiculis se illaqveâsse, qvas alteri posuerant. Velitatum porrò nonnunqvàm variâ, & nunc huc, nunc illuc inclinante, fortunâ; certaminibus, licet minutis, haud incruentis tamen: Qvibus veteranus aliqvandò, multarum acierum, miles cecidit; qvi undabundum mare salvus evaserat, in contemtibilis rivi vortice submersus.

Exiguæ qvædam illic certamina, belliq; eventa.

Inter alia, tertio Nonarum Julii, Regii, Croatis impacti, tres eorum alas circumventas obtrivêre, penè integras: Vexillis eorum; & Ductorum plerisq;, qvibus vitæ gratia fuerat facta, Regi præsentatis.

Croatæ econtrà, Noribergam & Altorffium inter, subsederant, regiis pabulatoribus tendentes retia: Qvæ Professores & Studiosi nonnulli fortefortunâ prope Vischbaccum incidebant. Nec sprevêre illi, qvam fors incruentam obtulerat, prædam; sed abductos, non nisi certo lytro exsoluto, liberos dimiserunt.

SubTribunum Cratzenstenium Neomarcum versùs, Croatas, qvi in hac ora, Regiis à tergo infesti, stabulabantur, oppressum, Rex cum nonnullis eqvitum alis ablegârat: Verùm hi adventu hostium indicio bubulci retecto, tempori exitio se subduxerant. Ne ergò nihil omninò ageret, Casfellas, superioris Palatinatus cœnobium, & Phaffenhofium, arcem propè sitam, perrexit, hisq; vi expugnatis, integram Croatarum turmam, qvæ illic diverterat, ad internecionem penè cecidit: Reliqvis hinc inde dispersis, subTribuno hostium cum nonnullis aliis capto, & qvamplurimis Regiorum, qvi captivi illinc detinebantur, libertati restitutis. Duo qvoq; societatis (ut vocant) Jesu hic deprehensi: Qvorum alter Noribergam captivus vixit; alter, dum, Regiorum manus evadere satagens, præcipiti impetu è fenestra fertur, gulâ scopulo, cui cœnobium superstructum, impactâ, & ob desulturam nimis arduam fractâ, sibimet animam imprudens elisit.

Hæc Croatarum clades, nonnullorum Regiorum, qvi Sultzbacum, & eò locorum exploratum missi fuerant, clade pensata. Nam illi ad Hambacchum, haud procul Ambergâ, in adversariæ partis insidias delapsi, initiò qvidem, utut numero hosti impares, arma fortiter strinxêre; hostili insultu aliqvoties repulso: Sed tandem undiq; circumfusi, & multitudine obruti, ad octoginta morti occubuerunt: Paucis hostium furori fugâ subtractis, qvi de internecina sociorum calamitate referrent.

Non infelici tamen certaminis eventu adeò infracti Regiorum animi; ut, ancipitem excursuum aleam denuò tentare, dubitarent: Nec mora longâ inter-

intercesſit, qvando centum qvinqvaginta Croatas, qvi Neomarci hoſpitabantur, ad Rotenbacchum & Feuchtam obviam factos, adeò ferociter ſalutârunt; ut, qvinqvaginta eorum proſtratis, reliqvos caperent partim, partim diſpergerent. Qvi, hoſtium manus elapſi, lethiferam ruſticorum experiebantur ſævitiam: Ita ut oppidò pauci Neomarcum reverterentur.

Croatæ poſt hæc, ultionis cupidine æſtuantes, tramiſſo Regneſo, regiorum excubitorum ſtationem, verſùs Furtam & Stenium collocatam, ſed negligentiùs munia ſua obeuntem, nec-opinatò oppreſſêre: Integræ penè eqveſtris, è Tribuni Truchſeſſij Legione, alæ, ipſiusq; eqvitum Magiſtri, Fuchſii, nobilis à Bimbach, occidione ſociorum manibus parentantes.

Ad Heubacchum paulò poſt concurſum; æqvâ penè ſorte, & qvinqvaginta circiter militum hinc inde jacturâ: Sed, ob caſtrorum hoſtilium propinqvitatem, receptui ſignum à Regiis datum, &, ordinibus minimè laxatis, retroceſſum. Poſt aliqvot autem dierum ſpatium Rex, ſelectis aliqvot eqvitum turmis comitatus, ipſemet eò ſe contulit: In validam hoſtium manum, qvam antecurſores maturè detexerant, magno ſtatim ardore invectus. Nec fortuna ſpem ejus deſtituit: Hoſtibus, poſt acre certamen, & centum qvinqvaginta hominum ſtragem, campo depulſis.

Jacturam hanc in pabulatores vindicabat hoſtis, haud procul Furtâ ejus manus incidentes: Ducentis eqvis, nec non curribus onerariis aliqvammultis potitus; & reliqvos, effuſè fugitantes, ad ipſa Regis penè caſtra usq;, infeſto agmine perſecutus.

Opima iſtius prædæ illecebra ineſcaverat Croatas, ut eandem denuò fortunam periclitarentur: Captus ergò inſidiis haud procul Lauffo, in cœcis ſilvarum, locus. Nec mora: Apparuit mox eqvorum, curruumve non mediocris turba, Rotenbacchum verſùs pabulatum miſſa; inter qvos nonnulli ipſiusmet Regis proprii numerabantur. His Croatæ, è ſubſeſſa advolando, injicientes manum, retroacto gradu, qvà Engeldalam via eſt, abire cœperunt: Sed proſperum initium fortuna, arridere primùm viſa, obverſo ſtatim occipitio, diſpari exitu fœdavit. Increbeſcente enim rei famâ, illicò qvaqvaverſùs, qvi retrocedentes inſectarentur, miſſi. Nec veſtigia hoſtium diu latebant Regios: Qvi prædatores ſuos, admiſſis eqvis proſecuti, & aſſecuti, adeò duriter tractârunt; ut centum, & qvod excedit, terram oſcularentur, revomentesq; , qvam devoraverant, prædam, unà cum prædatitiis eqvis ſuorum magnam partem Regiis relinqvendo, per exigui temporis interuſurium ſatis grande penderent.

Et ejusmodi qvidem excurſus ac concurſus plures accidiſſe comperti: Qvos ſingulatim enarrare ut prolixum nimis, ita, qvia aut ſimili, aut minus memorando in partem ullam exitu contigerunt, haud operæ pretium foret.

Inter hæc tamen oblivione minimè prætermittenda Lichtenavi, arcis, qvæ Noribergenſium Civitatem Dominam agnoſcit, qvinq; ab Urbe milliaribus, qvà Onoltzbacum via eſt, diſſitæ, deditio; curatore loci, nullâ urgente neceſſitate, facta. Hæc etenim cauſæ fuit, cur Cæſaris Exercitus eò diutiùs ad Noribergam obſtinare, &, pede immoto, perſiſtere potuerit: Non ob commeatus illic reperti copiam; ſed, qvam ſubminiſtravit, alimenta, pabulumq; è vicinis locis tutò & ſine ambagibus convehendi, opportunitatem. Regis qvoq; conſilia hoc caſu aliqvantùm alterata. Qvippe, militiæ ſuæ robore è reliqva Germania appulſo, validas huc copias ad hoſtis latus collocare decreverat: Qvæ frumentatione & pabulatione ab hac parte prohibito caſtrorum movendorum neceſſitatem inferrent. Lichtenavum hoſti deditur.

Dum ad Noribergam bellum conſiſtit, Tupadelius Tribunus, qvem propè Neomarcum captum diximus, poſtliminio ab hoſte revertebatur, pacificis conſiliis onuſtus: Neq; hæc tamen, Rege parum fidem adhibente, ita felicem exitum ſunt ſortita, ac iſtud, qvod in hoſtem, eo ſuggerente, Rex cœpit.

Indicinam Regi fecerat de Fridlandiæ Ducis peno, qvem ex ſuperiori Palatinatu, diœceſi Aichſtetenſi, & contermino tractu Freiſtadii conges- Regii cõgeſtum à Cæſarianis Freiſtadii penſi peſſū dant

ferat, panis, farinæ, falis, & aliorum, id genus, copiâ instructissimo: Ita, ut ne mille qvidem curruum vecturâ asportari posset. Retulerat qvoq;: Jam aliqvot militum millia in procinctu stare, ad annonarias has species in castra deducendum. Rex ergò commeatus istius corrumpendi consilium iniit: Nec diu cunctandum ratus, qvarto Calendarum Augusti, inclinante ad vesperam die, eundem Tupadeliũ, cum draconibus suis, & nonnullis eqvitum turmis, eò ablegatum iit. Qvi, hoste dormire in utramq; aurem reperto, duo crepitacula portæ admovebat: Neutro, qvod debuerat, operante. Tertium autem appensum effectu non caruit, sed impetu portam refregit: Eodem momento, qvo dracones, scalis admotis, murum superaverant. Ita, irruptione ab omni parte factâ, qvicqvid occurreret hostile, trucidatum; oppidum direptum; armentorum ad mille capita abacta; &, si qvid asportatu facilè, militi in prædam cessit: Reliqvus conditus illic penus Vulcano consecratus. Nullâ Regiorum clade: Præterqvàm, qvod Johannes Kevenhüllerus, Baro, fratris subTribunus, à suismet per nocturnarum tenebrarum errorem, globo trajectus, periit.

Qvâ occasione Rex eosdem insigni clade, Sparrio capto, profligat.

Rex interim, de tuto suorum receptu solicitus, ut terga eorum suffulciret, cum qvingentis sclopetariis, & eqvitatus parte, castris, Burchtannum versùs, exierat: Ubi forte fortunâ evenit; in Sparrium, generalem sub Fridlandio vigiliarum Præfectum, incidere: Qvi octo alas Colloredicorum & Gonzagianorum eqvitum, vicena Croatarum vexilla, & qvingentos sclopetarios secum trahens, regiis pabulatoribus insidiabatur. Acre inter hos & regios antecursores certamen primò coortum, sed Regis, cum reliqva copia eqvestri præproperè subsidio suis accurrentis, adventu celeri fine terminatum: Fridlandico eqvitatu terga statim dante, &, laxatis ordinibus, hinc inde dilapso. Pedites verò hostiles, qvi opaca silvulæ vicinæ insederant, acerrimè restiterunt: Ita ut in primo certaminis calore Risius Tribunus, duoq; nobiles ex aulicorum ministrorum numero, Bojus alter, alter Cratzenstenius, proximè Regem, nec non plures alii infestis eorum pilis ceciderint. Rege autem nihilo remissiori ob id animo cum sclopetariis suis ingruente, superati, silvulæq; opportunitate, qvâ se texerant, expulsi sunt, & maxima pars ferro absumti: Ita ut Cæsarianorum tam eqvitum, qvàm peditum, ad sexcentos occubuerint. Nec pauci qvi in paludes ab hoste confugerant, subsidentium voragine hausti periêre. Sparrius ipsemet, dum in uliginoso ejusmodi loco latibulum qværit, à morione, individuo fortunæ utriusq; comite, proditus, unà cum Tertzkii subTribuno, qvatuor centurionibus, & aliis obscurioris nominis Ductoribus, nec non gregariis ultra centum, vivus in Regiorum manus venit: Fugientiq; eqvitatui tria insuper vexilla extorta. Rex in castra rediens, pedites singulos, ob strenuè navatam operam, singulis Joachimicis, ordinum autem Ductores, pro cujusq; statu & condicione, majusculâ vel minusculâ imagine suâ, auro effigiatâ, eqvitum deniq;, qvi vexilla hosti erepta obtulerant, unumqvemq; centenis Joachimicis muneravit. Supplicationes qvoq; solennes, cùm Norībergæ, intra Urbis mœnia, tum in præjacentibus Urbem castris regiis ob id habitæ.

Regiorũ expeditio contra rebelles in Svevia agricolas.

35. In Svevia, circa hoc tempus, Johannes Bannerius, & Bernhardus, Saxoniæ Dux, novos, illic exortos, motus, in qvos provinciales, feditionum flabro conciti, exæstuârant, pari violentiâ repressum ierant. Delectus qvoq;, in Wirtenbergensi agro habiti, &, qvi ad Ulmam hospitabatur, regius miles, sub Julii mensis ingressum, Wingarto aggressuræ impetu capto, aliqvot rebellium agricolarum centurias, vitâ mulctârant. Eo comperto, qvi Ravensburgum obtinebant, parem sortem veriti, nec Regiorum adventum præstolari ausi, ancipiti discrimini maturâ se subtraxêre fugâ. Qvo occupato Wangam porrò à Regiis itum, nec ultra qvatuordecim cives illic reperti: Reliqvis Bregentiacum præcipiti fugâ dilapsis.

Bavarus miles Fridbergam in

In Bavaria Cratzius, generalis rei tormentariæ apud hostem Præfectus, qvarto Nonarum Julii, Fridbergi oppidum,

pidum, exiguo milliari Augustâ Vindelicorum distans, incolarum, post regios milites (qvi non tam præsidii, qvàm protectionis causâ, & ita, ipsorummet incolarum bono, illic commorabantur) mero consopitos, portas ultrò aperientium, proditione, occupârat; sed occupatum mox iterùm deseruerat: Civium plerisq;, qvod, malæ conscientiæ stimulis agitati, debitam proditionis mercedem indubitanter se manere augurarentur, abeuntem secutis, & lares suos deserentibus.

potestate redigit.

Et Landsbergam.

Pridiè Nonarum Julii Landsbergæ qvoq; Urbem vi tentaverat Cratzius, & civium itidem, contra Regios intra mœnium viscera insurgentium, adminiculo expugnârat: Tribuno tamen Cochtitzkio (cujus dracones, pessimis modis hîc mulctati, vitâ penè omnes luerunt) cum ducentis circiter eqvitibus Augustam se recipiente.

Leopoldicus Fiessam.

Duæ insuper peditum Legiones, & una eqvitum, Leopoldicus miles, dicto Cratzio suppetias venientes, Fiessam adortæ, violentâ septem tormentorum verberatione integro triduò impetierant locum, Torsfioq; subTribuno, qvi hîc curabat, majoris globi impetu discerpto, pariter vi ceperant.

Ipsi Augustæ insidiæ nectuntur

Qvinimò nec ad intercipiendam ipsammet Augustam futelis ullis, aut clandestinis collusionum machinis ab hoste parcitum: Qvæ tamen retectæ ad irritum cecidêre. Prout, ultimo Iduum Julii, foramen in muro repertum, & ad subdola hæc consilia præparatus pons, latitudine ternis unà euntibus transitum præbente: Idq; solitarii loci recessu, tantæ capacitatis, ut aliqvot armatorum millia illîc, velut in subsessa, latere possent, donec prosiliendi tempus foret.

Fridberga à Regiis exuritur.

Sed jacturam à Cratzio illatam confestim resarcierunt Regii. Et Fridbergensium sanè perfidiam Johannes Bannerius inultam haud dimisit; milite nonnullo, simul ut turpe ac inhonestum hoc eorum facinus ad aures pervenit, Augustâ ablegato: Qvi muro & portis, reliqviis licet civium, ad extrema paratorum, in appropinqvantes acriter detonantibus, succedens, oppidum vi expugnavit; & trucidatis, qvicunq; virilis sexus obviam se ferrent, imbelli autem fœminarum & impuberum turbâ laribus exire jussâ, sceleratorum hominum sedem flammis ultricibus absumsit.

Landsberga recuperatur.

Landsbergæ porrò & Fiessæ recuperatarum honor Bernhardo, Saxoniæ Duci, obvenit. Landsbergæ enim vix, motis copiis, illum minitari auditum, qvandò Senatus & Primores Urbis, clavibus adversùm latis, genua ejus suppliciter advoluti, criminis suspicionem, qvâ nupera Urbis ab hoste facta occupatio eos asperserat, diluere conabantur. Id qvod salutem iis tulit: Abstinuit enim, precibus emollitus Dux Bernhardus omnem militum injuriam à secùs promeritis, Urbemq; aliqvot peditum cohortibus, & duabus eqvitum alis, præsidio pro tempore sat valido, firmatum iit.

Non multò post, ultimo nempè Calendarum Augusti, duæ Leopoldicæ draconum cohortes, & eqvitum turma, Roshaubti ab eodem oppressæ: Nec modicâ strage editâ, qvicqvid hostile ferrum effugere poterat, dissipatum, à signis recessit.

Ut & Fiessa.

Mox, gradu Fiessam promoto, Urbem vi expugnabat. Trucidati præsidiariorum primo fervore ad trecentos: Capti, unà cum signis suis, reliqvi ad centum supra mille; interq; hos nonnulli magnæ dignationis Ductores, nec non Comites ac Barones. Qvorum mille circiter regiæ militiæ nomina sua dederunt. Hoc infortunio totus penè Leopoldicus peditatus ad nihilum redactus, tantusq; hostibus terror injectus: Ut tres in montanis munitiones, versùs Erenbergi arcem à trepidis, regio milite necdum viso, desererentur. Imo periculum erat; ne Erenbergo ipso, & claustris montium, qvibus Tirolensis Comitatus obseratur, potiti Regii, Comitatum hunc armis irrumperent: Namq; omnia formidine istic & tumultu confundi, misceri; ipsemetq; Leopoldus ArchiDux, pretiosissimis qvibusq; convasatis, fugam potiùs qvam defensionem meditari. Sed receptus Bernhardi Ducis, hoc ipso temporis momento pariter cum Bannerio in Franconiam avocati, non præsenti modò hostem

hostem metu exsolvit, verùm etiam, recuperata nuper loca in ejus manus facili recidivâ relabi, fecit.

Fuldensiũ rusticorũ motus cõponitur.

Apud Hassos parum, intereà temporis, memorata dignum gestum: Nisi qvod Fuldensis dioeceseos agricolæ, qvi Landgravio tributarii hactenùs fuerant, utut ultra propriorum subditorum modum ab illo haud onerati, qvinimò mitiùs molliùsve adhuc habiti, turbonum qvorundam instigatu, arma arripuêre; Hassiacis delectibus hospitia ulteriùs præbere, & tributum pendere detrectantes. Sed præcocis ferociæ citò eos pœnituit. Landgravius enim hoc incitabulo proritatus, copias nonnullas confestim in rebelles mittebat: Qvi, congressi cum his, ad qvingentos conciderunt, reliqvis partim captis, partim hinc inde dilapsis. Qvod etiam, Pappenhemio, Trajecti ad Mosam obsidione liberandi, longiùs digresso, tractus hic hostilibus armis immunis esset, Landgravio, cum potiore militiæ robore, in Franconiam, Regi Sveciæ suppetiatum, eò faciliùs ire licuit.

Regii in Franconia undiq; contrahũt vires.

36. Nam Sveciæ Rex, simul ac ad Noribergam firmârat pedem, missis qvaqvaversùm, qvâ arma ipsius in Imperio florebant, citatis nunciis, supremis militiæ suæ Moderatoribus edixerat: Dispersis viribus in unum coactis, qvantumcunq; militum bellicæ necessitati, aliis locis incumbenti, re salvâ subtrahere liceret, in diœcesi Herbipolensi congregarent; Noribergæ mœnibus assidenti exinde futuri ad manum. Huic mandato obsecutus Regni Sveciæ Cancellarius à Rheni ora cum aliqvammultis eqvitum, peditumq; Legionibus, Christiani, Comitis Palatini, ductu, Herbipolim se contulerat. Gulielmus qvoq; Saxoniæ Dux, regias copias, qvæ per Thuringiam, Archi-Episcopatum Magdeburgensem, & conterminas oras hospitatæ hactenus erant, contractas adducens, Sweinfurtum jam tenebat. Nec minùs Johannes Bannerius, & Bernhardus Saxoniæ Dux à Danubio adventabant. Landgravius Hassiæ similiter, ut diximus, & cum eo selectus, nec contemnendus militum numerus, flexo illùc itinere, appulerat. Deniq; Augustus, Comes Palatinus Rheni, in hac rerum metamorphosi, qvâ tota belli moles in Regem devolvebatur, impensâ operâ ab Electore Saxoniæ impetrârat: Ut aliqvot eqvitum, peditumve Legiones, sub Baronis Hoffkirchii imperio, Regi subsidio mitterentur.

Augusti, Comitis Palatini, ad Electorem Saxoniæ propositio.

Augustus hic, Comes Palatinus Rheni, ut suprà attigimus, Ineunte mense Junio, qvandò Regi de Pacis tractatu inter Electorem Saxoniæ & Fridlandiæ Ducem relatum erat, & hostis redivivo à præterita tabe Exercitu, viribusq; integratis, Electoris finibus imminere videbatur, à Rege ad eundem ablegatus, ab initio id unicè egerat; expromtam Regis, vel integro Exercitu afflictis ejus rebus succurrere parati, operam offerendo: Ut ne Elector, formidine impulsus, præcipitem Paci animum adjiceret, & plusculum, qvàm par erat, aut è re communi Protestantium, Cæsari largiretur. Postulabat itaq; solummodò Regis nomine: *Sustineret paululùm, & intra defensionis cancellos subsisteret Elector, tantum Regi indulgens temporis; qvanto ad longinqvum ejusmodi iter, qvod cum Exercitu conficiendum erat, opus foret. Qvod ad pacis negotium, Regem nihil unqvàm hucusqve magis habuisse in votis, nihil majore ambitu qvæsiisse: Qvàm ut, Christiano orbe tranqvillato, & Imperio cumprimis Romano belli miseriis exonerato, optatâ qvietè domi qvisqve suæ frueretur. Nec sanè causæ qvippiam superesse; cur diversum intenderet, aut Pacem coeuntem interpellaret: Jamdudùm enim scopum, qvo collimârit, consecutum. Classem, mari baltico compedes minitantem, pessum dedisse; littora & portus à suspectis hospitibus, an hostibus, perpurgâsse; tot præpotentes Principes ac Ordines pristinæ restituisse Libertati, dignitative, & arma, qvibus se tutentur, à Cæsare excussa, reddidisse in manus: Adeòq; hoc ipso excitasse velut murum; qvi fines Regni, undiqve obeundo, protegat, & interjectu suo ab hoste disterminet. Ad hæc prolapsam Protestantiũ rem instaurasse,*

& principale adversariorum intentum reddidisse irritum: Salvoq; eapropter honore & dignatione regiâ, in Pacis tractatum posse descendere. Maximè, quod indubiâ spe ducatur: Beneficia, quæ in Protestantes largâ contulerit manu, ab iis, quorum hoc bello impræsentiarum intersit, debitâ gratitudine reapse eadem remunerando, non magis oblivione sepultum iri; quam ab Historiis & futura posteritate, gratâ mente recolendo, deprædicandove. Verumenimverò Regi hanc semper animo sedisse sententiam: In arduo & maximi momenti Pacis negotio, præcipitantiam, ut exitiabilem pestem, præcipuè vitandam; nec nisi magnâ providentiâ & circumspectione procedendum. In eadem adhuc mente perstare; non ob privatos respectus, quippe, sibi particulatim prospicere, in proclivi ipsi fore, sed unicè Protestantium in Romano Imperio causâ: Quorum salus & securitas nullo certo fundamento nitatur, nec solidum quid de Pace sibi quisquam polliceri possit; priusquàm universalis inter eos certis legibus ineatur societas, quæ pacta pacificatoria, contra Domum Austriacam & Pontificios fœderatos, eadem infringere forsan tentantes, armis asserere par sit. Id verò in hac rerum confusione, quâ Romanum Imperium jam laboret, haud ita facile factu videri; nec modicum requirere temporis intervallum. Conventum enim generalem omnium Protestantium indicendum, communiq; eorum consilio & suffragio singula peragenda: Priusquàm autem id fieret, inter Regem & Electorem de certis articulis, qui subsecuturo conventui fundamenti instar substernantur, tractandum, transigendumve; ne imparati ad conventum accedant. Aliter Regem, Pacis ineundæ auctorem esse, aut svasorem, nec posse, nec velle: Qvippè qui eminùs satis prospiciat; negotio præcipitato, & Pace, ante initam ejusmodi societatem, quæ consilia consiliis, vires viribus, media mediis hostilibus opponat, conventâ, recidivam morbo, & ultima primis longè periculosiora fore. Itaque hoc casu suum testari dissensum, & eo ipso omnium malorum, quæ Protestantibus indè suboritura sint, coram DEo, hominibusve à se amoliri causam ac culpam. Regem optimâ hac intentione in medium afferre: Ut communi Protestantium bono, & Romani Imperii saluti consulatur. Nam si privato suo velificaret commodo, tot, per DEi gratiam, opulentas in potestate habere provincias; devictorum Pontificiorum spolia: Ut, earum possessione decedens, haud difficulter sibi quietem à Cæsare emercari, Pace bellum mutare, & condiciones ejusdem pro voto obtinere possit. Malle verò, solo affectu & solicitudine, quibus communem causam complectatur, ductum, continuare vel maximo suimet ipsius incommodo bellum; quàm cum publicæ rei detrimento & exitio, particulari Pace ac quiete frui. In Regem itaque firmam hac parte Elector collocaret fiduciam, nec præproperâ festinatione tractatum Pacis præcipitaret; multò minus, nisi præscio & consentiente Rege, summam iis imponeret manum: Oblatas à Fridlandio condiciones, intentionis ejus expiscandæ, audiendo quidem; nil tamen certi & definiti respondendo, sed totum negotium ad aliorum fœderatorum, Regis, Principum Ordinum communicationem rejiciendo. Ante omnia armorum curam ne deponeret: Sed Exercitui novis delectibus supplendo & augendo strenuè insisteret, nec commoditatum, quæ, aspirante summi Numinis favore, in hostico adeptus esset, possessione cederet hosti. Adversariam enim partem præcipuè satagare videri: Ut, tempus tractatus pacificatorii prætextu lucrati, Protestantium animos, nondum satis coalitos, disjungant, Electori hac arte arma manibus extorqveant, &, adversantibus ventis rectâ viâ cursum tenere prohibiti, prolato parumper pede transversam captantes auram, mutatâq; velificatione portum destinatum consequantur. Si tamen Electori, occasionem Pacis ineundæ hac vice neutiqvàm intermittere, fixum stet, renudare Regi ne gravetur animi sui sensa: Qvomodò in ancipiti hoc negotio judicet sibi procedendum; ne excidat

dat stabilis, fide, & omnium votis expetitæ securitatis effectu. Singulatim autem (1.) An Elector universalem inter partes utrinque belligerantes Pacem, an particularem pro se tantummodò transactionem cum Cæsare intendat? (2.) Siquidem illi universalis Pax cordi, qva ratione Regi & Coronæ Sveciæ, pro injuriis ac damnis illatis factisq; sumtibus satisfieri posse, opinetur? (3.) Qvibus mediis aliorum in Imperio Ordinum saluti ac commodo consulendum; & cujus postulata ejus ponderis existimet Elector; ut, illis à Cæsare non admissis, Pacis telam abrumpi, bellumve continuari fas sit? Deniq; (4.) qvo vinculo initæ Pacis transactionem, ne adversariorum dolo culpâve iterùm fatiscat, connodandam arbitretur? Regem certâ niti in Electorem fiduciâ: Separatim haud descensurum in Pacis, seu universales, seu particulares tractatus, verùm omnia unanimo Protestantium Ordinum peracturum consensu. Spem ad hæc fovere indubiam: Cùm Electorem, tum alios protestantes Ordines, ubi ad universales Pacis tractatus res devenerit, eò curatiùs & solicitiùs ad debitam ac sufficientem satusfactionem consequendam Regi operam daturos; qvo perspectius ipsis sit (1.) Principes ac Ordines bonis partim suis penitissimè fuisse exutos; qvæ Rex, ab hoste recuperata, jure velut belli possideat: Partim (2.) territorio omni occupato & valide insesso, ita pressos, ut præter nudum Domini nomen vix qvicqvam iis manserit reliqvum; qvorum diciones pariter, expulso hoste, Rex in potestatem redegerit. Qvinimò (3.) non defuisse, qvi in apertam adversùs Regem, ejusve Coronam erumperent hostilitatem: Pro hostibus idcircò jure, merito habendi. Electori quidem Saxoniæ, & Gulielmo Hassiæ Landgravio, in nullo hostibus obnoxiis, & pro se arma indutis, non habere Regem, qvod imputet; haud tamen (4.) ambigere: Qvin Elector, suppetiarum latarum memoriâ, Regis desiderio, ad consequendum justæ satisfactionis scopum, quantum pote, fideliter cooperaturus sit. Nam (5) reliqvos Ordines qvod concernat, penè omnes, ut qvi, hostilia arma favore prosecuti, contra Regem (sub qvocunqve tandem prætextu) milite, pecuniâ, re tormentariâ aliis eadem instruxerint, nec inde destiterint nisi vi compulsi, ut hostium auxiliatores stricto jure tractari posse. Demùm, (6.) nonnullas, à Rege occupatas, provincias sine controversia hostiles censeri, Regis ex professo hostibus vivido armorum robore extortas: Qvæ eapropter, tanqvàm bellicæ occupationis titulo acqvisitæ, absolutè ac omni ad Regem pertineant modo. Non tamen Regem hæc adducere in medium, qvasi universa & singula, armis parta, armis mordicùs sibi asserere decreverit; sed potiùs ut Electori ob oculos ponat, qvæ & qvanta acqvisita ipsius jura sint, nec non ansam eidem præbeat, animi sui mentem eò promtiùs aperiendi: Qvòusq; Regem prætenso juri suo insistere, aut de eo remittere, è re communi arbitretur? Malle enim cum his, qvorum bello præsenti intersit, tolerabili & amico modo transigere, qvàm nimiopere se iis exhibere gravem: Modò, pro tot præstitis offitiis, non cum contumelia se dimissum, aut ludibrio, gratitudinis loco, habitum iri, securus reddatur. Prætereà, qvia necessitas summa flagitet, societatem, ut dictum, cui velut firmæ basi totà Pacis structura innitatur, inter universos Protestantes contrahi; uno ad clavum sedente, & rerum administrandarum summæ præfecto: Regem ejus esse sententiæ; modum, qvo hòc corpus solidè formetur, repertu facilem, & de eo consilia sua expromere paratum, modò Electori priùs collibeat edissertare; qvo numero Regem hoc in articulo habendum putet? Num, ut Fœderatorum præcipuo, belli & Pacis arbitrium concredere haud abnuat; collato in illum absoluto fœderis, rerumq; à fœdere dependentium moderamine? An, præstitâ Regi debitâ, inju-

injuriarum, damnorum, sumtuum intuitu, satisfactione, & sic in sua, atque ad suos se recipere permisso, arctius quidem cum Regno ac Corona Sveciæ fœdus inire, administrationẽ verò rerum omnium uni Magnatum Germanorum, qui velut princeps ac caput fœderis ad hoc electus fuerit, demandare, consultius, & è re Patriæ magis arbitretur?

Hanc regii Legati propositionem, dum, qvi Electori ab interioribus consiliis erant, crebrò sub deliberationis incudem revocant, rerum interim status subitò in tantum mutaverat: Ut Legatus, certas à Rege suppetias Electori anteà pollicitus, nunc, mole totius belli ab hoc in illum aversâ, easdem pro Rege suo ab Electore postularet. Nec frustrà, ut memoravimus, fuit: Qvin spes etiam illi facta; necessitate flagitante, Electorem cum universo Exercitu & omnibus viribus præsto Regi fore.

Electoris Saxoniæ responsũ

Responsum qvoq; ab Electore, penultimo Iduum Julii, obtinuit, seqventem in formam. *De oblatis ultrò auxiliis Regi gratias ex animo habere Electorem, eamq; promtitudinem agnoscere, pro indubio sinceri, nec fucati ergà se affectus, & curæ haud proletariæ signo: Qvo animo ut Rex constanter perseveraret, maximoperè rogare. Pro tempore autem, qvod, hoste cursum aliò, qvàm qvo instituisse videbatur, flectente, & totâ mole in Regem ingruente, ratio belli insignitè mutasset, pari fidelitate usurum, &, dummodò reliqvus Cæsaris miles, è Lusatia discedens, diciones suas imminentium periculorum metu aliqvantulùm exsolveret, ipsummet cum universo Exercitu venturum suppetias: Interim præmittere copias nonnullas in antecessum, reciprocæ fidei testes; qvæ gradum jam moverint, & in itinere sint. Pacificatorio tractatu nunqvàm non intendisse piam, tutam, & universalem Pacem: Certamq; de reliqvis Protestantibus, periculorum & utriusqve sortis complicibus, fovere fiduciam; Pacem iis qvoqve, ut Christianos & æqvos rerum arbitros decet, cordi fore, Pacis hoc opus summo nisu promoturos, nec qvicqvam, qvod sufflaminaret, injecturos remoræ. Reliqvos propositionis regiæ articulos, qvo accuratiùs cogitationum libellâ examinet, eò majoris reperire momenti: Et, qvò longiùs insinuet huic labyrintho mens animi, eò pluribus, viam inde emergendi intercludentibus, irretiri difficultatibus. Qvoad particularia Regis postulata, & prætensum jus, grato animo acceptare, qvod Rex ipsum inde eximat. Regis etiam in consummatione fœderis factam promissionem manifestò præferre, ad qvid Electori se obstrinxerit. Qvousqve verò cum uno, alterove protestantium Ordinum transegerit, & qvænam pacta reciprocè inter eos inita, nescium Electorem, nec de eo unqvàm certiorem factum. Qvia tamen, ut pius & laudabilis Rex sæpiculè contestatus sit, expeditionem hanc suam Ecclesiæ periclitantis, & oppressorum Ordinum liberandorum, nec non profanæ Libertatis, Imperiive in suo statu conservandi, susceptam: Proculdubio etiam eo confidere universim Ordines, firmæve velut innixuros anchoræ. Nec Regem præterire, si diversum experiantur, qvàm tristes in cogitationes & meditamenta sint dilapsuri. Regem itaqve hac in parte ita nullibi non se gesturum; prout sublime & regium ejus nomen, famaq;, tum æqvitas, amor etiam, amicitia, affectus, qvibus Protestantibus addictus sit, efflagitent: Et eo ipso magis & magis obligaturum Imperii Ordines ad mutui amoris gratitudinisq; debitæ redhostimentum. Adversariam verò Pontificiorum factionem, & stricto ense, manuq; armatâ ereptas iis, provincias qvod concernit, belli quidẽ jura vulgò nota: Nec tamen minùs Regem, pro eximia, quâ polleat, prudentiâ, circumstantias omnes circumspectè pensi habiturum, & id qvoqve imprimis; qvod media, nõ extrema Pacem operentur. Electorem, incidente ejusmodi tractatu, eò consulta sua semper direxisse, & in eam descendisse sententiam; ubi de Pace agitur, condiciones possibiles ac tolerabiles proponendum: Ut, Pacem reverà cordi esse, nemo non sentiat. Nam si impossibilitatem, aut nimiam difficultatem involvant, effectu plerùmqve destitui. Regem itaqve hic etiam desideria sua ex bono & æqvo moderaturum. Nec minus tamen honestati ac æqvitati consentaneam, imò omninò necessarium censere Electorem: Huc à Protestantibus consilia dirigi; ut Regi, qvantum & æqvum, & factu*

& factu possibile, re ipsâ satisfiat. Gnaviter qvoqve Regis intentioni cooperaturum: Qvatenùs conscientiæ, honoris, & dignitatis ratio permissura sit. De regula, ad qvam tractatus Pacis amussitandus, arduæ rem quæstionis videri: Qvæ omnium Protestantium in Imperio Ordinum salutem universim, & singulatim concernat. Non satis Electori constare, qvæ Ordinum qvemqve necessitas speciatim urgeat: Adeòq; accuratâ morbi cognitione destituto nec de remediis exactè disserere licere. Qvinimò haud injuriâ metum esse; si Elector cogitationes suas hoc in articulo patefaciat, alios Ordines ægrè laturos, nec nisi varia variorum sinistra judicia ipsi operiendum. Aliàs haud in occulto haberi, qvæ in conventu, Francofurti celebrato, protestantium Imperii Ordinum à Pontificiis postulata fuerint: Qvod si, adjicere his nonnulla è re Ecclesiæ & publicæ qvietis videatur, de eo in loco futuri congressus meliùs consultum iri. Electorem nupero Regis Legato, Comiti Solmensi, mentem suam hac de re partim explicâsse, & , ulteriùs, eò collimandum, arbitrari: Ut dubiis, qvæ circa intellectum Pacis religiosæ exorta, enodatis, & jure Pontificiorum, in bona ecclesiastica, à Protestantibus antehac occupata atqve possessa, prætenso, solenni renunciatione in perpetuum sublato, Augustanæ Confessionis exercitium etiam in Pontificiorum territorio, si impetratu id possibile, liberum relinqvatur, eamq; professi nullâ afficiantur molestiâ; gravaminibus porrò Imperii, qvæ in Politicis enata, congrua adhibeatur medicina, providè tamen instituto inter publica & merè privata discrimine; Justitia, jurisq; dicundi facultas instauretur; fundamentales ante omnia Imperii Leges, aliæve saluberrimæ Constitutiones, ac antiqva Germanorum, exteris indigenisq; hactenùs decantata, Libertas, reflorescant; universalis amnistia & præteritorum oblivio sanciatur; omnibusq; ac singulis protestantibus Imperii Ordinibus, pristina dignitas, jura, feuda, diciones, nec non subditis eorundem, & unicuiqve honor, existimatio, fortunæ, bona, sarta, tecta conserventur. Ne Palatinam qvidem causam silentio prætereundam; sed, qvò omnia dissidiorum ac diffidentiæ semina funditùs exstirpentur, amicâ compositionis viâ, ex bono & æqvo, decidendam. De tertio articulo haud commodè hîc specialiter sermonem seri, priusqvàm Pacis opus jam sub incude ferveat: Ubi qvisqve Ordinum, qvid Pacis condicionibus inseri velit, & qvibus rationibus desideria ejus nitantur, in medium adducturus sit. Ubi tamen, ut jam antè monuerit Elector, inter publica & merè privata magnâ dexteritate discernendum: Maximè cùm privatis qvorumcunqve necessitatibus, Justitiâ decenti æqvilibritate administratâ, abundè succurri qveat. Qvarti qvoqve articuli momentum eòusq; dum ad tractatum deveniatur, qvàm optimè rejici: Qvodnam, nimirùm, humanæ rationis & prudentiæ acumine excogitari possit securitatis & firmandæ Pacis vinculum? Num communiter usitato acqviescendum; an ulteriùs qvid postulandum? Et qvo modo ac moderamine in scrupulosa hac via procedendum? Electorem qvidem in ea manere opinione: Non in ipso statim tractatus limine nova jacienda diffidentiæ semina, aut adversæ parti præbendam armorum retinendorum ansam: Id qvod manifestò hoc casu fieret. Si enim una pars in armis perseveret, nec alteram depositurum, adeoq; continuò armis oppositum iri arma: Qvod ut noxium, & novorum dissidiorum incentivum sit, ita Ordinibus Imperii, jam anteà immani sumtu exhaustis, prægrave fore. Qvin potiùs, ut hactenus reducendæ Pacis ac tranqvillitatis nulla expeditior visa fuerit via; qvàm si, armis omninò depositis, & fœdere Pontificiorum dissoluto, fundamentalibus Imperii Legibus, alisve salubriter placitis Constitutionibus, tum singulorum Circulorum statutis, atqve exsecutionis (qvam vocant) ordinatione contentus qvisqve viveret: Ita imposterùm qvoqve perniciosis qvorumcunq; machinationibus gloriosè, & felici successu obviam itum iri, si eadem Imperii norma examussim observetur, & nascens malum in herba supprimatur. Nec oblivione tramittendum, qvod antehac necessarium, ut qvàm maximè habitum: Ne ulli militum delectus in Imperio habeantur, aut haberi permittantur; nisi prævio omnium Ordinum, scitu, consilio, assensu. Et si qvæ aliæ pru-

prudentes ejus notæ considerationes: Qvas futurus tractatus & deliberatio, ubi ad articulum de firmanda Pacis securitate ventum fuerit, ultrò sint suppeditaturi. Deniqve, ultimò, consultum & è re Protestantium omninò arbitrari Electorem: Ut parti adversæ de Pacis tractatu absqve ulteriori mora assensi Protestantes, locum eidem ac tempus præstituant, & de Mediatoribus qvid animi ipsis sit, primo qvoqvo tempore declarent.

Electoris Brandenburgici de Regis intentione judicium & sententia.

Qvanqvam verò Saxoniæ Elector Regis sententiæ, de universali Protestantium conjunctione, certâq; & statâ inter eos militiâ ordinandâ, astipulari, in animum neutiqvàm induxerit, Brandenburgicus tamen calculo eandem suo per omnia approbatum ibat: Simulac, qvid Augustus, Comes Palatinus Rheni, Saxoni proposuisset, compertū haberet, misso Gerhardo Romiliano à Kalckhun, Leuchtmari cognomine, Regi, inter alia, significans. *Insigni affici lætitiâ, qvod viderit: Utilissimos ac saluberrimos Regis monitus ad Saxoniæ Electorem; tùm de Pacis tractatu in se, prævioq; Protestantium conventu, & transactione cum ipsomet Rege ineundâ, tùm de fœdere inter Protestantes mutuo, nec non cum exteris qvoq; Regibus, Principibus, Rebuspublicis contrahendo, ordinandâq; statâ militiâ, pulchrè congruere cum mente sua; qvam constanter hactenus foverit, & Torgæ pronuper eidem Saxoni, pluribus repræsentatam, ob oculos posuerit. Nec Regis intentioni defore, sed pro virili sua parte cooperari paratum. Interim iterùm, iterumq; rogare Regem; ut, qvamprimùm de loco & die certo, seu ipsi Pacis cum adversa parte conciliandæ tractatui, seu prævio Protestantium conventui, præfiniendis statueretur, maturè de eo fieret certior: Qvò & ipse, rebus domi ordinatis, tempori adesse, & promovendo arduo huic maximiq; momenti negotio, cui haud libenter subtrahere se vellet, adjutabilem, seu manuum, seu mentis potiùs operam admoliri, potis esset.*

Augustus Palatinus vitâ defungitur

Sed Lectori hæc dijudicanda relinqvimus. Augustus interim, Comes Palatinus Rheni, qvia ab Electore Saxoniæ nil qvicqvam specialioris responsi præterea impetrari poterat, vale ei dicto, in Franconiam properavit: Unde ad Regem tot Exercitibus, qvi eòdem pariter tendebant, comitantibus, pergentem, & legationis rationem redditurum, fata Winshemi in itinere, immaturâ morte occupando, præverterunt. Princeps fuit, non tam corpore, qvàm excelsâ animi indole insignis: Qvem, ut magnæ molis capacem, præ aliis Germaniæ Magnatibus suspexerat Rex, & maximi momenti negotiis admoverè destinârat; adeòq; inopinatò ereptum eò magis luxit. Löfflerus tamen, qvem Rex Augusto à consiliis adjunxerat, ad eum reversus, legationis acta referendo, partes ejus hac vice supplevit.

37. Regiæ enim copiæ, & Fœderatorum protestantium auxilia, ex omnibus penè Germaniæ angulis Mœnum versùs, Julio mense, confluxerant: Qvorum adventu, cum hostilium excursorum longè latèq; divagantium turmis, crebris velitationibus certari cœptum.

Exigua inter Regios, ad Mœnum tendêtes, & Cæsarianos certamina

Qvinto Iduum Julii primo diluculo Cæsariani nonnulli, misti eqvitibus pedites, ex eorum, qvi Forchemi servabant, numero, Comitis Castellensis arcem, ubi frumenti & aliarum annonariarum specierum insignem copiam, nec non pretiosæ aliqvid supellectilis asservari nôrant, de improviso irrumpentes, diripuerunt, comminutisq; assulatim, qvæ ferri injuriam admitterent, miserandum in modum deformârunt. Ita ut damnum datum ad ducenta florenorum millia æstimatum fuerit. Sed hi qvidem à Regiis Kitzingâ illò venientibus, pulsi loco, parsq; prædæ iis extorta. Successit mox, abeuntibus Regiis, & arcem præsidio vacuam relinqventibus, alia satis valida hostium manus: Nec diu tamen ibi nidulari potuit. Qvatuor enim draconum cohortes, à Christiano, Comite Palatino Rheni, eodem ablegatæ, nido eos exturbabant: Ad centum qvinqvaginta vitâ, & triginta, qvorum vitæ parcitum, libertate mulctatis.

Haud dispar Cæsarianorum, qvi Marckeinershemi diverterant, fatum. Nam & horum inopinatò invadendorum

rum

rum consilium Regii, Kitzingæ commorantes, feliciter satis ceperant: Ita ut, viginti qvinq; cæsis, partem eorum captos, unà cum eqvitum vexillo secum abducerent. Arriserat tamen Cæsarianis adeò loci genius: Ut, post Regiorum discessum eundem repeterent, & numeriosiore manu insiderent. Sed dum nihil minùs, qvàm hostium irruptionem timent, & in utramq; dormiunt aurem, à Gulielmo Hassiæ Landgravio, qvi cum qvingentis eqvitibus in eos moverat, subitò oppressi, securitatis nimiæ pœnas dedêre: Centum circiter obtruncatis, ad trecentos unà cum duobus eqvitum vexillis hostium potiti.

Interim alius hostium globus Bambergâ, qvo loco stativa habebat, Swinfurtum versùs excurrens, nocte, qvæ decimum qvintum Calendarum Augusti secuta, Hasfurti oppidum (paucis Regiorum draconum, qvi isthîc commorabantur, nullâ factâ jacturâ, Swinfurtum se recipientibus) occupârat. Qvi tamen, Regiis valido agmine ingruentibus, imminenti malo prævertendum rati, non hoc modò oppidum, sed ipsam qvoq; Bambergam, priùs expilatam, desertum ibant: Forchemi tutum qværentes receptum.

Decimo tertio Calendarum Augusti, regius Tribunus, Torsto Stalhantschius, ad explorandum præjacentium camporum æqvor Kitzingâ cum qvatuor Finnonum alis missus, Cæsarianorum turmas nonnullas, currus ultrà centum, frumento onustos, in castra deducentes, ad Uffenhemum forte fortunâ incidebat. Qvâ occasione infestis, nullâ morâ interpositâ, animis, armisq; concursum: Sed Cæsarianorum fortuna mox inferior extitit. Hi itaq; receptus locum circumspicere: Qvem Uffenhemi arx præbere qvidem visa; sed infidum. Regii enim, fugientium vestigiis pressè insistentes, eodem impetu irrumpere, & trecentos hostium, concidere partim, partim vivos capere: Frumento, qvod diximus, Kitzingam secum avecto.

Penultimo & ultimo Iduum Augusti, universus Exercitus, qvi, Regi suppetiatum iturus, ad Mœnum convenerat, in unum congregatus, lustratione prius habitâ, & qvindenis peditum, novenis eqvitum millibus recensis, pontem, qvo Mœnus jungitur, transmisit, Winshemumq; iter intendit.

Johannis Sparrii & Nicolai Hornii obitus.

Hîc loci, post Exercitus adventum, præter Augustum, Comitem Palatinum Rheni, (ut suprà attigimus) Johannes Sparrius, Regni Sveciæ Senator, nec non Moguntinæ diœceseos Præfectus, fato suo functus. Pariter qvoq; Carolus Hornius Regis ad Stralsundenses Legatus, & citerioris Pomeraniæ Gubernator, qvem Rex inde ad se exciverat, gravi morbo implicatus, pedem illic figere cogebatur: Ubi, prævalente morbo, undecimo Calendarum Septembris, extremum diem clausit. Cujus utriusq; exuviæ in Sveciam indè postmodum translatæ, & patrii soli, ut genuinæ matris, sinui illatæ.

Regii, castris promotis, Domino suo ad Norimbergam junguntur.

Triplex Winshemo Regiis, porrò tendentibus, aperiebatur via: Rege ipso præmonstrante, & literis qvasi præeunte; nec minùs tamen, qvam harum inire mallent, libero ipsorum relinqvente arbitrio. Certi qvid enim iis præscribere haud consultum duxerat: Qvod circumstantiarum, in horas variantium, ignarus, consilia eorum æqvè interturbare intempestivo forsan imperio, ac ad optatum eventum dirigere posset. Id tantùm admonuit: Caverent, ne iniqvo loco deprehensis manuum aperto marte conserendarum necessitatem imponeret hostis; sed, opportunum semper stativis locum deligentes, Reductibus confestim, qvantum opus foret, eundem circumsepirent, & ex una munitione castrorum in aliam transeundo, continuo velut vallo clausi progrederentur. Trium autem qvas diximus viarum prior Neostadium ad Æstum ducebat, & per Auracensis convallis tractum, Emskircam, inde Auracum Ducis, tum, qvæ Bruccæ est, amnium confluentiam usq;: Ita, ut Auraci fluentum dextrum viantium latus continuò præmuniret, castraq; Bruccæ demùm locarentur. Hæc qvidem via Regi tutissima omnium visa: Qvippè, simul ac Bruccam attigissent, conjunctionem cum Rege ab hoste præpediri, im-

ri, impossibile fore. Altera via Onoltzbacum, Rotam, hinc deniq; ad Regem erat: Sed, qvod Lichtenavum ab hoste possideretur, & Onoltzbacũ qvoq; valido præsidio ab eo insessum iri metus esset, difficultatibus suis haud carens, adeòq; vix tentanda. Ultima earum, qvam utrâq; priorum incommodiorem Rex judicabat: Si Regii, rectâ ad hostem euntes, castra, hostilibus castris collata, munirent.

Hostis autem seu intra stativa & vallum se contineret, seu proximantibus occurrere animum induceret, in utrumq; eventum instructa jam reperiebatur consilii machina. Primo casu de conjunctione nullus ultrà scrupulus. Posteriori à Mœno venientes Regii, loci opportunitate tecti, unicum saltem sustentarent diem: Regi enim, hoste movente, unà movere, tergoq; abeuntis inhærere, decretum. Qvod si hostis retrò in ipsum frontem verteret, aut, idoneo statu capto, impetum ejus eludendo, conjunctioni aperturum viam; aut aciei etiam & conflictus facturum initium. Verumenimverò exactissimè tunc suis observanda temporis & occasionis momenta: Ut, simul ac Regem hosti misceri inaudirent, simul ipsi ab altero latere eundem adorirentur. Re tamen cum Rege prius communicatâ: Aut, si hostium vagabundorum discursus, ac intuta viarum id prohiberent, arrectis ad binos tormentorum displosus, qvibus Rex, Svecico more, signum pugnæ esset daturus, auribus.

Sed cura hæc, pro tempore supervacua fuerat: Hoste in castris ad Regiorum motionem immoto. Qvi, priorem viam ingressi, ipsis Idibus Augusti Neostadium ad Æstum, indè porrò Bruccam, unico milliari Noribergâ distantem, contendebant: Regi postmodùm, ne minimo qvidem obstaculo ab hoste injecto, juncti.

Postqvam conjunctio regiarum virium hac ratione ex voto processerat, Noribergæ, & regiis in castris gratiæ ob id Deo Opt. Max: solenniter actæ, atq; pro felici imposterum successu institutæ supplicationes. Rex verò, qvi Civitatem immensæ hominum, eqvorumve multitudini diu alendæ haudqvaqvàm parem esse noverat, eò summâ ope incumbendum sibi censuit: Ut hostis è castrorum munitionibus in apertum campum, & aciem æqvo marte depugnandam, pelliceretur.

Modico itaq; temporis spatio militi ad qvietem dato, duodecimo Calendarum Septembris, è castris in planitiem præjacentem progressus, Exercitu in aciem directo, pugnandi copiam hosti fecit: Sed hic valli sui munimentis delitescebat; vix paucis aliqvot levioris armaturæ turmis ad velitandum emissis. Et ne hæ qvidem obstinatis ad certamen esse animis: Regiis paulò viciniùs & acriùs ingruentibus, citò in castra pedem retrahere visæ. *Rex in hostem rectà vadit.*

Inter ferias isthæc pugnæ præludia, Johannes Bannerius à sclopetario adversæ partis, qvi in vicina silvula occultè subsederat, brachium læsus est, globulusq; intra ossa fixus remansit; adeò eum affligens: Ut, ancipiti vitæ conservandæ spe, graviter decumberet; lentoq; indè langvore contracto, Regis ac Patriæ rebus, militarive functioni, miles alioqvi, & animo, & manu strenuus, longulè satis superesse non posset. *Ubi Bannerius graviter vulneratur.*

Nocte, qvæ hunc diem seqvebatur, suggestibus aliqvot, è regione castrorum hostilium, in altiusculo, unde in ea despectus, loco exstructis, Rex postridiè octodecim, partim dimidiatis, partim dodrantalibus, machinis acerrimè in eadem detonuit. Numerati hac vice ad septingentos ictus: Qvibus papiliones, magalia militum, currus, impedimenta, & qvicqvid globorum circumvolitantium violentiæ se objiceret, prosterni ac pessum dari eminùs conspectum. Miles autem hostilis pars vallo, qvo cincta castra, ad ejusdem defensionem, & repellendam Regiorum (si qvam fortè tentarent) impressionem, proximè successerat, eoq; tectus latebat: Pars, eqvitatus maximè, in remotiorem silvam, versùs locum, qvi, atroci aggressurâ paulò post secutâ, multorum sangvine irrubuit, retractus, vim tormentorum effugit, minùsq; ob id detrimenti sensisse, compertus est. *Rex castra hostilia tormentis oppugnat.*

Animadverso autem, frustrà illic de hoste munitionum suarum statu *Demùm à diversa parte sum.*

tormen-

mivi impressio fit. tormentis dejiciendo laborari, nec locum hunc castrorum hostilium, qvem Regnesus interfluens alveo suo velut naturali fossato, præcingebat, oppugnationi satis commodum: Rex diuturniorem hic moram trahere haud consultum ducens, aliâ rem aggredi viâ instituit. Decimo itaq; Calendarum Septembris, Exercitu Furtæ, qvâ paulò antè hostem ejecerat, Regnesum traducto, castra hostilibus castris propè ac intra tubi longioris jactum conferre decrevit: Ex ipsa propinqvitate commodum hosti confundendo momentum aucupaturus. Accidit autem, eodem tempore ab exploratoribus referri: In receptu hostem jam esse; nec, nisi paucas Legiones, qvi sociorum terga tuta præstarent, in castris residuas. Qvo relatu inductus Rex, militem eò propiùs hostili vallo admovere perrexit. Verumenimverò exploratores, hostium, non castris excedentium, sed hospitiorum metaturam tantùm permutantium, specie falsos, falsa qvoq; retulisse, re ipsâ compertum. Subierant nihilominùs Regii qvàm proximè hac ratione hostilia castra, & acerrimis in prælium ruebant animis: Unde, nono Calendarum Septembris, ingens, atrox, sangvinolentum certamen coortum; cui simile qvippiam & comparandum, vix præsentium viderat ullus, aut fando audierat. Tantus non tam grandiorum tormentorum (qvæ rarius hic insonuêre) qvàm longiorum tuborum fragor propè versantium aures perculit; ut rumpi cœlum, moveri terra, omnia elementa misceri viderentur: Displosibus non aliqvo intervallo interruptis, sed continuo velut tonitru, & tenore uno reboantibus. Et sanè vehementiam conflictus arguit, qvod à Regiorum parte solùm ad ducenties penè mille glandes plumbeas in hostem promissas, è rei tormentariæ rationario constiterit. Supercilium montis densâ, sed perpetuis ignibus interstinctâ, pulverulenti fumi nube, & vapore nebuloso obtegebatur: Adeò, ut arborum & montis ipsius conspectus procul contuentibus eriperetur. Primum impetum albæ Legionis Tribunus, Gulielmus Burtius, dedit. Burtio autem in crure supra genu præproperè vulnerato Ericus Handius Tribunus successit, cum aliis expertæ fortitudinis Ducibus: Qvos inter Leonhardus qvoq; Torstonis, qvi rei tormentariæ, id temporis, Præfectus, Campiductoris titulo nunc, non tam honore, qvam factis inclytus, claret, numeratus. In hos eqvitatus hostilis è castris repentè se effudit, & perturbatos non leviter afflixit. Inter alios dictus Handius, gravi vulnere, ex qvo postmodùm obiit, saucius, & Leonhardus Torstonis, hostium potiti. Nec Regiorum tamen ardor hoc infausto fortunæ initiamento refrixit, sed, hoste mox in castra represso, majori vi recruduit impetus: In tantum, ut acerrimus hic conflictus (in qvo regii peditatus, in planitie castris hostilibus subjectâ unà cum eqvitatu tendentis, sclopetarii, secundùm Legionum ordinem, labore vulneribusq; confectis animo ac corporibus recentes, invicem sibi succedebant) ab octava matutina ad serum usq; diei, & ita per decem penè horas integras, uno protelo, nullâ intermissâ qviete, continuaret.

Fervente hac parte qvam maximè prælio, Rex ad Regnesi flumen in silvula septingentis sclopetariis stationem assignârat: Et hi in planitie, inter dictam silvulam atq; hostilia castra cum hostibus velitari cœperant. Eòdem loci Rostenius Tribunus, cum propria eqvitum ala Regis jussu, excubabat; Cui & ipsi, ne, aliis satagentibus, nudus esset spectator, cupido hostilium sclopetariorum invadendorum incessit: Sed repressa mox, ictu in crure accepto; qvapropter ordines linqvere, & ad vulnus obligandum secedere coactus est. Eqves autem, Duce destitutus, ubi Cæsarianorum manus ingruere conspecta, animis ordinibusq; vacillantibus, campo toto cedebat: Ni Rex, id conspicatus, Torstonem Stalhantschium cum ala Finnonici generis, iis misisset suppetias. Stalhantschius enim hostem, turbatis instantem, adortus, magnâ violentiâ retudit: Vicissim in fugam conjectum, ad usq; castrorum munitiones, admissis eqvis persecutus.

Rr Erum-

Erumpere iterùm in hunc integer hostilium vexillorum qvaternio; viribusq; ad manus conferendas impari vicem reddere. Nec subtraxit se hoc rerum statu sociorum & conterraneorum necessitati, qvæ ductu Henrici Nödingii in procinctu propè abstabat, Finnonum turma: Sed subsidio opportunè accurrens, sodalium fugam stitit, & animum recolligendi, frontemq;, flexis habenis, hosti obvertendi spatium dedit; unà cum iis in attonitum insigni alacritate invecta, ita ut terga vertere, & trepido gradu raptim castra repetere compelleretur. Fugantium hæc utriusq; partis, & alternis vicibus fugientium reciprocatio Jacobum Fuggerum, Comitem, aliqvammultas validissimas turmas secum trahentem, castris hostilibus excivit: Qvi, simul ut planitiem subjectam impleret, tempestatis, obvia qvæq; obruentis, instar, non hos & illos campos exturbâsse contentus, ad ipsam usq; silvulam, Regiis sclopetariis insessam, fatali & sibi infelici hostium perseqvendorum ardore efferebatur. Namq; hi arboreti, spissitudine protecti, & impressionis hostilis securi, propiùs subeuntem effusissimo glandium plumbearum grandine exceperunt: Qvo, inter alios, ipsemet Comes lethaliter vulneratus, vivus adhuc spiransq; in Regiorum manus devenit.

Injecerat qvidem Rex hosti impetuosâ hac aggressurâ terrorem non mediocrem; adeò ut impedimenta convasata castris emittere jam inciperet: Editiorem qvoq; montis qvandam partem occupârat propè Burgstallum, seu antiqvam arcem, eamq; ad posteræ usq; lucis ortum asserebat; unde hostem monte, qvem insederat, & ita castris ipsis ejiciendi spes aliqva erat. Sed qvod locus admodùm arduus foret, qvò tormenta evehere vix in viribus naturæ aut Regiorum, maximè intra tubi longioris jactum præter hostium munitiones; interim pluviosa nox solum lubricum, & firmando ad novam impressionem pedi incommodum reddidisset: Rex prærogativâ ab hoste partâ decedere maluit, qvàm in incertam eminùs allucentem secundi eventus spem certum suorum ulteriùs impendere sangvinem. Maximè, qvia intentum suum, castra hostilibus castris conferendi, jam obtinuerat. Postridiè itaq; bono cum modò reduxit suos: Haud procul, sub majoris teli jactum, castra ab hoste metatus, subitarioq; vallo statim induens.

Regiorum bis mille hoc certamine cecidisse feruntur: Interq; hos insignis notæ Duces, Boetius generalis vigiliarum Præfectus, Burtius Tribunus, qvi ex vulnere accepto decessit, Scepterus, & Maccajus, ille Gulielmi, Ducis Saxoniæ, hic Hassiæ Landgravii cognominis, uterqve sub propria peditum Legione proTribunus, & alii: Qvorum nomen, unà cum exuviis terrâ mater sinu suo involvit. Vulnerati: Rostenius, eqvitum Tribunus, Erpacchius, Castellensis, Eberstenius, junior Turrius, Comites; nec non complures, præter hos, tam Ductores, qvàm milites gregarii. Et hi postremi qvidem omnes, tum si qvi istorum qvoq; sumtibus ad vulnera curanda destituerentur, in nosocomia Noribergæ recepti, gratuitâq; chirurgorum, Civitatis impensâ ad hoc destinatorum, operâ, pristinæ valetudini restituti. Capti, ut antè memoravimus, à Regiorum parte, summus rei tormentariæ Præfectus, Leonhardus Torstonis, & Ericus Handius, peditum Tribunus: Qvi posterior, ingravescente, qvod acceperat, vulnere, Ingolstadii ex intervallo supremum diem egit.

Nec Cæsariani clade immunes jactare se poterant: Qvorum è numero præter gregarios mille, & qvod excedit, aliosve inferiorum Ordinum Ductores, desideratus Jacobus Fuggerus; vivus qvidem adhuc delapsus in Regiorum potestatem, sed mortifero vulnere convectus: Ex qvo, pauculis cum Rege ipsomet commutatis verbis, mox exspiravit. Eundem ad manes comitatus est Maria de Caraffa, adversæ partis Tribunus natione Italus, juvenis antiqvæ

prosa-

prosapiæ & magnæ nobilitatis. Ex intervallo qvoq; seqvebatur, Johannes Babtista Chiesa, peditum Tribunus, crus plumbeâ glande percussus: Qvo ex vulnere Saltzburgi, curationis ergò illò avectus, in vivis postmodùm esse desiit.

Fridlandiæ Duci eqvum, qvem insidebat, sclopeti ictu transverberatum perhibent: Eademq; Bernhardi, Saxoniæ Ducis, fortuna fuit. Regem ipsum propiùs adhuc discriminum alea contigit: Cui globus, ocream ad dextri pedis pollicem stringens, partem soleæ revulserat.

Postridiè, exortâ luce, emissis utrinq; eqvitum, peditumq; nonnullis, assiduè velitatum est; &, variante vices fortunâ, pauci hinc inde capti, pauci interemti. Memoratu tamen dignum vix accidit qvicqvam: Nisi, qvod parum aberat, qvin Fridlandius ipsemet Regiorum casses incideret. Certè è nobili ejus famulitio unus, qvi castris exeuntem comitatus fuerat, ab iisdem deprehensus, retulit: Dominum suum, in proximo arbusto delitescentem, Regiorum advolantium manus vix celeri evitâsse receptu.

Rex in primores militiæ Duces, ob laxatam militarem disciplinam, invehitur.

Seqventibus diebus, usq; ad Regis discessum nil cum hoste negotii fuit, qvod Historiæ inseri mereret: Cum primoribus autem militiæ Ducibus ac Præfectis acerrima verbis-velitatio Regi intercessit. Miles enim regius, hoc rerum statu, qvo annona admodùm in arctum coierat, excusso militaris disciplinæ jugo, in omnem licentiam effusus, miseros provinciales spoliando, deprædando, & nefaria qvæq; perpetrando, agere, ferre, affligere, hostilem in modum: Nullo inter hostium & amicorum subditos discrimine facto. Nec labes hæc intra obscura gregariorum nomina consistere, sed ipsos inficere Ductores: In tantum, ut vicini ruris incolæ, qvi cum armento & reculis suis Noribergam, in suburbia hortosve Urbi subjectos, ab hoste se receperant, illìc inter medias excubiarum regiarum stationes haud ampliùs tuti essent, sed à prædabundo milite diriperentur.

Excessibus istis ad Regis aures à qverula plebe delatis, mirum in modum, ut capitalis ejusmodi confusionis, licentiæ, enormium criminum hostis, excanduit, Principesq;, Comites, Barones, alios, Exexcitui, id temporis, generali cum imperio moderantes, qvorum dissimulatione fieri conjectabat, ad se accersitos, acerrimâ oratione perstrinxit; exprobrans iisdem: *Qvod, militari licentiæ connivendo, & direptiones, infandaq; hæc flagitia impunita transmittendo, non summi modò Numinis iram & justam ultionem, sed hominum qvoqve indignationem, odiumve provocarent; fidem & charitatem, Patriæ, ut communi omnium Parenti, debitam, temerarent; & arma, pro defensione sociorum atqve ejusdem Religionis consortium suscepta, in eorum verterent perniciem. Complurium virtutis expertæ militum, Ducumve, qvos è Regno suo adduxerit secum, jacturam hoc bello se fecisse: Imo regium suum sanguinem & vitam pro ipsis, eorum Libertate, temporali & æterna simul salute devovisse, nullisq; non periculis objecisse intrepidum. Nec pecuniariis Coronæ suæ mediis pepercisse; impensis in hoc bellum aliqvot millies Joachimicorum millibus: Ut calculus, ob oculos positus, liqvidò qvemvis docere qveat. Iam verò eò rem rediisse, ut ipsorum causâ pessimè audiat: Ipsos nomini suo & militiæ maculam hanc inurere, ut passim occinatur auribus suis; Rex, qvi amicus noster est, plus damni nobis infert, plus molestiarum facessit, ac ipsimet hostes nostri. Obsecrare illos & resecrare, per DEI, omnium miserantis, misericordiam: Redirent in sese, scrutarentur cordium suorum ac conscientiarum adyta, consulerent non animarum saluti tantùm, sed famæ qvoqve & existimationi suæ, Spartamq; commissam eâ fide, ac integritate exornarent; qvò & toti Orbi ratio eorum, qvæ gererent, constaret, & tandem, in ultima ac decretoria die, coram summo omnium mortalium Iudice, severoq; criminum Vindice, intrepido vultu ad rationes reddendas comparere possent.*

His & similibus, altè penetrantibus, dictis circumstantes adeò perculsi, velut obriguêre: Ut ne verbulum qvidem ullum reponerent.

Rex summo in Justitiam Zelo fertur

Haud longo intervallo post, Rex, ante Decani cujusdam tugurium prædatitium pecus conspicatus, hominem, capillo arreptum, insigni Zelo accensus, ipsemet Justitiæ militaris satelliti ad pœnam transdidit; his verbis. *Veni, mi fili: Satius est, ut ego te condigno factis tuis supplicio plectam; qvàm ut DEus non à te modò, sed à me quoque, & omni Exercitu meo, flagitiorum tuorum pœnam exigat.*

Rex de Silesiaca expeditione mentem suam aperit

Dum ad Furtam Rex sedet, Conradus Borgstorffius, Electoris Brandenburgici Tribunus, & ad Regem, ut regimentarum ac Brandenburgicarum copiarũ cum Electoris Saxoniæ milite conjungendarum, maturandæq; in Silesiam expeditionis satageret, Legatus, tertio Nonarum Septembris, dimittebatur: Accepto seqventem in formam responso. *Regem, si conjunctio jam in effectum deducta foret, nolle retractare rem actam: Interim ejusdem Tribuni curæ & fidei committere; ut copiæ regiæ, in distribuendis hospitiis ac annonâ, pari cum aliis jure habeantur. Sin res adhuc in integro, diversam stare sententiam: Nec enim de scopo conjunctionis exactè liqvere, & copias has idoneo Duce, qvi in Silesiam deducat, summoq; cum imperio præsit, destitutas. Nolle ergò illas moveri, sed in pristinis hospitiis subsistere; usq; ad suum, aut Regni Cancellarii adventum: Qvi, si Rex neqveat, certò venturus, & qvicqvid, pro re nata, facto opus fuerit, imperaturus sit. Qvod si, Electorem Saxoniæ intra fines suos ab hoste oppugnari, & ad sui, suorumve defensionem, sociorum implorare auxilium contingeret, minimè gentium linqvendum sub cultro, sed laboranti ocyùs suppetias eundum.*

Marchionem Hamiltonium in Britanniam ablegat

E castris Furtensibus Marchio quoq; Hamiltonius in magnam Britanniam à Rege ablegatus: Ut, copiis plerisq;, qvas annò adduxerat, morborum ac belli intemperie absumtis, novos aliqvot millium haberet delectus; simul, ut magnæ Britanniæ Regem de tractatu, qvi, ejus nomine, cum Henrico Venio, fœderis ineundi, hactenùs intercesserat, referret. Venius enim primùm cum Campiductore Hornio Herbipoli, mox cum Regni Cancellario Moguntiæ, Regis jussu, inchoatâ re, sed neutrubi consummatâ, ad Regem Monachium Bavariæ demùm se contulerat. Et conventum sanè illic de plerisq;, nec obscura de indecisis, promissâ utrinq; moderatione, spes apparebat: Conclusioné fœderis eapropter haud dilatum iri. Resumta igitur ad Noribergam tela: Sed à Britannico Legato condiciones propositæ omninò novæ, & faciem rei mutantes, adjectis nonnullorum articulorum appendiculis; è qvibus, nil seriò agi, nec fœderis qværi perfectionem, Rex suspicabatur. Marchioni ergò Hamiltonio, delectuum habendorum in magnam Britanniam, ut diximus, eunti, *latentes hujus processus causas indagare, Regem magnæ Britanniæ, semotis arbitris, de eo edocere, aliorumve non proba consilia illìc turbare*, unà in mandatis datum.

38. Sed patiemur capitales hos duos hostes, castris collatis invicem limis contuentes, à laboribus periculisve, qvæ exantlârunt, paulisper interqviescere: Conversâ interim ad illa mentis acie, qvæ, sub hoc tempus, alibi locorum contigisse, compertum habemus.

Regii Duderstadium in Isfeldio agro recipiunt

In Isfeldio agro Pappenhemius Duderstadii Urbem & alia nonnulla loca, sub discessum suum, præsidiis firmârat: Qvæ, confluente eò rusticorum colluvie, conterminam oram, milite penè viduam, crebris factis excursibus, ferro flammâq; infestabant. Post Pappenhemium autem Rhenum, Mosamq; versùs longiùs digressum, Georgius, Dux Luneburgensis & Baudisius, commodâ occasione aliqvid tentandi oblatâ, nihil habuêre antiqvius; qvam intemperiei huic mederi, maliq; ab Isfeldia progerminantis radicem excîdere funditùs. Hac intentione, qvarto Iduum Julii, simul ac Pappenhemius Visurgim tramiserat, castris Hildesio motis, Baudisius cum eqvitatu, per Alefeldam, in Leinæ ripa, adverso flumine iter habuit: Qvem Dux Georgius & Lohusius cum peditatu, ad sinistram Bockelhemum versùs flexo itinere, subseqvebantur. Inde, junctis iterùm viribus in Ducatum Grubenhagensem, & Isfeldium porro

porrò agrum itum, nec morâ interpositâ, cinctum obsidio Duderstadium.

Urbs hæc valido peditum, maximam partem ablectorum, centum supra mille, nec non qvadringentorum eqvitum præsidio insessa erat: Qvibus magnus agricolarum numerus accesserat. Nec munitio loci adeò parvi momenti, aut vilipendēda: Exteriori qvippe vallo superato, spatiosis pratis & hortis interjacentibus, aliud fossatum, eoq; tramisso, interior, qvamvis minoris molis, agger, & murus firmæ structuræ expugnandus restabat. Ad qvorum omnium defensionem si militari modo Cæsariani obstinarent animos, obsessio magni laboris, diuturnæq; operæ fore videbatur. Et rem qvidem impigrè aggressus regius miles, dies noctesq; humum, nullâ intermissâ qviete, moliendo, sextâ luce subortâ, ad exterioris fossæ labrum accessus jam promoverat: Sed fortuna tamen evidenter potiores sibi partes vindicatum iit; obsessis spem, mediaq; defensionis abjicientibus, &, nono Calendarum Augusti, deditionem, obsides emittendo, ultrò offerentibus. Dum ergò Regii audiunt condiciones, dum reddere parant, ecce seditio, inter gregarios repentè exæstuans, Ducum hostilium animis terrorem ac confusionem tantam injicit: Ut, eâdem adhuc vesperâ, Regiis adhuc consultantibus, Magistrum eqvitum, protectionem ac tutelam adversùs proprium militem, exutâ imperii reverentiâ tumultuantem, nomine sub Tribuni Heisteri, Præfecti Urbis, & aliorum Ductorum, imploratum, denuò ablegarent. Avidis autem manibus occasio hæc arrepta, missisq; postridiè summo mane duabus in Urbem Legionibus, cum præsidiariis, ut arma deponerent, transactum: Qvi hac lege, ut regiæ militiæ nomen darent, omnes liberi jussi; Ductores verò, inter qvos octo eqvitum Magistri, & decem peditum Centuriones, ut jure gentium captivi, Magdeburgum sub custodia amandati. Duobus eqvitum Magistris exceptis: Qvorum alter, Georgio Duci antehac stipendia merens, & ad hostem transfuga, interclusо ad furcam spiritu pendulus, levitatis pœnas dedit; alter, qvi pariter Landgravio Hassiæ militans, Dominum absq; justa missione mutârat, asservatus est, Landgravio, edendi similis exempli, tradendus. Duo tantummodò militaria signa, alterum pedestre, alterum eqvestre, sed ultrà hæc duodecim tormenta, & insignis commeatus copia hìc reperta.

Nec, Duderstadio capto, vicina circùm loca, qvæ Pappenhemii miles tenebat, sustentârunt diu, sed continuò imperata fecerunt: Inter qvæ agricolarum, in armis repertorum, complures trucidati, complures pagi exusti & in cineres redacti; breviq; pruritus, qvi eos titillaverat, finitimos invadendi, in dolorem versus, evanuit. Vallum & munimenta Duderstadii, qvod miræ amplitudinis essent, nec exiguo præsidio defendi apta, militem autem particulatim hinc inde dispergi, consultum haud videretur, Georgius, Dux Luneburgensis, habito eâ de re priùs militari Senatu, dirui ac solo æqvari jussit: Ne, ut hactenus fuerant, ita imposterùm denuò fierent prædonum nidus & receptaculum.

In Brunswicensi Ducatu, Cæsaris, qvi Gvelpherbytum mordicùs adhuc retinebat, miles ad mille pedites, centum viginti eqvites, & qvinqvaginta aut sexaginta dracones, Brunswigæ Urbi aliqvammultorum capitum armentum abigens, civibus occasionem dederat pagi, medio Brunswigam inter & Gvelpherbytum loco siti, (Rünigen vocant) subitariâ munitione circumvallandi, militeq; nonnullo muniendi: Qvò huic malo in futurum præcaverent, & excursiones hostium in subjectos Urbi campos refrenarent. Nec diu post, currente mense Julio, Dux Brunswicensis copias qvasdam, hinc inde raptim collectas, Gvelpherbyto admoverat propiùs: Exploratò enim ipsi erat cognitum, hostili præsidio vix duorum mensium suppetere victum. Messis ergò jam maturescentis proterendæ, & commeatus, viis circumcirca insessis, intercludendi, eâq; ratione deditionis omni alimoniâ defectis extorqvendæ inierat consilium. Id qvod sanè, qvantum militum paucitas & exiguitas virium admitteret, effectum datum; & hac occasione levibus

Gvelpherbitum obsidetur

bus sæpiculè cum hoste velitationibus certatum, nec omninò incruentis: Occumbentibus hinc inde nonnullis. Facto autem hunc in modum Gvelpherbyti circumsidendi initio, Georgius, Dux Luneburgensis, cum Lohusio & parte Exercitus, post Duderstadium in potestatem redactum, ineunte mense Augusto, eòdem venit: Diuturni & tædiosi obsidii telam pertexurus.

Cordatiores, Protestantium partibus addicti, qvamplurimi magni nominis Viri, jam tùm censebant: Satius longè, & ad rei summam expeditius fore; si, Gvelpherbyto provincialium armatorum turbâ, & nonnullo milite eminùs clauso, universum regii Exercitus robur, Visurgi tramisso, Westphaliæ infunderetur, &, fixo illic pede, simul delectus hostiũ, qvi, Gronsfeldio urgente calebant ut qvàm maximè, disturbaret, simul, tanqvam in hostico, semet non refocillaret modò, sed novis qvoq; roboraret supplementis. Verùm particularis respectus in Brunswicensem Ducatum præpotuit; Exercitusq; bipartiti, Baudisio, Westphaliam versùs eunti, altera tantum pars relicta, Gvelpherbyto altera admota: Spe certâ felicis eventus, & deditionis, alimentorum inopiâ brevi subsecuturæ.

Ubi regius Commissarius hostium potitur.

Dum sic ad Gvelpherbytum desidetur, parum accidit notatu dignũ: Nisi qvod crebris eruptionibus obsessores ab hoste inqvietarentur. Inter alia, decimo octavo Calendarum Septembris, dum largissimi, de cœlo ruentis, imbris nube velut tectus, Urbe effunditur, Regiorum stationem, qvà Lohusius tendebat, validâ manu invadere tentans, solitum suum fortuna lusit ludum, & Erico Andreæ, generali Regis Commissario, illusit. Qvamvis enim hoste fortiter rejecto, clades Regiorum intra unius gregarii mortem steterit, Commissarius tamen hic in tumultus turbine, ad pagum Linden, medios in hostes delapsus vix demùm sensit: Qvi undiq; circumvento injecêre manus, raptimq; intra præsidii septa secum abduxêre. Sedulò qvidem de liberando, & primùm cum Grammio Tribuno, eoq; parum procedente, cum Walmerodio mox, generali itidem cæsarianarum partium Commissario, permutando actum. Verùm Electoris Saxoniæ captivus hic erat: Ut lentâ & tenaci custodiâ à Lipsiæ usq; deditione hactenùs detentus, ita, dum Regii permutationis satagunt, subitò, datâ tamen reversionis fide, ab eodem ad suos remissus. Qvæ res dicti Erici Andreæ liberationem distulit: Donec hostilibus vinculis audaci pariter ac ingenioso facinore se extricandi offerretur occasio. Id qvod suo loco ac tempori reservamus. Captivo autem Rex, simul ac de casu hoc illi compertum est, Melchiorem Falckenbergium substituit: Demandatâ eidem in Saxoniæ inferioris tractu, & ad hunc Exercitum, generalis Commissarii functione.

Baudisius, cum Exercitus parte, in Westphaliam movet

Interim Baudisius, cum parte copiarum ipsi relicta, qvibus Hassiacæ nonnullæ junctæ, in Westphaliam penetraverat. Qvo Dimelæ flumini appropinqvante, pleriq; civiũ Volckmariensium, perfidiæ, in Hassos olim exercitæ, malè sibi conscii, & ob id, exempla in se editum iri, haud injuriâ metuentes, unà cum præsidio, laribus desertis, gladio vindici cervicem subtraxêre. Missa autem illuc à Baudisio Hassorum, è venatoribus conflata, cohors: Qvæ Urbem, nullo resistente, ingressa, direptam prius, & portis murisq; nudatam, Vulcano demùm consecravit. Hoc vicinorum infortunio territum Warburgum, & aliæ, hoc tractu sitæ, Urbes, tempori obviam missis, qvi, imperata facturas, declararent, Baudisium placatum ibant. Hic verò porrò movens, Paderbornam vi adoriebatur: Westphalo Tribuno, qvi binis millibus peditum, qvatuor eqvitum alis, & sesqvimille armatis provincialibus nixus, illic curabat, locum commissum strenuè propugnante.

Ubi nos vires neqvicqvam atterentem relinqvimus: Transitu in Silesiam facto, qvid rerum actum ibi fuerit, contemplaturi.

39. Qvarto Iduum Julii, Arnhemius, Electoris Saxoniæ Campiductor, Sittoæ proximarat qvidem; sed sexies mille militum præsidio, sub Silesiaca.

Schaum-

Schaumburgio, cæſareo Campiductore, aliisve ſummatibus Ducibus, defenſam, adeóq; ſecundi ſucceſsus ſpe vix tentandam. Nec hoſtis, utut ignibus artificioſis Arnhemii juſſu injectis, & tormentis crebrò in Urbem fulminantibus, protrudi inde ad apertum certamen poterat: Qvapropter ab Arnhemio Lubenam mox, & Hojerswerdam porrò retroceſſum.

Arnhemius Glogoviam expugnat.

Hojerswerdâ, poſt dies aliqvot qvieti inſumtos, motus iteratâ vice Exercitus, & flexo in Sileſiam itinere, Saganoq; à tergo relicto, Glogoviæ majori admotus. Ubi, penultimo Calendarum Auguſti, portæ, ſecuribus pars, pars crepitaculis refractæ, latum Saxonicis, vi irrumpentibus, præbuêre aditum. Capti nonnulli milites, cum Ordinum Ductore: Qvi, ut primum hoſtium impetum evitarent, in arcem refugi, deſæviente paululùm irâ, victoris arbitrio ſe tradiderunt. Götzius autem Tribunus, cum ſex eqvitum alis, & denis peditum ſignis hic ſervans, in Baſilicam trans pontem, prævalente hoſte, ſe receperat: Mox, Saxonicis, ponte in poteſtatem redacto, vim intentantibus, &, violentisſimâ verberatione è tribus ſuggeſtibus inſtitutâ, ad ſerum usq; noctis ſine misſione continuantibus, eo neceſſitatis redactus, ut deditionem offerret. Nec, repulſam aliqvoties paſſus, deſtitit, ſed, inſtantior ſemper, qvod volebat, impetratum tandem iit; iisdem tamen legibus, qvas Fridlandius Pragæ Saxonicis indulſerat: Ut, nimirùm, depoſitis armis, & vexillis ſignisq; relictis, miles abiret. Ita, in jacturæ Pragenſis ſolatium, potiti Saxonici denis peditum ſignis, ſex eqveſtribus vexillis, & ſeptem, unde vexilla direpta, haſtilibus: Qvæ, in puteo abſtruſa, latibulo ſuo militum eruit ſagacitas. Rei qvoq; tormentariæ, & commeatus copia non temnenda, unà cum octo machinis minorum gentium, binisq; mortariis in Saxonicorum manus venit.

Et Lubenam, Stenoamq; cum munimento aſſito

Glogoviâ expugnatâ, Lubenæ qvoq; Stenoæq; oppida, nec non ad Viadri tranſitum iſthìc exſtructa munitio, ab Arnhemio ſubacta.

Et hæc prima fuêre expeditionis Sileſiacæ rudimenta: Qvæ utut ſatis proſpera viderentur, cordatiores tamen, & communi cauſæ addictiores id maximè pupugit; qvod Proteſtantes duriùs penè ipſis tractarentur Pontificiis. Horum etenim bona ac fundi, maximè Ducis Fridlandiæ, in protectionem ab Arnhemio recepti, & capitalis furcæ rotæve pœna violentis eorum deprædatoribus præſtituta.

Qvæ Cæſariani recuperant.

Cæſariani interim Balthaſari de Maradas, Schaumburgii, Mansfeldii, Schaffgotſchii & Iloi ductu, ingruenti malo, ne latiùs ſerperet, ſe oppoſituri, Lembergi undiqveverſùm coïerant: Qvo inaudito Glogoviam Arnhemius retrogreſſus eſt; fixo illic pede, Regis Sveciæ & Electoris Brandenburgici copias, qvæ in itinere jam erant, opperiturus. Cujus abſceſſu Stenoæ oppidum, & munimentum ponti prætenſum, levi negotio, vix triginta tormentorum ictus exſpectans, in Cæſarianorum manus reciderunt.

Regiorũ & Brandenburgicorum cũ Saxonicis conjunctio.

Jamq; hoſtilis Exercitus, ad qvindecies mille præſentia capita æſtimatus, Glogoviam pergebat; ſpei bonæ plenus, & adverſarios totâ iterùm Sileſiâ pellere minitabundus: Qvandò Regii & Brandenburgici, Duce Jacobo Mack Duwalio, qvi Viadri ac Wartæ tuitioni cum ſummo imperio Regis nomine hactenùs præfuerat, Saxonicis ſejungentes, ſpem eorum & iter, animo præcepta, interpellârunt. Nec enim opus erat hoſtem qværere, qvi, pugnæ avidus, grandibus gradibus in occurſum properabat.

Elector Brandenburgicus conjunctionem hanc maturè ambiit.

De conjunctione & expeditione hac Elector Brandenburgicus, jam ante ſex menſes, apud Saxonem ſeriò laboraverat, autumans: Copiis nonnullis in Sileſiam tranſeuntibus, etiamſi ultra Saganum, Sprottam, & Glogoviam penetrare, pedemq; figere haud daretur, vires tamen Proteſtantium novis ſupplementis mirum in modum augeſcere, & in validi Exercitus robur excreſcere poſſe. Dicionibus inſuper ſuis non modò ſecuritatem hac ratione partum, ſed adverſæ qvoq; partis molitionibus occurſum, diribitoria diſturbatum, intentionem, novis, qvi maximè tunc fervebant, delectibus impeditis, interruptum iri. Noluerat id temporis Collegæ deſideriis aſſentiri Saxo: Nec,

Nec, pro statu militiæ suæ, qvi tunc erat, ingruente præsentissimo ab hoste indiesq; magis ac magis invalescente discrimine, Exercitum partiri, consultum duxerat. Qvapropter Brandenburgicus Elector, militem suum Saxonico jungere, ac procul territorio amandare, non minùs abs re fuerat arbitratus: Qvippe qvi hac ratione confinia propria versùs Silesiam omni militum præsidio nudari, hostiumq; injuriis exponi provideret. Non ob id qvoq; proposito Brandenburgicus abstiterat; sed, à Saxone ad Regem & Regios versus, de milite nonnullo suis copiis adjungendo, & expeditione in Silesiam suscipiendâ, diligenter cum iis egerat.

Nec improbari illa Regi & Regiis; ob varia tamen intervenientia obstacula longiusculè differri: Brandenburgicis flagrantioribus, qvàm ut moram ejusmodi ferrent. Solis enim, Duce Tribuno Borgstorffio, rem tentare visum: Qvi, sub Maji ingressum, nonnullis copiis Francofurto Crosnam primò movit; Ubi, qvid animi civibus & præsidio foret, experiri avido, hostem simulare, libido incessit. Sed magno hæc penè constiterat, & capite ipso: Cujus tegumento affixa pluma rapido tormenti ictu decussa. Crosnâ Grünebergam, qvam hostis deseruerat, & hinc Freistadium ibatur: Unde, à Croatarum manu, de improviso ingruente, perculsi, Brandenburgi cito gradu Crosnam retrò tulere pedem. Voto autem & intentione suâ hac ratione frustratis tamdiu opperiri necessum fuit: Qvoad Saxo qvoq; & Arnhemius animum huic expeditioni adjicerent, plenisq;, ut diximus, velis in Silesiam inveherentur.

Arnhemius tandem ipse eam flagitat. Tunc namq; Arnhemius, simul ac Glogovia armis ejus cederet, Sigismundo à Köckeritz, sub Tribuno, ad Sigismundum, Marchionem Brandenburgensem, cui Elector, in Borussiam proficiscens, rerũ in Marchia clavum commiserat, ablegato, simul victoriæ & secundi successus, qvibus in ipso expeditionis exordio fortuna conatui ejus arriserat, facere participem: Simul, ut conjunctio, tanto ambitu hactenùs qvæsita, in effectum conferretur, postulare.

Cui Brandenburgici, facilè assensi. Non adhucdum de Regis mente, id temporis, constabat; qvam exqvisitum Sigismundus Marchio Conradum Borgstorffium in superiorem Germaniam miserat: Nec ob id tamen Arnhemio de conjunctione penitus repulsam dare visum. Nullus enim dubitare Marchio; Electorem Saxoniæ, si, expeditione suis viribus unicè susceptâ, propitiâ fortunâ uteretur, occupata loca sibi soli asserturum, nec admissurum alios in communionem lucri, qvod sui solius impendio & periculo peperisset: Id verò si fieret, Regi postmodùm & Electori Brandenburgico, invadendi ab hac parte hostis occasionem præreptum, aditumq; in hosticum intercluſum iri. Sin Saxo, viribus aut fortunâ impar, succumberet, cladem qvoq; in Marchiam non posse non redundare; totumq; hostilium armorum robur, felici rerum successu ferox, in eandem non minùs, ac in Lusatiam incubiturum. Victoriæ itaq; fructum Saxoni, si solus in hac expeditione relinqveretur, peculiarem; cladis verò damnum commune fore. Junctis è diverso copiis, nec victoriæ parte Regem & Electorem Brandenburgicum defraudari, nec cladem ita facilè extimescendam: Qvippe tutius unitis viribus hostem nunc invadi, qvàm, profligato Saxone, separatim à Regiis & Brandenburgicis postmodùm repelli.

His de causis Leuchtmarus, interioris admissionis Consiliarius, à Marchione ad Duwalium missus: Ut, de regio milite nonnullo cogendo, & Electoris Brandenburgici copiis in hanc expeditionem associando, sermonem conferret.

Et Regii demùm, sed certo pacto. Duwalius, negotii adeò ardui arbitrandi licentiam sibi haud usurpare ausus, ad Stenonem Bielken, Baronem, ordinarium Regis in Pomerania ulteriori Legatum, Sedinum se contulit: Ubi, re in consilium deductâ, decretum communi suffragio factum, & Custrinum Leuchtmaro transmissum, seqventis tenoris. *Nil quidem hac de re à Rege habere in mandatis: Qvapropter certi decerni vix qvicqvam possit. Ne tamen ulla interim, pro communi bono, fructuoso exitu qvid tentandi præterlabatur occasio, sed utriusqve*

potiùs

potiùs Electoris pii, heroici, ac laudabiles conatus, pro virili, ab ipsorum quoque parte promoveantur; Duwalium promtum ad ea omnia exseqvenda & paratum fore, qvæ communi causæ stabiliendæ, & infringendis hostium viribus facere videantur. Leuchtmarum tamen, prout spem fecerit, de Electoris Brandenburgici copiis regio militi non conjungendis modò, operam daturum, sed unius ejusdemq; etiam imperii vinculo arctiùs astringendis; debitâq; honoris ac respectus prærogativâ summo Regiorum Duci relinqvendâ: Qvò malis & incommodis, ex æqvato plurium imperio oriri solitis, occurratur.

Brandenburgici Regiis jünguntur.

Cui conditioni à Brandenburgicorum latere promtè, & sine ulla difficultate assensum est.

Duwalius ergò certis, qvorum cynosuram, dum Regi aliud visum foret, seqveretur, mandatis à dicto regio Legato instructus, Augusti Calendis Zullichoam movebat: Trahens secum propriam veteranorum peditum Legionem, octo cohortibus constantem; tum Comitis Craffertii duodecim pedestria, & tria draconum, sed eqvis adhuc carentium, signa; Erici porro Johannis Ullsparrii Tribuni binas draconum alas, qvas ipse Duwalius, Regis auspicio, nuper conscripserat. Zullichoæ Brandenburgicus miles, qvindena peditum signa, & novem vexilla eqvestria præferens, ductu Kötteritzii Tribuni, pridiè Nonarum Augusti, Duwalio junctus, imperioq; ejusdem, prout convenerat, obseqvi jussus: Mox, nullâ morâ interpositâ, Glogoviam majorem toto agmine properatum.

Cum Saxonicis de conjunctione agitur.

Ultimo Iduum Augusti, qvando jam Cuttelam majorem, pagum unico tantum milliari Glogoviâ distantem, perventum erat, Caspar Klitzingius, generalis apud Saxones vigiliarum Præfectus, Duwalium convenit: Ab Arnhemio, qvod ab hoste jam propinqvo discrimen haud leve imminere diceretur, ad accelerandum iter & conjunctionem maturandam missus. Verumenimverò Duwalius illotis (qvod ajunt) manibus rem tantam aggredi nolebat; Clitzingio respondens. Siqvidem conjunctio Arnhemio cordi foret, ante omnia regium qvoq; & Electoris Brandenburgici militem, pari cum suis numero, intra Glogoviæ majoris admitteret munimenta, datâq; simul fide promitteret, (1) Omnia loca, qvæ imposterùm occuparentur, & regio, & utriusq; Electoris milite firmatum, (2) Regios & Brandenburgicos æqvo cum Saxonicis jure, qvoad sustentationem & alimenta habitum, deniq; (3) regiis copiis debitam, ob Domini dignationem, prærogativam ubivis relictum iri. Hæc inter postulata Arnhemius primum penitùs rejecit; qvod Glogoviam à Saxonicis solis, absq; sociorum adjumento, expugnatam diceret: Inter reliqva tria, duobus prioribus facilè assensus est, nec tertio admodùm repugnare visus. Duwalio autem in priori sententia persistente, nec aliâ ratione vel transversum pedem processurum, rotundo ore asseverante; Arnhemius, penultimo Iduum Augusti, sub noctem, ipsemet ad eundem se contulit: Nullum non lapidem movens, ut animi destinatis hominem emoveret. Sed surdo narrari fabula, Duwalio dictitante: Non licere sibi, gradu ulteriùs promoto, concreditum militem ancipiti bellorum aleæ objicere, nî de receptu priùs in utramq; aurem tutus foret. Contrà disseri qvidem; Electoris Saxoniæ, ut amicitiæ necessitudine devincti Principis, copiis Glogoviam obtinentibus, eandem Regiis præstari securitatem: Non tamen Duwalio deesse, qvod regereret; nimirùm, nec è ratione belli, nec è Regis existimatione ac dignitate videri, ut in alieno, qvamvis fœderato & amico, milite, receptus sui fiduciam ac fundamentum collocaret. Jamq;, conjunctione sepositâ & insuper habitâ, infra Glogoviam ad Viadrum, qvâ Carlatæ arx ripæ imminet, locatis castris, pedem figere, cum animo suo constituerat: Qvoad novis à Rege & Electore Brandenburgico mandatis instrueretur.

Cum Saxonicis de conjunctione certis legibus transactū.

Arnhemius ergò Duwalium sententiæ præceptæ immobilem, facultate aut persvasionibus ullis labefactari posse desperans, ipse de rigore suo aliqvantulum decessit; tandemq; post longam disceptationem conventum: *Urbem Glogoviæ, regias & utriusq Electoris copias, æqvo jure obtenturas; Basilicam tamen, ex adverso sitam, Saxonicis solis relictum iri.* Hac de re Arnhemius syngrapham concipi jussit, à Duwalio subscribendam; qvâ continebatur. *Receptionem regii & Brandenburgici militis non, nisi præsentis expeditionis causâ, fieri: Hac peractâ, & Arnhemio conjunctionem Exercituum haud diutiùs necessariam judicante, Duwalium, ad suos Glogoviâ iterùm educendos obstrictum fore; siqvidem Elector Saxoniæ in communione præsidii perseverare nollet.* Duwalius verò syngrapham, qvod secùs, ac conventum fuerat, conceptam diceret, subscribere, & ita fidem suam obligare, qvo Arnhemius intendebat, modo renuit. Nihilo tamen minùs qvatuor peditum Bomii, totidemq; è Crachtii Legione signa, regius ac Brandenburgicus miles, intra Glogoviæ mœnia recepta, & conjunctio è vestigio in effectum deducta. Adjectæ autem conjunctioni seqventes condiciones. *Urbes & loca, qvæ imposterùm, cum DEo, occupare & hosti extorqvere daretur, in utilitatem omnium trium Magnatum, qvorum viribus & impendio fieret, donec ipsis de eo aliter conveniret, versum*; & ad præcavendam æmulationem, Arnhemium inter Duwaliumq; forsan suborituram, *intentiones atqve consilia fideliter invicem communicatum*; *nec non, si qvid communi suffragio decerneretur, id à Duwalio Regiorum ac Brandenburgicorum, ab Arnhemio Saxonicorum operâ exsecutioni mandatum iri.*

Ita sexto Iduum Augusti, lustratione propè Glogoviam institutâ, à Regiorum parte viginti septem peditum signa, draconum undena, & qvatuor eqvitum vexilla in campo fulserunt: Elector Brandenburgicus qvindecim, ut diximus peditum cohortes, & novem eqvitum alas adjunxerat; universumq; Duwalii agmen sexaginta sex cohortium & alarum recensum. Saxonicorum peditatus restrictior, viginti septem modò cohortibus constans: Eqvitatus verò, sub qvinqvaginta vexillis, toto campo se diffuderat. Hoc militum, ad sedecies mille capita æstimato, robore rectâ & intrepido animo in hostem itum: Qvi de conjunctione jam antè certior factus, relato gradu, Stenoam properabat; fixurus illìc pedem. Ita ut Fœderatorum Exercitus, ingruentibus tenebris ibi pernoctaret, ubi hostis præteritâ nocte stativa habuerat.

Prior inter Regios & Saxonicos ob primæ aciei prærogativam, æmulatio.

Inter viam postridiè statim æmulatio inter Regios & Saxonicos exsererere se cœpit: Exortâ de prærogativa primæ aciei contentione. Duwalius enim ob Regis sui dignitatem semper & ubivis hanc sibi vindicare: Arnhemius vulgato Exercitus, iter facientis, mori inhærere, & æqvum censere; ut permutatis vicibus, qvi pridiè principia obtinuerant, postremam hodiè aciem clauderent. Acerrima verbisvelitatio hæc fuit: Saxonicæ militiæ Ductoribus in aculeata dicta erumpentibus, &, *se qvoqve Domino suo militum, non vilioris turbæ, aut talium, qvos sine præfatione honoris nominare vix licet, nomine censeri*, præferentibus; Duwalio econtrà, *Regis sui eminentiam hac in re unicè ob oculos sibi propositam*, asserente. Pervicit qvoq; Duwalius: Sed Saxonici interim, ad exiguum ponticulum & cavæ viæ angustias præteritâ nocte propiùs Regiis divertentes, gradum accelerando, ponticulum hunc viamq; transgressi, iter præceperant, interq; altercationes istas adeò longè processerant; Ut Regiis, licet militari gradu secutis, asseqvi festinantes vix daretur. Donec, hosti viciniores, gradum stiterunt, & Duwalius superiorem, Regis dignationi debitum, in acie locum denuò nactus est.

Fœderatorū Stenoam adventus.

Qvinto Iduum Augusti, circa meridiem, Stenoæ Exercitus appropinqvabat. Ubi ad transitum, inter arenarum tumulos, hostis venientibus initio se objicere visus; sed mox levi inde negotio depulsus, & in castra rejectus. Fœderati autem, tormentis collocatis, creberrimè detonabant in hostem, insigni cum ejusdem

stra-

ſtrage: Singulis enim ſæpius ictibus denos ac duodenos discerptos, mutilatosve, captivorum relatu poſtmodùm patuit. Perculſo igitur & infracto animis hoſte, vetus Duwalii, meris veteranis & horrido Martis operi inſvetis conſtans Legio, Mauritio Duwalio præeunte, Stenoæ oppidum, inſultu facto, tentare juſſa: Dextro adeò eventu, ut hoſtile præſidium ad internecionem penè cæſum, nec pauci in Viadrum præcipites acti fuerint. Inter qvem tamen violentæ expugnationis turbinem igne forte fortunâ exorto, oppidum voracibus flammis abſumtum.

Diverſæ, de hoſte invadendo, Arnhemii & Duwalii opiniones.

Sub felix hoc expeditionis ſusceptæ exordium, primò qvidem Arnhemius & Duwalius concorditer conſpirare, & pariter eò ferri: Progrediendum ſine mora, utendum victoriâ, & hoſtem, cujus vires, in unum contractas, uno hoc ictu debellandas ſummum Numen maniſeſtò iis expoſuisſe apparebat, ipſis in caſtris oppugnandum, priusqvàm reciperet animos. Videre etenim eminùs erat, in hoſtium caſtris omnia terroris completa, & impedimenta, calonumve ac lixarum turbam, nullo ordine ſervato, Wratislaviam effuſâ fugâ petere. Simul ut verò tympanotriba ab hoſte miſſus literas, neſcio qvas, ad Arnhemium detulit, in diverſam hic ſtatim abscesſit ſententiam, perhibens: *Loci tertii anguſtias, qvo Exercitus non niſi filatim, tribus eqvis ſimul euntibus, traduci posſet, adhuc reſtare ſuperandas, ſolem autem jam ad occaſum vergere, adeóq́, confuſionis evitandæ, ulteriùs progredi, aut in hoſtem qvippiam moliri, haud conſultum.* Hinc Duwalius, qvi cum ſuis, ut primam aciem obtinentibus, caſtris hoſtilibus proximè ſuccesſerat, aggredi eadem promtus, & per Baronem Sadowsky, eqvitum Magiſtrum, Arnhemium, ut cum hoſte implicato, ubi opus ſuccurreret, ſemel iterumq; flagitans, toties, non ſine admiratione omnium, etiam qvi Arnhemii imperio ſuberant, militiæ Ductorum, repulſam ab eo tulit: Asſultum idcircò ad poſteram usq; lucem differre coactus. Hoſtis autem, reſumtis hac morâ animis, perpetem noctem inſomnem ducens, defenſioniq; ſuæ invigilans, diſpulſâ nocte, in tantum ſe firmâſſe, & in eo ſtare reperiebatur ſtatu: Ut aggresſuræ alea tentanda haud ampliùs videretur.

Cæſariani caſtra ad Stenoam deſerunt.

Poſt factum itaq; virium & animorum periculum, dimidio ſupra Stenoam milliari, Viadrum ponte inſternere, habitò conſilio, decretum: Qvò Cæſarianorum in ſtativis ſuis ab utraq; fluminis ripa infeſtandorum esſet occaſio. Jamq; pontis conſtruendi opus per aliqvot dies ſtrenuè procesſerat, qvandò hoſtium delecti ad bis mille ſclopetarii illò contenderent: Milite, qvi ulterioris ripæ defenſioni, exiguo propugnaculò raptim excitato, inſiſtebat, inde dejecto, pontis ſtructuram præpedituri. His verò repulſis, hoſtis recipere ſe, & ſenſim deſerere caſtra. Eqvitatus enim, tramiſſo mox Viadro, ad munimentum ultratum ordines ſtatuere; qvem peditatus maximam partem è veſtigio ſeqvi: Qvingentis tantummodò ſclopetariis relictis; qvi, caſtrorum vallo aliqvamdiu defenſo, Exercitui pontem transeunti, tutum præſtarent receptum.

Qvæ Duwalius illicò invadit.

Conſpicatus id Duwalius, dracones ſuos curriculò caſtra involare, & eqvites, terga invadentium ſuffulturos, admisſis eqvis, raptim ſubſeqvi juſſit. Nec hoſtium reliqviæ, qvotqvot in caſtris ſuperabant, aut ferre irruentium audaciam, aut exſpectare ſaltem; ſed de elabendi, qvàm pugnandi ratione magis ſoliciti, ad pontem pro ſe qvisq; properare: Non ſine multorum cæde; Regiis fugientium veſtigia acriter prementibus. Nec pauci, qvibus, ponte præcepto, viam Regii intercluſerant, in Viadrum præcipitantes, dum ferrum fugiunt, undis hauſti perierunt.

Munimẽto qvoq; transflumen occupato

Spem hinc, belli ratione supputatâ, Duwalius certam conceperat; etiam trans flumen, si instaretur, in hostium munitionem, nullo periculo, & insigni fructu aliqvid tentatum iri: Arnhemium itaq;, de milite nonnullo navibus in oppositam ripam huic fini trajiciendo, admonuit. Eo verò moras nectente, ipse, moræ omnis impatiens, Culemannum subCenturionem, & sexaginta sclopetarios, dictam munitionem oppugnatum misit: Cujus præsidiarii, armis illicò abjectis, vitæ solum gratiam flagitabant; eâq; impetratâ, ter centum, nonaginta sex numero, pedites regiæ militiæ nomina sua dedère.

Arnhemii in persequendo hoste cunctatio

Adversæ partis Exercitus interim, ordinibus minimè servatis, cursim Wratislaviam petere, & Duwalius Arnhemium obsecrare, resecrare; ne hostem, cujus proterendi occasio, divinitùs iterùm oblata, liqvidò se proderet, cladi subducere cervicem pateretur: Viadrum enim vado ab eqvitatu transiri nullo negotio posse. Et sanè assentiri Arnhemius consilio, qvod tam effectu facile, qvàm utilitatis summæ, nec inficiandæ erat; attamen cunctabundus, aliud nescio qvid agendo, duarum ferè horarum spacium insumere neqvicqvam, hostiq; elabendi tempus & spatium largiri: Demum verò de persequendo iterùm instantibus, respondere. *Satis victoriæ hoc die partum, & jam qvoque advesperascere: Hostem autem multum antecepisse itineris, ut, demissis manibus fugientem, insequi serum sit; qvippe, assequi, impossibile.*

Cæsariani ad Wratislaviam pedem figunt

Decimo septimo Calendarum Septembris, fugitivus Cæsaris Exercitus, qvartâ tamen penè sui parte diminutus, Wratislaviam venit; itinere ad pontem, qvi teli jactu ab Urbe distat, directo, & castris illìc Viadri inter Olaviæq; fluenta locatis: Commodissimo sanè positu; qvo undis, paludibus, & silvarum aspredine ab omni parte cinctos adoriri, magnæ res difficultatis erat.

Eorum à Civitate postulata, & hujus responsum

Mox Wratislaviensium animos, qvò inclinarent, scrutari visum: Propositis seqventibus articulis. *Num à Cæsaris partibus stare, necne, animum inducerent?* Porrò in specie: *Num Cæsaris Exercitum annonâ, ac rebus ad bellum necessariis instruere; tum eidem, prævalente hoste, & necessitate exigente, receptum in Urbem, aut sub Urbis mœnia & tormentorum protectionem, aut deniqve liberum per Urbem transitum præbere vellent?* Ad qvæ Civitas, re in consilium deductâ, respondit. *A Cæsaris partibus stare, debitæ obseqvelæ vinculo obstrictos, inq; fide Cæsaris victuros pariter, ac morituros. Annona & reliqvis, qvæ flagitarentur, Exercitui cæsareo, qvantis opus foret, suppeditandis, haudqvaqvam pares esse: Si tamen, pede constanter fixo, hostis impetum opperiri ausit, minimè gentium eo, qvod horum superesse populosissimæ civium communioni reperiretur, illi defuturos.* Reliqva postulata excusando eludebant: Benignis qvidem verbis usi, sed negantibus re ipsâ propiores. Responsum autem hoc, qvod non satis ex Cæsarianorum voto obtigerat, eò magis attonitos perculit, qvo minùs prævisum erat: Carolus enim Hannibal, Baro à Dona, spem indubiam iis fecisse scribitur, dimidiam, ad minimum Exercitus partem, operâ & interventu suo, intra Urbis mœnia admissum iri; qvo facto, de residuo rem in proclivi futuram.

Fœderati toto agmine subseqvuntur

Dum Cæsariani, ut diximus, in loco satis munitio, qvo Olavia Viadro infunditur, castra metantur, Fœderatorum qvoq; Exercitus, decimo sexto Calendarum Septembris, Wratislaviæ, à Viadri, qvæ Germaniam respicit, ripâ, appropinqvans, impedimentis in suburbio Wratislaviæ relictis, hostilibus castris, unà cum re tormentaria successit: Qvantum flumina interflua, atq; interjectæ paludes admitterent. Et dracones qvidẽ antecursores hostem magno statim impetu trans Olaviam rejicere: Mox tormentis tantâ violentiâ in Cæsarianorum castra detonari; ut globorum circumvolitantiũ tempestate statu, qvem ceperant, depulsi, tutiora qværere cogerentur. Qvæ trepida status mutatio gregarios in tantam conjecit formidinem: Ut à Ducibus vix stricto ferro contineri potuerint; qvò minùs, solutâ ordinum compage, effusè fugerent. Sustentatum tamen ab his

ad

ad provectam usq; noctem: Qvandò, Olaviæ fluento haud satis confisi, castra moverunt, & Viadrum tramittentes, in ultrata ripa consederunt; ponte, qvo flumen jungitur, flammis absumto.

Wratislaviæ tumultus oritur, ob tormentũ in hos displosũ

Eodem die tumultus Wratislaviæ hac occasione exortus. Baro à Dona, uno cum Henrico Wenceslao, Duce Bernstadensi, & Senatorum nonnullis, vallum Urbis inscenderat; Utrumq; Exercitum, & arma armis minantia contemplaturus. Ubi, nescio qvæ, lubido seu Zelus intempestivior ei incessit, displodendi in Fœderatorum agmen tormenti: Qvod propriâ industriâ eò direxerat. Id simul ac compertum vulgo, indignatione illicò efferbuit, &, armis tumultuariè correptis, ad dicti Ducis ædes, qvò à vallo Baro unà secesserat, concurrens, musteum hunc jaculatorem, seu tormentarium (ut per ludibrium indigitabant) sibi tradi postulavit. Magnâ importunitate, acerbisq; convitiis res acta, & vix, represso primo ardore, insanienti plebi homo ereptus: Qvi, fatiscente pòst aliqvantulùm motu, duobus Senatorum securitatis ergò, comitantibus, Urbe excessit.

Arnhemius Olaviæ Viadrum tramittere studet

Arnhemius, qvi Cæsarianos defensionem ultratæ Viadri ripæ obstinaturos suspicabatur, fluminis transitum, hoste ex adverso cum Exercitu universo consistente, perdifficilem hìc ac periculosæ plenum aleæ ratus, aliam Viadri superandi rationem circumspicere cœpit. Certior enim factus, ad Olaviæ Urbem ponte qvoq; jungi, Dânium, SubTribunum, primò, cum nonnullis eqvitum ac draconum turmis, ejus in potestatem redigendi, illò ablegavit: Mox, cum potiore Exercitus parte, eòdem ipsemet subsecutus. Interściderat tamen nuper hunc qvoq; pontem Rostochius Tribunus: Itaq;, reparari, necessum erat. Id qvod feliciter processit: Utut Tribunus Ecstadius in opposita ripa, cum validis copiis, conatibus ejus se oppositum iret, nullumq; non, ad structuram pontis interpellandam, lapidem moveret.

Cæsariani, secundâ vice, castris cedunt.

Perfecto autem ponte, qvod hostis in opposita ripa servantis vires indies augescerent, ne tum qvidem transire ausus Arnhemius: Priusqvàm Cæsarianos castra ad Wratislaviam deseruisse, Fœderatosq; rerum illic omnino potitos, comperit. Tunc etenim Cæsarianorum, qvi transitu Viadri ad Olaviæ Urbem hactenùs ipsum abercuerant, jam pariter se recipientium tergo incubuit: Illatâ iis clade haud modicâ, captoq;, inter alios, ipso Ecstadio Tribuno. Cæsarei Exercitus reliqviæ, qvæ à clade utrinq; supererant, à signis haud delapsæ, Oppelium & Coselam se receperunt.

Holckius Voetlandiam invadens, crudeliter grassatur

40. Arridente in Silesia Fœderatorum cœptis fortunâ, Fridlandius, Henricum Holckium, Campiductorem, attributis sex militum millibus, & aliqvot tormentis cum instrumento, Electoris Saxoniæ confinia, & Misniam versùs amandaverat: Illato ab hac parte bello, reversionis necessitatem Saxonicis impositurus, & ad sui defensionem, omisso hostico, in propria eos retracturus. Hic, simul ac Voetlandiam attigit, crudeliter admodùm grassari exorsus est. Aliqvammulta oppida, vici, pagi, igne subjecto, exusta: Qvamplurimi incolarum miserè trucidati: Et ne fœminis qvidem, imbecilliori sexui, parcitum; qvæ, ubi pudicitiæ illarum ad satietatem usq; illusum fuerat, in ignem præcipites actæ, aut alio necis genere, post pudorem, vitâ qvoq; exutæ.

Initio statim Adorffum, Hofium, & Annaberga certo pacto in ejus potestatem venêre: Sed, eo fusq; deq; habito, Adorffum & Hofium, qvorum posterius tamen direptionem aliqvot Joachimicorum millibus redemerat, maximam partem militari licentiâ direpta. Abhinc Olsniciam cum valida manu properatum: Cujus cives, utut qvadraginta tantùm provincialium militum præsidio niterentur, aliqvantulùm repugnare ausi, oleum igni áddidêre. Hostis enim, audaciâ prævalens, portâ refractâ, & aditu patefacto, Urbis potitus, direptam mox, plerisq; civium trucidatis, incendit, ac in cineres redegit. Olsniciæ infortunio Plavia, ad qvam por-

porrò ibatur, admonita, maturâ deditione exitio prævertit: Direptionem tamẽ omninò evitare, nullatenùs poterat. Ita Vœtlandia ferro, flammâ, & omni, qvibus Mars sævit, miseriarũ genere afflicta, circa hoc tempus, atq; ad extremam penè vastitiem redacta.

Zviccaviam ad deditionẽ compellit.

Idibus Augusti, qvinq; eqvitum alæ ad Zviccaviam, Urbis situm explorantes, conspectæ: In qvas eminùs tormentis ex Urbe fulminatum, nonnulliq; eorum ad terram prostrati. Postridie universus Exercitus illuc appulit, octo tormenta secum trahens: Qvibus in arcis monte dispositis, è vestigio factum verberationis initium. Sustinuêre autem obsessi hostium hanc vim à Lunæ ad Jovis usq; diem, nec parum damni tormentis suis intulêre obsessoribus: Ipsorum econtrà nemo dum adhuc vulnere aliqvo perstrictus fuerat; tantum abest, ut qvisqvam desideraretur. Nihilominùs tamen cives destituti milite penè omni, (viginti exceptis, qvi, è Vitztumiana Legione superstites, debile ob exantlatum langvorem corpus vix ægrè trahebant) Ducibus etiam peritis, qvorum vicem tres provincialis militiæ Præfecti utcunq; hactenùs supplêrant, defecti, ut militarium laborum & discriminum insolentes, despondere animum, &, nullâ subsidiorum spe affulgente, deditioni, qvam honorificis condicionibus jam tertiùm hostis obtulerat, decimo qvinto Calendarum Septembris assentiri: Receptâ in Urbem peditum cohorte, qvæ intra ducentorum capitum numerum staret. Civitatis qvoq; bono, & Electoris, qvæ in eadem obtinebat, juribus, certis legibus prospectum: Qvæ tamen inter armorum strepitum ab illege milite parum post exauditæ, aut observatæ.

Eandem mali contagionem in Misniã transfert

Decimo Calendarum Septembris, Chemnicio turmæ nonnullæ appropinqvabant; in Urbem admitti postulantes: Abnuentibus verò Civibus, suburbium, & Marckersdorffium, Salbersdorffiumq;, veteri Chemnicio contigui pagi, igne injecto, exusta; in repulsæ ultionem. Excivit incendii injuria centum, plus minus, Urbis incolas; & erumpendi animum dedit justus qvidem, sed inconsultus dolor: Dum enim ultra modum effervescens bilis nimis longè ab Urbe eos protrahit in campi subjecti planitiem, eqves hostilis, undiqveversùm circumfusus, qvatuordecim trucidatis, ad viginti, unà cum ruricolis nonnullis, miserè deartuatos, & lethalibus vulneribus concisos, semineces in campo reliqvit. Nec omninò tamen ceciderant inulti; nonnullis Cæsarianorum qvoq; desideratis: Qvorum exanima corpora, eqvis ferentariis imposita, à commilitonibus avecta.

Nono Calendarum Septembris, Augustoburgum, nitidissimæ structuræ arcem depopulabantur: In qvo strati lecti ultra trecentos, tapetia rari operis magno numero, nec non alia ejus notæ pretiosissima supellex, reperta. Eandem direptionis sortem Schoppavia & alii adjacentes loci qvamplurimi subierunt. Non stetit autem intra hos limites Oderæ infortunium; qvæ, pauculis ædificiis exceptis, penitùs exusta, hominumq; ad qvingentos, nullâ ætatis habitâ ratione, partim ferro interemti, partim in cellarũ latebris, qvò à militis furore se abdiderant, fumo suffocati: Ita ut ex omni civium numero, vix viginti cladi recenserentur superstites; populosæ satis universitatis exiguæ reliqviæ.

Tertio Nonarũ Septembris, Frauẽstenũ, Schonbergensium Baronũ oppidũ, Dresdâ qvatuor milliaribus dissitũ, scalis noctu admotis, opprimebatur: Ubi ferro in obvia qvæq; grassatũ, nullumq; non crudelitatis genus exercitũ.

Imò vix dies præterlapsus, qvo hostiũ excursores Dresdæ ipsi minaciter non insultarent: Direptionibus ac incendiis omnia circumcircà fœdantes. Imprimis nocte, qvæ decimum tertiũ Calendarum Octobris secuta, dũ Elector Saxoniæ Brandenburgici vicini Legatũ, & alios, à genero, Landgravio Hassiæ, missos, solenni convivio excipit, tres eximios, Urbi proximè subjectos, pagos immissâ flammâ succendẽtes, eqvis circa ignem in gyrum actis, Electori per ludibrium denunciarunt. *Ipsum qvidem genio indulgere, & agitare convivia*: (cujus, nescio undenam notitiam habebant) *Se verò eidem præferre faces atq; candelas allucere sat grandes.* Et sanè flamma hæc luculenta adeò erat; ac si intra Dresdæ ipsius suburbia grassaretur.

Non

Non possumus autem non hic meminisse nefandæ immanitatis, qvâ ergâ divini verbi Ministrum usi: Trucidatum enim haud procul Friburgo, in frusta concîdisse, canibusq; objecisse devorandum, ipsi pontificii Scriptores testantur.

Cæsarianorum ex Alsatia conatus.

41. Dum Misnia & Electoris Saxoniæ diciones longè latèq; invalescente bellorum flagrant incendio, ad superiorem Rheni oram scintilla emicuit: Qvæ totum hunc tractum corripiens, qvamplurima loca, hactenùs intacta, decurrente præsenti autumno, perniciabili flammâ involvit.

Tres etenim Legiones, binæ eqvitum, Comitis à Bronchorst & Côllingeri, tertia peditum, Metternicchii Tribuni in Treviris atq; Juliacis, Confluentium præsidio ac diœceseos Trevirensis defensioni, conscriptæ, Confluentibus ab Hornio, Regio Campiductore, occupatis, mutatâq; belli ratione, per Lützenburgensem & Lotharingiæ agrum, instituto secùs montana itinere, in Alsatiam progressæ, Cæsarianis Colmariæ, Sletstadii, & hîc locorum commorantibus, se junxerant. Qvarum virium accessione ferocior Comes de Monte cuculi, qvi summæ belli his oris præerat, trans Rhenum, Marchionatus Badensis, & Wirtenbergici Ducatus infestandorum, movit: Ubi cum mille, qvingentis sclopetariis, mille trecentis eqvitibus, binis draconum signis, & totidem tormentis, juxta Rhenum descendens, Durlaco primùm subitò supervenit; hospitio cum omnibus copiis illîc sumto. Inde Brettam progressus, Regios, qvi hîc loci divertebant, militiæ cæsareæ nomina profiteri coegit: Oppido ipso penitus direpto, valvis portarum exustis, muro aliqvibus locis diruto, & novem è Senatorum numero Bruchsellam captivis abductis.

Julius Dux Wirtenbergensis ad sex qvidem peditum millia, & octingentos eqvites sub signis habebat: Copias numero superiores, sed è provincialibus maximam partem collectitias. Neqvaqvàm igitur Cæsarianos adoriri, aut æqvæ planitiei se concredere ausus, horrida silvis loca sectabatur; longiùs inde in campos, aperto Marti aptos, protrahi se haud passus. Qvo illi animadverso, hostem hunc vilipendentes, Cnütlingam in Wirtenbergensem agrum rectâ contendere; & incolis atq; provinciali, qvi præsidio illîc erat, milite propinqvorum subsidiorum spe in repugnandi audaciam erectis, vicum, admotâ vi, expugnare; cæsis hominum ad trecentos, crudeliter diripere; direptum crudeliùs adhuc, igne qvatuor diversis locis subjecto, exurere: Vix tribus aut qvatuor ædificiis reliqvis; qvibus non hostium voluntas, sed flamma, ipsis hostibus mitior, pepercit.

Wiselocci oppugnatio.

Paulò antè Henricus qvoq; à Metternich, summæ rerum Hedelbergæ Præfectus, Wiselocci oppidum, contracto ex Hedelbergæ & Philippoburgi præsidiis nonnullo milite, aggressus, qvod incolæ & præsidiarii defensionem obstinarent, summâ vi oppugnatum ierat.

Ita exortus utrinq; tumultus præsens Regiorum auxilium flagitare videbatur. Nec Wirtenbergensis sibi defuerat: Sed Campiductorem Hornium, qvi hoc tempore ad Rhenum pro Rege curabat, intentione hostis retectâ, de subsidiis præproperè ferendis, maturè, antеqvam hostis ingrueret, imploraverat. Cui hic eò faciliùs assensus: Qvod Galliæ, ut fœderati, Regis Exercitus, sub hoc idem tempus, Hispanis Mosellâ deturbatis, Regios, circa Moguntiam, & ad Rheni tractum commorantes, irruptionis ab hac parte metu exoneraret.

Galliæ Regis Exercitus in Germaniam venit.

42. Exercitus hic, postqvàm Lottharingiæ Ducem Regis sui imperata facere coegerat, Campiductoris D' Esfiat ductu, ad Germaniæ confinia, currente mense Julio, flexerat: Trevirensi Electori, qvi Regis Galliæ protectioni successerat, possessionem suarum diœcesium recuperaturus; &, si qvæ refractaria illi adhuc superarent loca, aut amicabili viâ, aut, hac recusatâ, armorum rigore ingratiis in potestatem redacturus. Cui fini, superatis ad Lützelstenum, & hic locorum, Westgojæ montanis, in Comitis Hanoviæ Lichtenbergensis agrum descendit.

Rece-

De Philippoburgo insidendo frustrà est.

Receperat enim Trevirensis; Philippoburgum tradere, munitissimum in Rheni orâ locum: Qvod ut eò expeditiùs in effectum conferret, Legato Gallico comitatus, Moguntiâ Spiram Nemetum concesserat; misso Philippoburgum tubicine, præsidiariis, ad discessum se accingere, imperans. Verumenimverò nec tubicen intra Urbem admissus, nec literario responso dignatus Elector: Sub Tribuno Baumbergero, loci Præfecto, ore tenùs renunciante. Cæsaris jam in verba jurasse, & stipendiis militare: Cæsaris nomine obtinere Philippoburgum, ejusq; auspiciis hostilem vim, à qvocunq; tandem admoveretur, propulsare paratum. Nec mora: Sustinendæ obsidioni illicò se præparare cœpit; novâ Urbe, & piscatorum, qvæ ad Rhenum exstructæ erant, domunculis, ne hosti adminiculo, ipsi nocumento forent, flammâ absumtis.

Augustâ Trevirorũ ad deditionem adigit.

Galli verò, qvorum summus Imperator, Campiductor D' Esfiat, ardenti febre correptus, Lützelstem diem suum obierat, ductu alterius Campiductoris, Estræi, priori in imperio Regis jussu succedentis, Philippoburgo impræsentiarum à tergo relicto, ad Mosellam vertêre iter, & Augustam Trevirorum Hispanis, qvi hactenùs obtinuerant, extorsêre: Deditionis necessitate, qvarto Iduum Augusti, impositâ.

Hornius hostium conatui in superiori Rheni tractu obviam ire secum cõstituit:

43. Sed relinqvamus Mosellæ incubantes Gallos, & ad Hornii susceptam noviter expeditionem, à diverticulo in viam, revertamur. Hornius, haud abs re communi fore duxerat; tum præstandæ Wirtenbergensi agro debitæ securitatis, tum hospitiorum & diribitoriorum regiorum, qvæ inferiorem Palatinatum versùs ceperant, ab hostium irruptione protegendorum, ad Nicrum cum nonnullis copiis movere: Qvantæcunq;, salvis præsidiis & locorum tutelâ, inferiori Rheno deduci posse viderentur. Utut enim à Pappenhemio aut aliunde inopinati periculi qvid ingrueret, maturè tamen de eo certior factus, semper, secundo inde flumine, qvòcunq; exigeret necessitas, periclitantibus suis curriculo subsidio adesse poterat.

Copiis itaq; eqvitum, peditumve haud temnendis è Rhenana ora contractis, cum pedite Oppenhemum ac Wormatiam contendit: Eqvitatu pontem ad Moguntiam navigiis constratum transire, & in opposita ripa iter habere jusso. Ad Wormatiam qvoq; peditatus navibus Rhenum traductus, junctoq; agmine Nicrum versùs properatum. Cui incubantem Manhemii Urbem, decimo octavo Calendarum Septembris, Hornius attigit: Illic tamdiu considere animo destinans; dum, & de hostium viribus, consiliisve, & Duce Wirtenbergensi, ubinam cum copiis suis commoraretur, certi atq; explorati qvid cognosceret.

Wiseloco liberãdo approperat.

Interim relatum: Montecuculianos, Brettâ occupatâ, Cnutlingâ verò desolatâ penitùs & exustâ, Wiselocum, ubi eqvitum ala, à Marchione Badensi conscripta, ac dracones nonnulli hospitabantur, circumsedisse; tutantesq; se & deditionem detrectantes, tum violentiâ tormentorum, tum ignium artificiosorum projectu, in maximas redegisse angustias. Huc ergò universis viribus suppetias obsessis eundi, & depellendi obsidio hostis consilium ex arena cepit.

Sed Metternichius & la Mulie, qvos solos, cum nonnullo, ex Hedelbergæ atq; Philippoburgi præsidiis coacto, milite, Wiseloccum oppugnâsse, Hornius postmodùm comperit, vix primâ adventus ejus famâ ad aures advolante, obsidium præproperè deseruerant; evitatâq; planitie, per montium prærupta, Hedelbergam trepido se recipiebant gradu: Ita ut vix pauci moratores in Regiorum præcursorum manus venirent.

Hostilem eqvitatũ illic profligat.

Miserat autem Metternicchius, anteqvam discederet, aut qvicqvam de Regiorum adventu inaudiret, ad Comitem de Monte Cuculi Decanum & senos eqvites; militaria subsidia flagitatum. Hi in reditu, rerum omnium ignari, in regios excubitores incidentes, ab iisdem unà cum responso intercepti; ejusq; indicio cognitum: Potiorem eqvitatus hostilis partem postridiè, qvi decimus septimus Calendarum Septembris dies, ad Wiseloccum Metternicchio præsto fore.

Qvam

Qvam Hornius occasionem hostium ex insidiis excipiendorum, ultrò se offerentem, & in amplexus velut ruentem, minimè prætermittendam ratus, cum Exercitu oppido propiùs successit, stationemq; cepit loco tutissimo, & intentioni suæ qvàm maximè opportuno: Copiis, ne hostis de consilio resciret, aut persentisceret, arctissimè constipatis, strictimq; servatis ordinibus, nemini loco sibi attributo excedere permittens. Nec exspectatio eum fefellit: Montballionius enim & Vitztumius Tribuni, qvos bini subTribuni, aliqvot Magistri eqvitum, & flos cæsarei eqvitatus seqvebantur, stato tempore, magnâ animorum confidentiâ appropinqvantes, non exploratis insidorum locorum recessibus, altiùs penè hosti nec-advertentes insinuabant; qvàm ut integris ordinibus retrahere pedem liceret. Collustraverat Hornius præsentes hostium vires eminùs, in proxima planitie oculis subjectas, & vel solo eqvite suo, qvi nec animis, nec numero impar, pugnam haud subterfugiendam, liqvidò cognôrat; econtrà Cæsariani ulteriùs in nassam, & ipsam peditum aciem prolici recusabant, jamq;, seu angvem in herba, seu in silva potiùs hostem latitare, odorati, retroactis ordinibus, receptum moliebantur: Ne ergò iterùm elaberentur, cum solo eqvitatu è subsessa prorumpere, & rei periculum facere, necessum fuit. Neq; tamen isti, Regiis adventare conspectis, terga statim vertere, sed, condensatis ordinibus, stabilem figere pedem: Omni spe salutis in dextrarum potiùs robore, qvam fugaci qvadrupedum pernicitate positâ. Inter primos ipse Tribunus Montballionius, cum Harancurtianis cataphractis, in qvatuor Legionis Rhingravianæ alas, qvibus ipse Rhingravius voce & manu præibat, impingere: Intrepido animo virorum, eqvorumq; corporibus corpora qvàm proximè objectans. Sed dum Regii strenuè resistunt, nec impelli se ullatenùs sinunt, reliqvæ autem hostiles turmæ interim magno impetu invaduntur, & Dux ipsemet, acerrimè pugnam ciens, lethali ictu confectus eqvo defluit, terrore ab omni parte multiplicato, fluctuare primò Cæsarianorum ordines; mox dissolvi, & in effusissimam verti fugam. Qvorum vestigia Regii ad Mingelshemum usq;, duobus milliaribus Wiselocco distans, rapidissimè insecuti: Nullo ad restituendum ordines, aut pugnam instaurandum concesso spatio. Ceciderunt in hoc prælio, unà cum Tribuno, qvem diximus, Montballionio, summo harum copiarum Duce, ejusdem subTribunus, & nonnulli eqvitum Magistri: Gregariorum autem ultra ducentos, recensione factâ, in campo reperti. Nec connumeramus; qvi eqvis delapsi, & in vinearum aut arbustorum latebris perfugium qværentes, calonum, depugnato prælio, abstrusa qvæq; scrutantium, manus inciderunt: Ignobili ab iisdem mortis genere absumti. Captorum qvoq; insignis numerus: Ut ita agmen hoc, qvod, & captivorum assertione, & oculorum judicio, vix intra mille, armis eqvisq; instructissimorum, eqvitum, & maximam qvidem partem cataphractorum numerum stabat, internecinam penè cladem passum fuerit.

Hostis Philippoburgi trás Rhenum se recipit.

De qva simul ac Comiti de Monte cuculi, paucorum, qvi evaserant, relatu cognitum est, formidinis impletus, Philippoburgum cito gradu petiit; nec minori properantiâ & trepidatione Rheno illic tramisso, imminenti discrimini se subduxit. Aderat enim postridiè statim Hornius, clade pridianâ perculsum oppressurus: Nî is, comperto suorum infortunio, maturè, ut diximus, fortunas suas in tuto collocâsset.

Hornius præverte re ipsum nititur.

Hornius, perpenso rerum statu, & ratione belli subductâ, consilium exinde cepit, movendi porrò cum Exercitu in superiorem Rheni tractum, hac intentione: Ut mediam (qvam vocant) Marchionatus Badensis partem, cujus Dominus, hosti adhærens, bello

huic, insigni cum vicinorum detrimento se immiscuerat, imposito contributionis jugo, simul subdomaret; simul, eqvitatu ad Argentorati Urbem Rhenum traducto, Montecuculianis, trans Rhenum Brisacum tendentibus, iter, si pote, intercluderet. Hubaldum itaq; Tribunum cum peditatu ad Stolhofium relinqvens, Urbem hanc, centum triginta militum præsidio ab hoste firmatam, in potestatem redacturum; ipsemet cum eqvitatu grandibus gradibus approperabat: Ita ut, undecimo Calendarum Septembris, Argentoratensium pontem transiret.

Qvi tamẽ mirâ celeritate evadit.

Verùm hostis, majore adhuc celeritate usus, diesq; & noctes, nullâ intermissa qviete, iter continuans, nec jacturâ ullâ militum, qvi nimio labore fracti inter viam magno numero remanebant (deserti potiùs qvam desertores signorum) ut moderatiùs paulò incederet, permotus, præverterat, & Brisacum, inoffenso pede, evaserat. Haudqvaqvàm eâ tamen de causa à suscepto itinere destitit Hornius; sed cum eqvite ad Ilæ flumen perrexit: Ersteni hospitium sibi deligens.

Stolhofiũ in Regiorum potestatem venit.

Dum intereà Hubaldus Stolhofii qvoq; obsidio defungeretur. Cujus præsidiarii pleriq;, ad centum ferè, regiæ militiæ suâ sponte transcripsêre nomina: Qvod reliqvum erat, armis exutum, fustibusq; eorum loco in manus traditis, dimissum.

Hornius sedem belli in Alsatiâ transferre decernit.

Hoc feliciter peracto, ab Hornio denuo in deliberationem itum, & Dux Wirtenbergensis in consiliorum communionem assumtus: Qvod duplex hostem infestandi aperiretur campus; cis & ultra Rhenum. Nam & hinc, ascitis Wirtenbergicis subsidiis, porrò niti, in proclivi esse: Et illinc vestigio trans Rhenum firmato, Alsatiâq; in ordinem redactâ, spes ampla insignium progressuum affulgere. Utrinq; rationes magni momenti: Demum nec Alsatiâ iterum excedere, nec expeditionem cis Rhenum omninò intermittere placuit. Et hæc qvidem soli Duci Wirtenbergensi relicta: Qvi Kentzingæ flumen, & vallem cognominem, ab hoste repurgaret; fixo Offenburgi pede. Par enim huic Wirtenbergensis existimatus: Qvod Offenburgum nullo præsidio insessum, adeòq; occupatu facile; occupatum autem tutissima, adversùs hostis ingruentis impetum, præbiturum esset stativa. Belli è diverso in Alsatia telam inchoandam Hornius sibi sumsit: Ubi uberior contributionum messis, adeòq; Exercitus novis supplementis augendi media ampliora; hostem verò iis præceptis, damnum manebat luculentius. Nam Cæsaris generalis Commissarius Ossa jactâsse inter suos ferebatur: Alsatiam & Brisgoam velut cor esse Cæsaris: Unde in exteriora membra vitalis spiritus derivaretur. Et, qvemadmodùm, corde intacto, utut langvor alia membra depascat, semper adhuc spes vitæ superest: Ita, qvamdiu Cæsar hîc rerum potens foret, tamdiu, utut bellum variis in eum grassaretur cladibus, nunqvam non Exercitus reparandi affatim suppetere facultatem. Cujus specimen non obscurum idem Ossa jam dederat: Fundamento militiæ insigni his oris jacto. Hospitiis itaq; istis, in qvibus adolescere validis incrementis satagebat, exturbare hostem, dissipatisq;, qvas coegerat, copiis, ulterioris delectus præpedire, & ita Exercitum hostilem, nondum adultum, in ipsis opprimere velut cunabulis, necessarium apparebat; ut qvàm maximè. Accedere Argentoratensium monita, hortamina, preces: Ad suscipiendam hanc expeditionem, tormenta cum necessario instrumento, commeatum, militemq; suum præsidiarium, qvi ad mille ducentorum numerum ascendebat, qvantumcunq; tutelæ ac præsidio Urbis detrahi inde posset, largiter offerentium. Peditatus igitur versùs pontem, qvo Rhenus Argentorati sternitur, confestim iter pariter qvoq; intendere jussus.

Subdomandæ porrò Alsatiæ nil expeditius fore, in propatulo erat: Qvàm si, occupatâ unâ trium Urbium, Benfeldæ, Sletstadii, aut Colmariæ, Ilæ flumini, qvod provinciam mediam interluit, frenum injiceretur. Inter has

has verò Benfeldæ, examussim & ad hodiernæ artis præcepta munitæ, obsidio nimiæ operæ & impensæ videri: Colmaria, longiùs dissita, aggressu difficilior. In Sletstadium itaq; primò Hornii inclinare animus: Qvo in dicionem redacto, Benfelda, à suis interclusa, eminùs velut circumcingeretur, & ad tentandam Colmariam sterneretur via.

Sletstadium ituro Ehenhemum superius, qvod à Metternicchiana, qvadringentorum aut qvingentorum capitum Legione, & nonnullis armatorum provincialium centuriis tenebatur, inter vias penè occurrebat; id qvod intactum prætermitti haudqvaqvam Hornio visum: Cùm, ut à tergo tuta omnia relinqveret; tum, qvia dictam Legionem opprimi hic posse spes erat. Insignis qvoq; commeatus penus ibidem ferebatur reconditum: Sletstadium obsidere molienti maximo usui futurum.

In hunc finem Hubaldus cum peditatu, & duodecim machinis, Rheni pontem Kähle transiens, die solis, septimo scilicet Calendarum Septembris, summo mane, Exercitum in prato lanionum stitit, & post duarum, qvæ rei divinæ impensæ, horarum moram, Ehenhemum inferius movit: Ubi postridiè tria semimuralia tormenta, cum omnibus ad eorum usum necessariis, varia insuper moliendæ terræ instrumenta, nec non panis ac vini copia haud mediocris, ab Argentorato, promissorum memore, submissa, Exercitum asseqvebantur.

Ehenhemum superius imperata facit.

Eodem die Regii Ehenhemum superius rectà contenderunt: Sed cæsareus miles, hactenùs illic divertens, spe sustentandi abjectâ, celeri discessu Regiorum adventum prævertenat. Civis verò ac incola, milite seu ferocior, seu imprudentior potiùs, in defensionem animos erigere ausus, appropinqvantes Regios infestis primò impetere ictibus; sed, præsentissimâ vi conspectâ, ipse animum qvoq; mox despondere, portisq; reseratis eosdem admittere: Ob imprudentiæ & temeritatis culpam duodecies mille Joachimicis mulctatus.

Offenburgum à Regiis subigitur.

Interim Offenburgum, militari præsidio destitutum, admotis Wirtenbergicis copiis oppugnari cœptum, simulatâ induciarum pactione obsessoribus illuserat: Illis enim durantibus, ter centum pedites, & centum viginti eqvites, Brisaco venientes, nec difficulter intromissi, animum & vires ad tolerandam ulteriorem vim addidêre. Hinc, qvarto Calendarum Septembris, molendina & alia nonnulla suburbana ædificia, pars diruta, pars flammis absumta, strenuèq; subinde ex Urbe in Wirtenbergicos fulminatum: Qvorum multi, dum, perfidiæ hostilis imprudentes, incautiùs muros subeunt, interq; eos summus venatorum ducariorum Præfectus, desiderati. Hinc, mutatâ rerum facie, ad vim reditum, & Hornius de his, qvæ acciderant, certior factus. Qvi, rem à Wirtenbergicis nimis diu protractum iri veritus, simul ac Ehenhemum in potestatem venit, ipsemet, Scoticâ Legione, & nonnullis eqvitum turmis comitatus, maturandæ obsidioni, in cujus adminiculum Argentorati Civitas duas iterùm dimidiatas machinas, & totidem mortaria cum instrumento sufficiebat, retrò illuc se contulit: Sub adventum suum omnibus statim, pro tempore & re natâ, prudenter ordinatis. Die Veneris, pridiè Calendarum Septembris, non ostensa modò vis, sed crebro tormentorum displosu, igniumq; artificialium projectu illata. Hoc ipso die Hornius ad Ortenburgi arcem, qvam unâ eademq; operâ adortus fuerat, vitæ adibat discrimen: Nam & Comitum unus, paulùm modò præcedens, globo transadactus, periit, & ipse, latus leviter saucius, inde recessit. Postridiè, ipsis Calendis Septembris, violentâ tormentorum verberatione, & granatensium (ut vocant) pilarum injectu gnaviter continuatum: Creberrimusq; clamor imbellis sexus ac tenerioris ætatis, ejulantium, atq; invicem in ancipiti vitæ discrimine se miserantium, auditus. Noctu autem qvies aliqvantisper obsessis indulta, sed brevis & infida, ut qvæ majus, præsentiusq; periculum parturiret: Intereà enim grandiora aliqvot tormenta propiùs admota muris, & intra minoris

 sclope-

sclopetuli jactum è regione primariæ portæ collocata. Qvo posterâ luce conspecto, obsessi, non jam simulatè, sed seriò, de suspensione armorum, deditionis prænunciâ, agere primò cœperunt; eâq; haud ægrè impetratâ, ad ipsam statim deditionem perventum: Ita ut præsidium à meridie Urbe statim excesserit. Incolæ, Urbis direptione vigesies mille florenis redemtâ, qvingentos Regiorum præsidio recipere, simulq; juramento conceptis verbis præstito, Regi Sveciæ, ut Domino suo, hæreditariorum ac propriorum subditorum adinstar, fidem obstringere coacti: Qvia verò suburbanas nonnullas ædes, ad tutelam Urbis, ipsimet diruerant partim, partim exusserant, easdem ne unqvàm reædificarent, imperatum. Reperit qvoq; Hornius in hoc loco, commeatus, rei tormentariæ, tum machinarum ænearum varii generis copiam non temnendam: Validum belli porrò gerendi instrumentum.

Et Ortenburgi castrum.

Ipsis Nonis Septembris, Ortenburgi munitissimum castrum deditione in Hornii potestatem transiit: Unde, qvi Ortenoæ, satrapiæ præerat, Præfectus, maturè, anteqvàm arci includeretur, Brisacum aufugerat. Ortenburgo autem dedito alia qvoq; loca vicina, ut Gengenbaccum, Cellæ ad Hammersbaccum (cum Urbe antistes) Hausenæ, Wolffacum, totaq; Kentzingana vallis, ad Rotwilam & Wirtenbergensis agri confinia usq;, nullâ morâ interpositâ, Regiorum tutelæ ac protectioni successêre.

Inter secundos hos successus nil obstabat; qvò minùs ab ea Rheni parte ulteriùs promoverentur arma, nec Kentzingæ tantùm, sed & Friburgo manus injicerentur: Certo tamen consilio hac vice istud dilatũ. Non enim munitæ admodùm hæ Urbes, & numerosâ Pontificiorum civium turbâ infessæ: Ita ut, nec istarum munitio defendi, nec horum ferocia & zelus, qvo ergà sacra sua ferebantur, coerceri, nisi valido militum præsidio, posset. Copias autem regias in ejusmodi præsidia dispergi, & Exercitus robur minui, rerum status adhucdùm non patiebatur. Qvin & tempus diu hîc terere, haud operæ Hornio visum: Qvod majori progressuum spe in Alsatia subigenda collocaret.

Benfelda demum à Regiis obsidetur.

Hinc cum milite, qvem adduxerat, Argentoratum versùs repedans, Rhenum denuò trajecit: Flexo tamen paululùm Alsatiæ invadendæ consilio, non de Sletstadio amplius, sed Benfeldâ ipsâ in potestatem redigendâ agitans. Mutationem consiliorum inducebat Benfeldæ situs: Qvâ ad latus in hostium manibus relictâ, Sletstadii obsidium difficultatibus plenum reddebatur. Non enim hinc modò, sed & Dachsteno, qvod pariter adversæ partis præsidio tenebatur, commeatum Hornio, Sletstadium obsidenti, ab hoste iri interclusum, metus erat. Veniebat insuper exactâ curâ rerum circumstantias pensitanti in mentem: Reliqva pari, qvâ occupata forent, facilitate, si Exercitui digrediendi imponeretur necessitas, amitti. Qvod si fortuna conatibus in occupãdo tanti momenti loco arrideret, Regem Sveciæ hoc ipso Alsatiæ adeò altè impressurum pedem, ut ab hoste, prout vires ejus tunc temporis afflictæ admodùm, è statu haud valeret dimoveri: Et, utut reliqva loca manerent intacta, belli ratione, Exercitum ad Mœnum, aut aliorsùm, hosti defendendo, abduci, flagitante, insigne tamen hoc esse rerum in Alsatia gerendarum exordium; latamq; eo ipso denuò invadendæ ac penitùs subjugandæ aperiri fenestram. Deniq; Argentoratensium qvoq; affectum, qvo regias partes proseqvebantur, haud parum auctum iri spes erat, si infestorum vicinorum molestiâ exonerarentur. Hæ igitur causæ Hornium, Campiductorem, impulerunt: Ut ad oppugnandam Benfeldam omnibus viribus accingeretur.

Nobilitas autem inferioris Alsatiæ, hoc rerum statu, de tributo Regiis pensitando haud difficulter assentebatur, & diversi Ordines, successu temporis, ad imperata faciendum bono modo se patiebantur induci: Summi beneficii loco habentes, si Argentoratensium, & Comitum Hanoviæ Lichenbergicorum exemplum secutis ad regiam protectionem ac tutelam pateret aditus.

Media qvoq; Marchionatus Badensis

densis pars, qvam Cæsar Durlacensi ante duo lustra, & qvod excedit, extortam, Edowardi fortunati liberis tradiderat, rebus Regiorum ex voto fluentibus, & hoste ab omni parte pulso, ad eundem Durlacensem postliminio reversa.

Rex Norибergâ, valido præsidio firmatâ, discedit.

44. Sed reflectamus cum stylo mentem ad duos capitales hostes, Regem, nimirum Sveciæ, & Bavariæ Fridlandiæq; Duces, nuper in castris, haud procul Noribergâ collatis, relictos. Jam Sveciæ Rex hosti, certamen vitabundo, confessionem concessi ubiq; campi expresserat; in statu etiam, qvem proximè hostem ceperat, qvatuordecim penè dierum moram trahens, omnem adversariorum è castris depellendorum, aut aliâ inde ratione extrahendorum spem deficere, liqvidò animadvertebat: Qvapropter movendi se consilium cepit; num fortè appetitu, Noribergæ, cui totam æstatem avidis faucibus inhiârat, tentandæ subrepente, è latibulis suis in apertam planitiem prolectari possent? Vasis itaq; conclamatis, & impedimentis ac re tormentariâ præmissis, cum Exercitu in aciem instructo, personante latè campum tympanorum murmure, & tubarum clangore, extima penè hostilium castrorum stringens, Neostadium ad Æstum se contulit: Hoste ad hæc omnia immoto, nec postremam aciem ullis leviorum incursuum tentaminibus infestante, aut qvoqvo modo iter impedire auso; qvinimò eqvitum turmas, qvæ extra castrorum vallum in primis principiis excubabant, intra vallum retrahente.

Regis autem hic discessus Pontificiis, Coloniæ & alibi commorantibus, eò auditu magis insolens obtigit, qvia mendaces rumorum architectones apud illos sparserant: Regem cum omni Exercitu ab adversa parte adeò arctè circumsessum; ut evadendi nulla pateret rima. Cui impudenti falsimoniæ ut fides astrueretur, peculiaris, huic rei inventa, & cupro excusa castrorum effigies Coloniæ venum circumlata fertur.

Reliqverat tamen Rex Noribergensibus ad propulsandum hostis impetum, qvater mille qvingentos circiter pedites, & eqvitum alam, cohortemq; draconum, ductu Cniphusii, generalis vigiliarum Præfecti: Supremo tamen rerum omnium, & totius Imperii, cùm civilis, tum militaris clavo, Regni sui Cancellario, qvi pariter Regis jussu illìc remanebat, concredito. Nec dubitabatur, qvin præsidium hoc sustentando hosti par esset; qvoad subsidio Rex è propinqvo accurreret: Qvi in hunc finem, & ut hostis consilia exactiùs exploraret, usq; ad Idus Septembris, Neostadii cum Exercitu substitit.

Nostadio Rex, dictis Idibus, Winshemum movit. Ubi Tartarici à Chrimnicensium, Ctzircassorū ac Procopensium Imperatore, (magnum Chamum vocant) Imperiiq; Primoribus Legati illum convenerunt: Vice Dominorum suorum, qvibus inclytum & gloriosum Regis, tot ingentibus adoreis macti, nomen, in oris istis longissimè dissitis, innotuerat, de victoriis obtentis gratulati. Legatio isthæc viginti personis constans, qvarum princeps & caput, ab ipso Imperatore missus Nuralii Olan Mursa appellabatur, ut comiter à Rege accepta, ita dapsiliter tractata, & benigno accepto responso, nec sine muneribus dimissa.

Tartarorum Legatio ad Regem venit

45. His ipsis Idibus Septembris, cæsareus qvoq; & Bavaricus Exercitus, aliqvammultis pagis circa Noribergam incendio desolatis, atq; ita bile, qvam in Urbem non poterat, in paganos effusâ, castra sua, Vulcano pariter consecrata, deseruit. Eodemq; momento Onoltzbacum, Swabaccum, Rota, reliqva, qvæ hinc inde insederat, immunitiora loca hoste se liberata senserunt: Solo Lichtenavo excepto, qvod ulteriùs præsidio teneri, operæ pretium visum. Regneso autem tramisso, Forchemum rectâ itum: Ubi major & validior Exercitus pars paulisper interqvievit; Bavaricis nonnullis copiis ad Danubium properantibus, & Gallassio à Duce Fridlandiæ versùs Bohemiæ confinia, inde in superiorem Saxoniam, Electoris, qvi jam ante ab Holckio mirum in modum affligebatur, penitùs opprimendi, contendere jusso. Qvi inter viam in

Cæsariani è castris ad Noribergam movent.

am in Noribergensium territorio hostiliter grassatus, Lauffum, Grefenbergam, Veldam, Hersbruccum, dicioni eorum subjecta oppida, in potestatem redegit.

Gallassius Lauffum expugnat. Lauffum sanè Regii milites, qvorum qvinqvaginta illic servabant, civibus & agricolis eò refugis subsidiariam operam navantibus, defendere ausi, hostilium armorum impetum per integrum diem, noctemve remorabantur: Donec tormentis loco, per se haud adeò munito, admotis, & verberatione ad portam institutâ, pilisq; aliqvot granatensibus injectis, ad deditionis necessitatem compellerentur. Qvæ tamen, nisi qvod vitam salvam præstaret, haud admodùm ex ipsorum re fuit: Miles enim Dominum mutare, incola verò direptionem magnâ pecuniæ summâ redimere coactus, &, dum ea exsolveretur, primores qviq;, ut vades, Exercitum ingratiis seqvi jussi. Locum Gallassius discedens, præsidio firmatum relinqvebat: Qvod, operi aut labori haud parcens, successu temporis magis, magisq; munire se, & ad hostilem vim excipiendam præparare cœpit.

Dirumq; in modū grassatur. Sævior adhuc sors Grefenbergam manebat. Hujus enim incolæ, ipsi qvoq; in defensionis audaciam erecti, mox hostium furori cessêre: Qvi in vitam multorum, obviis passim primo fervore trucidatis, & fortunas omnium, oppido penitùs direpto, debacchati, ipsis deniq; ædificiis, igne injecto, næniam cecinerunt.

Sultzbacum porrò ut Gallassius attigit, Urbem aliqvoties iratæ fortunæ ictus expertam, jamq; ad incitas penè redactam; eo tamen non attento, incolarum principes in captivitatem abducti, &, qvicqvid annonæ reliqvum erat, Ambergam avectum.

His post se relictis vestigiis, qvæ memoriam ipsius, devovendam potiùs, qvàm votis ullis proseqvendam, incolis subinde refricarent, Weidam & Egram, rectâq; inde viâ in superiorem Saxoniam contendebat; Holckio se juncturus: Ut infrà patescet.

Rex Danubium versùs cō tendit. 46. Dum ergò Cæsariani Noribergæ valedicunt, & nuncium de ipsorum discessu ad Regis aures perfertur, ne is qvidem diutius cunctandum ratus, decimo qvarto Calendarum Octobris, Exercitum bipertiebatur; & Bernhardo, Saxoniæ Duce, cum parte Kitzingam ad Mœni fluminis, Franconiæq; defensionem ire jusso, cum altera ipsemet Rotenburgum ad Duberum, hinc Dünckelspilam, iter habebat: Ubi octavo Calendarum Octobris qvieti dato, porrò Nordlingam, atq; postridiè Donawerdam perrexit. Donawerdam eâdem adhuc vesperâ eqvitatus traductus, illoq; magna pars noctis, ad meridiem usq;, absumta: Qvem summo mane peditatus subseqvebatur. Rex autem, & hanc noctem, & diem, qvi secutus, Elgaviæ transegit: Recuperandi Raini, oppidi ad Licum siti, consilium agitans, summoq; studio comparans, qvæ huic expeditioni necessaria viderentur.

Bavarus miles Raino potitur. Bavarus enim auxilio suffultus Florentinarum copiarum, qvas bini fratres magni Hetruriæ Ducis, Cæsari suppetiatum, ex Italia in Germaniam adduxerant, Rainum, violentâ obsidione tentatum, à Mitschevalio, regio Tribuno, cujus fidei locus erat concreditus, nullam aut exiguam defensionem auso, deditione recuperârat, sexto Calendarum Octobris: Eo ipso momento, qvo Rex, depellendi obsidio hostis, approperans, in proximo jam versabatur. Hic itaq;, ut Augustam Vindelicorum difficultatibus eriperet, qvibus, oppido isto in potestate hostium relicto, itineraq; qvotidianis incursionibus exinde circumcircà infensante, brevi colluctaturam eminùs prospiciebat, de eodem vi è vestigio obsidendo, consilium ex arena ceperat.

Rex in cōtinenti id recuperat. In qvem finem, qvinto Calendarum Octobris, Marckbiberacum movens, ibidemq; pernoctans, Licum ponte sterni imperavit. Postridiè autem vestigia sua Oberndorffum relegens, in aliqvot Croatarum centurias incidit: Qvi fusi statim, & vexilla septem fugientibus erepta. Pridiè Calendarum Octobris, pontem, indefessâ suorum operâ jam absolutum, & utramq; ripam connectentem, cum Exercitu ac tormentis tramisit: Impedimentis cis flumen manere jussis.

Nec

Nec mora: Exstructi statim suggestus, disposita tormenta, & humo hostē versùs egestâ, oppido appropinqvari cœptum. Summâ qvidem industriâ & celeritate; qvam tamen densa nebula, totum campum obumbrans non parum adjuvit: Ita ut Regii, humum molientes, caligine ejus instar velamenti prætensi cœlitùs tegerentur, nec certis & destinatis ictibus à vicino hoste peti possent. Nullâ itaq; difficultate & exiguo tempore accessus ad ipsas usq; hostis munitiones promoti. Qvi, utut ultra qvadringentos milites, omnes veteranos, in præsidio haberet, nihilominùs animo statim fractus, ad deditionem se obtulit: Eâdem adhuc luce certo pacto dimissus. Et pedes qvidem, depositis id genus armis, qvæ superiora ad lateralium differentiam vocant, eqves verò, relictis eqvis, pediti exæqvatus, & ipse pariter pedes excessit. Ita locus hic, tam naturâ, qvàm arte ac operibus, à Regiis exstructis, satis munitus, paucarum horarum spatio, haud dispari, ac ab hoste occupatus fuerat, facilitate à Rege receptus: Qvem, ad minimum, sex aut octo dierum vim toleraturum, Rex ipsemet sibi persvasum habuerat.

Mitschevalius deditũ Rainum capite luit.

Non tamen Mitschevalio Tribuno id qvicqvam levamenti attulit: Qvin Neoburgi ad Danubium, qvorsùm Rex postridiè cum Exercitu se contulerat, summo castrensi judicio sisteretur. Ubi auditus, nullam aliam culpæ suæ excusationem prætexere potuit; nisi qvod milites nonnulli, misso ad ipsum Signifero, deditionem fieri postulâssent, minitabundi: Ni fieret, arma abjecturos. Qvia verò, causâ cognitâ & discussâ, excusatio hæc frivola nulliusq; momenti judicabatur; qvippe cum in seditiosos hos condignum potius edere exemplum, qvam postulatis eorum morem gerere decuisset: Ideò, sententiâ solenniter latâ, dictus Tribunus, tertio Nonarum Octobris, capite truncatus est; aliis in terrorem, ut commendata fidei suæ loca majori curâ tuenda imposterùm nossent. SubTribunus ejusdem, & alii cohortium Ductores, in loco supplicii, spectatores pœnæ fuêre, non comites: Deprecante Reginâ, vitæ veniam à Rege consecuti.

Non notare autem hîc non possumus; utriq; fratri, Casparo Gulielmo, & Jodoco Henrico, Mitschevaliis, fatale fuisse videri hoc tempus: Nam ut ille, Raino sexto Calendarum Octobris dedito, vitæ simul & existimationis jacturam fecit; ita hic pridiè, qvi septimus erat Calendarum Octobris, Legione ejus ad Gvelpherbytum ab hoste oppressâ, fortunæ qvoq; iratæ aculeos haud perfunctoriè experiebatur.

Landsberga ad Licum, in Regis ditionem redit.

Ipsis Idibus Octobris Landsberga ad Licum in Regiorum potestatem denuò concessit: Præsidio, qvod delectis sclopetariis circiter sexcentis constabat, non, nisi albis bacillis, abire permisso.

Rex pedem à Danubio refert, ad succurrẽdum Electori Saxoniæ.

Inter hæc Fridlandiæ Dux, cum potissima hostilium armorum mole, in Saxoniæ Electorem incubuerat: Eundem aut à Regis & aliorum Protestantium communione divulsurus; aut, si fidem servaret, oppressurus, & pessum omninò daturus. Qvapropter Elector binis literis, ingenti properantiâ datis, Regem obsecraverat, resecraverat: Ut ne in ancipiti & periculosissimo hoc rerum statu, qvo res omnes ac fortunæ ipsius in acie novaculæ versarentur, auxilio laborantem destitueret; sed, fœderis contracti & boni publici memor, hostis infringeret impetum ac furorem. Nec ad ferendas ille cunctantior, qvam alter ad flagitandas suppetias, illicò, consiliis omnibus, qvæ animo volvebat, sepositis, Electori totis viribus succurrere, & effectum, qvo hominem complecteretur, minimè fucatum, nec non fidem haudqvaqvàm sublestam re ipsâ contestari decrevit. Cui fini, rebus Augustæ, Raini, Donawerdæ, adversus Bavari impetum providâ curâ ordinatis, relictisq; hoc tractu aliqvot militum millibus, Christiano, Comite Palatino Rheni, Duce, donec Johannes Bannerius à vulnere reconvalesceret, cum Exercitu reliqvo Nordlingam repedabat. Unde Exercitus, qvinto Iduum Octobris, rectà per mediam Franconiam, versus fatalem Misniæ terram, progredi jussus: Rege ipso cum septingentis eqvitibus ac draconibus à via paululùm declinante, & Noribergâ se conferente.

47. Bavariæ enim & Fridlandiæ Duces, octavo Calendarum Octobris, Forchemo, tormentis nonnullis, vasisq; qvamplurimis, qvæ jumentorum inopiâ avehi non poterant, illic relictis, &, loco valido præsidio firmato, discedentes, Bambergam junctis viribus perrexerant.

Cæsariani in Culmbacensi agro truculenter se gerunt.

Paulò ante Culmbacum & imminentem Blassenburgi arcem procare, libido eis incesserat: Misso illuc, qvinto Calendarum Octobris, tubicine, qvi deditionem imperaret, & postulato, aliqvoties repetito; cui adjectæ postremò minæ. Nî imperata fierent, nullum natum hominem, imò ne embryonem qvidem, necdum natum, stragi superfore; sed universam provinciam ferro, flammâq; desolatum, & ab imo qvasi eversum iri. Verum, qvi Marchionis Brandenburgici, tum absentis, nomine rebus hîc præerant, minis neqvicqvam territi, constantem Domino suo, & communi Protestantium causæ fidem exhibuêre. Qvocircà miles, laxato à Ducibus freno, in prædarum, cædium, incendiorum licentiam effusus, horrendùm grassari cœpit: Qvamplurimos insignes vicos, pagos, tum arces qvoq; ac molendina, circumcircà Vulcano consecrans. Baireutum, qvod direptionem, numeratâ non modicâ pecuniæ summâ, vix ante aliqvot dies redemerat, improvisò oppressum & expilatum: Incolis nonnullis trucidatis; aliis aliqvammultis, extorqvendo æri, in captivitatē abductis. Nec cum Creussa, Pegnitio, cæteris in dicti Marchionis territorio sitis, oppidis mitiùs actum. Blassenburgi autem ad arcem qvandòcunq; propiùs subirent, tormentorum fulminibus excepti, re infectâ pedem referre cogebantur.

Coburgi Urbē occupat.

Qvarto Calendarum Octobris, Exercitus Coburgi Urbi & castro admotus. Præerat huic loco Tupadelius Tribunus, propriâ draconum Legione stipatus, &, hostem propiùs accedere sentiens, cum maxima militum parte in castrum, qvod, monti superstructum, Urbi imminet, secesserat: Uno tantummodò Centurione, cum centum sexaginta gregariis, & provincialium delectu ad Urbis defensionem relicto. Hi primos hostium, mœnibus appropinqvantes, strenuè retuderunt. Nec segnior Tupadelius, eruptione bis ex arce factâ, bis hostem suburbiis, qvæ jam insederat, ejecit: Qvoad Ducis Consiliarii, & Civicus Magistratus, interdicto civibus ac provincialibus armorum usu, deditionis apud hostem satagerent. Tunc enim hosti mox reseratæ portæ, insciis Regiis: Qvi receptu in arcem penè intercclusi. Animis tamen ac armis idcircò neqvaqvàm abjectis, in cuneum conglobati, simul ipsi perruperunt; simul à Tribuno, qvi laborantibus & circumventis subsidio tempori aderat, hosti, circumfuso & neqvicqvam frendenti, sunt erepti.

Castro vi, sed neqvicqvā, obsesso.

Eâdem adhuc luce à Duce Fridlandiæ missus tubicen in arcem, deditionem flagitatum: Sed cum repulsa dimissus. Qvo reverso, inter noctis tenebras propius succedens arci miles, terram moliri exordiebatur: Verùm nec hoc ex voto cecidit; montis asperitudine omnem laborantium operam respuente. Totus itaq; in fermento jacens Fridlandius, dira qvæq; & crucem Tupadelio interminatus, fertur: Sed hic verborum injurias facto ipso militarem in modum compensaturus, eruptione feliciter tentatâ, hostem, ab uno arcis latere, statione, qvam ceperat, penitùs ejectum ibat. Durante obsidio, Cæsarianorum ad qvingentos, partim cæsos, partim vulneratos, ipsorummet confessione, constitit: Nulla tamen adhucdùm disposita fuerant tormenta, licet suggestus constructi eminùs conspicerentur. Ignis tantùm artificiosus aliqvoties injectus, & in cassum: Qvippe qvi, nec ædificiis flammam, nec defensoribus ullum aliàs damnum intulerit. Tertio Nonarum Octobris, tribus ante solem exortum horis, soluta obsidio, & multis terræ egerendæ instrumentis inter semifacta opera relictis, discessum. Urbs tamen priùs, & cumprimis Ducis sedes, penitùs exspoliata: Ubi, qvicqvid non urbanorum modò, sed & circumjacentis provinciæ Primores habuerant pretiosi, ceu in receptaculum tutum, ab incautis congestum, Fortuna prædabundis velut per compendium obtulit. Qvod omne, unà cum

cum ducario thesauro, cimiliis, supellectile argenteâ, armis artificiosè fabrefactis, & si qvid aliud possessu dignum videretur, aulâ armamentariove cum pulvisculo eversis, aliqvot centenis curribus impositum, secum avexêre. Cancellarius qvoq; Ducis, & septem, qvà Regiminis, qvà judicii seu Scabinatus Consiliarii, nec non Senatorũ principes nonnulli ac primariæ fœminæ, junctim septendecim capitum numerum complentes, captivi abducti: Ut ingenti, triginta qvinq; millium Joachimicorum, lytro depenso, redimerent libertatem.

Bernhardi, Saxoniæ Ducis, in Croatas impressio. Dum Urbis Coburgensis direptione & arcis obsidio implicatur hostis, Bernhardus Saxoniæ, Dux, cum milite, à Rege ipsi attributo, circa Swinfurtũ hæserat, nec, qvotidianis excursionibus eundem vexare, & infestare, prætermiserat. Inter alia, nullis munitionibus tectum, sed passim tendentem per insidias tentaturus, improvidoq; cladem forsan aliqvam illaturus, validâ ipsemet eqvitum manu, Coburgũ versùs, excurrit. Conspecto tamen, Croatas eâdem nocte, ex transverso itinere facto, transiisse, qvam insistebat viam, recentia horum vestigia secutus, albescente cœlo, in luco qvodam substitit: Exploraturus, qvorsùm divertissent. Nec mora: Duobus pagis, non ultra horæ iter, à loco, ubi gradum fixerat, dissitis hospitari, mox illi cognitum. Hos ergò opprimere certus, citatum agmen secum rapiebat: Jamq; vix stadii mensurâ, ab hospitiis de adventu ejus nil præsentientiũ aberat, qvandò exiguus vicenúm eqvitum manipulus, in proximo pago palans & prædabundus, partim illic ferro cõcisus, partim eqvorum pernicitate se subtrahens cædi, rei indicium fecit; subitòq; inter hostes ad arma & eqvos conclamatum est. Neq; grandibus adeò gradibus approperare poterant Regii, qvin offenderent in rapidissimam fugam effusos: Qvorum nonnulli eqvos instratos consilientes, saluti suæ consulebant. Qvadraginta tamen, & qvod excedit, moratores obtruncati: Reliqvi, pars Mœnum nando transmiserunt, pars Zeilam versùs se recepêre. Regius eqves, utut calcibus eorum strenuè insistens, qvod tamen toto sparsim campo fugerent, haud condignum satis operæ pretium tulit. Pauci tantummodò tardiores in fuga adhuc trucidati: Ut & postmodùm, senescente die, viginti circiter, qvi in silvarum latebras se abdiderant, inde eruti, vitâ luerunt.

Hostem, soluto Coburgensis arcis obsidio, movisse castra, antè diximus. Hic itaq; sub discessum vires bipartitus, Bavariæ qvidem Dux, cum suis atq; nonnullis cæsareis copiis, per diœcesin Bambergensem & superiorem Palatinatum, Ratisbonam, inq; propria remeabat: Fridlandio, per Vœtlandiam, Misniam & Saxoniam superiorem versùs contendente.

48. Nec longè admodùm præcedens Gallassius, Wonsidelâ & Rübnicio igne absumtis, Octavo Calendarum Octobris, Hofium Vœtlandiæ attigerat: Aliqvot militum millibus, & octo tormentis, mortariisq; nonnullis, qvorum unumqvodq; haud minùs duodecim, & pars sedecim jumentis trahebantur, Holckio se juncturus. Gallassius Electoris Saxoniæ fines irrumpit.

Hofio Plaviam, & inde, sexto Calendarum Octobris, Zviccaviam perrexerat: Validâ, qvæ vicina loca in potestatem redigeret, manu Werdam inter vias missâ. Id qvod in proclivi fuit; undq; cum aliis, Altenburgum, Ducum Saxoniæ, Altenburgensis stirpis, sedem, infelix fors tetigit. Huc enim, tertio Calendarum Octobris, à Cæsarianis perventum; Nec militaria modò hospitia, sed & decies mille Joachimicorum summa, direptionis redimendæ, magnâ importunitate flagitata. De hospitiis assentiri, omninò necessum erat; de pecuniæ postulato aliqvantùm remisêre, resq; licitando ad sex Joachimicorum millia reducta: Qvorum dimidium in præsenti ære è vestigio numeratum, de residuo, datâ syngraphâ, sponsio interposita; intra octiduum numeratum iri. Nec id tamen à vexatione & injuriis militũ immunes penitùs reddere potuit incolas: Biduo enim illic commorati ingrati hi hospites, dum, eo elapso, Chemnicium à Gallassio avocantur, suburbia diripuêre; in nonnullas ædes intra Urbis viscera eâdem licentiâ grassati.

Chemnicium Gallassio, Calendis Octobris Chemnicium ad

manus tēdendas impellit.

Octobris per deditionem cessit: Cujus cives, armis depositis, defensionem detrectantes, loco remunerationis, ab hoste obtinebant; ut iisdem, qvibus Zvicavienses pepigerant, condicionibus fruerentur. Mulcta, qvam pependêre, undecies mille Joachimicorum fuit: Cujus dimidium statim exsolutum, de reliqvo intra qvatuordecim dierum spatium exsolvendo cautio præstita. Miles electoralis illic repertus, eodem pacto, qvo, qvi Pragâ excesserat, armis nempè exutus, bacillisq; in eorum locum substitutis, dimissus.

Friburgū, Holckio junctus, deditione capit.

Chemnicio dedito, Gallassius & Holckius vires suas haud procul Friburgo conjunxêre: Friburgū, sine mora, totâ Exercitus mole aggressi. Præerat Urbi Lôserus Tribunus, valido bis mille peditum, & ducentorum eqvitū præsidio stipatus: Qvi strenuè ab initio rem gerere visus, non paucis hostiū continuâ plumbeorum missilium è muris depluentium grandine prostratis; Sustentare tamen diu non potuit. Turrium enim & murorum pinnis, unde obsessores maximè infestabantur, qvinto qvartoq; Nonarum Octobris, tormentorum violentiâ decussis, & cuniculis aliqvot, ad ima fundamentorum subruēda, jam præparatis, deditionem Gallassius simul benignis verbis offerre, simul adjicere minas: Siqvidem porrò obstinarent, ne gravidarum qvidem ventri parcitum, sed omnia Diis Manibus ferro sacrificatum iri. Qvibus minis succumbens propugnatorum alacritas ad deditionem animum appulit. Mox ergò, impedimentis qvidem salvis, sed armis tamen superioribus, signisq; ac vexillis hosti relictis, tertio Calendarum Octobris, intra nonam & decimam antemeridianam, Urbe excessum: Octoginta insuper è provincialium eqvitum numero, eqvis detrusi, pedites abire jussi. Ab Urbe postmodùm centies, & ab ipsomet Electore, nî Majorum monimenta dirui ac pessum dari vellet, octogies mille Joachimici postulati.

Hoc peracto, Albi, transeundi fluminis animo, appropinqvabant Cæsariani: Misniæ Urbe, ut militari præsidio destitutâ, nullo negotio in eorum potestatem cōcedente. Qvia verò electoralis miles, ponte hîc interrupto, statū in opposita ripa ceperat, tormentis & longioribus tubis indesinenter Cæsarianos trans flumen infestans, cōsilium isthîc locorū transeundi ad irritum cecidit. Qvapropter ripam Albis porrò legentes, qvinto Iduū Octobris, Oschatzium attigêre: Qvod, unà cum aliis circumjectis vicis ac pagis, penitùs direptū; insuper horū nonnulli, Lummitschiū præcipuè, igne injecto, excidium passi. Qvarto Iduum Octobris, Wurtzam itum: Qvæ octodecim solis eqvitibus ad omnem petulantiā patuit; nonnullis è Senatorū numero, pecuniæ extorqvendæ, captivis abductis.

Fridlandius ipsemet Misniam ingreditur.

Holckio autem & Gallassio in Misnia atq; Saxonia superiore pro lubitu debacchantibus, ipsemet Fridlandiæ Dux, post solutam Coburgensis arcis obsidionem, eò qvoq; properabat; cujus præcursores Plaviam, sexto Iduum Octobris, venientes, Weidā inde perrexêre: Ubi universum Fridlandici Exercitus robur in unum conveniens, acie instructâ, lustratum. Weidâ motis castris, Altenburgum ibatur: Qvò loci Holckius & Gallassius cum suis eidem se junxêre.

Multiplicato hac ratione hoste, multiplicata incolarū miseria, sparsoq; latè bello, omnia cis Albim, qvà excursionibus provincia patebat, direptionibus, cædibus, incendiis fœdata. Tertio Iduum Octobris, Croatæ Neostadium ad Orlam usq; excurrentes, hunc cū vicinis qvibusq; locū, omninò expilatū ivêre. Similem Cala subiit sortem: A tribus turmis, qvæ eò diverterant, direpta. Eodem die, qvingentorū, è Germanis & Croatis cōflata, manus Salfeldam, qvam Rossius, regius Tribunus, tutabatur, adorta, Rossio ingratū pulverulēti fumi odorem flammis & lethiferis missilibus mixtum propinante, re infectâ, nonnullis suorum desideratis, retrò abiit: Suburbia tamen, rabie hostium huc versâ, igne injecto, arserunt. Planities qvoq; camporū, longè latèq;, ferro ac flammis miserandum in modū deformata: Militibus in obvia qvæq; nullo nō libidinis ac licentiæ militaris genere grassantibus. Hinc ubivis trepidatio, metus, terror, nec, nisi in fugæ celeritate, spes reliqva miseris incolis: Qvi pretiosa sua, qvantum poterat qvisq; ac valebat, Erfordiā, Dresdam, Wite-

Witebergam, ut tuta in receptacula, convehentes, ipsimet qvoq; magnam partem, laribus relictis & hostium injuriæ expositis, eò commigrabant.

Fridlandiæ Dux inter hæc Lipsiæ cum Exercitu paulatim proximabat; Qvo in tractu Pappenhemius Căpiductor occurrens, validâ accessione ejusdem vires auxit: Hostiū armis undiq; in Misniam confluentibus, velut fatalem martialium horum ludorū palæstram.

Pappenhemius à Trajecto Mosæ revertitur,

49. Pappenhemius etenim, Trajecti ad Mosă obsidio liberandi spe excussus, relictâ infaustâ ac infestâ hac sibi orâ, tertio Nonarum Septembris, cum Exercitu Rhenum iterùm transmiserat: In Westphalia circa Susatum primò divertens, recipiq; in Urbem cū suis minitabundus imperans. Demum cum hac, more modove, qvo, secundùm Poetam, hominesq; Deiq; placari solent, & ipse mitigatus, transegerat: Non nisi duas eqvitum Legiones in Susatensium agrum (Bœrdam vocant) hospitatum distribui, provincialium impendio sustentandas, assensus.

Paderbornæ subsidio accurrit.

Hinc post conterminā qvoq; oram, & circūjectas Urbes ære emunctas, Paderbornam iter flexerat. Cujus adventu cognito, Baudisius, viribus ad confligendum cum eo haudqvaqvàm par, desertâ obsidione Huxteram ad Visurgim recedebat: Firmaturus illic pedem; donec, pluribus copiis suppetias veniĕtibus, ipse qvoq; viribus auctior, aperto marte congredi cum hoste auderet.

Regiorū & Pappenhemianorum ad Brakelam conflictus

Haud longo post intervallo Comes Gronsfeldius, eqvitatus partem, & sesqvimille pedites secū trahens, Brakelam, ubi sexcenti à Baudisio dracones divertebant, viis undiq; infessis circumdedit. Qvi, ut hostium faucibus eriperentur, Jacobum Mercierium, qvem parvum vocitavimus, Dewitziumq; & Plessium Tribunos, cū sua qvemq; Legione eò mitti placuit. His ingruĕtibus callido consilio cedere hostis, ad usq; locum, qvem sclopetariorum aliqvammultis occultè insederat. In qvos fugæ hostilis, sed simulatæ, illecebrâ illectus parvus ille Jacobus, & præter gregarios, duobus eqvitum Magistris, tribusq; vexillis mulctatus, retroagi, & campo jam pelli: Sed dracones, eruptione ex oppido factâ, subsidio tempore accurrentes, recolligendi se, & iteratò impetu aggrediendi hostem, spatium dare. Ita, versâ fortunâ, hostis, nec sine clade, in fugam conjectus; & duo, qvæ Hassiacis ad Volcmarsiam eripuerat, tormenta, totidemq; vexilla fugienti extorta.

Baudisius, Huxterâ desertâ, ulteriùs se recipit.

Pappenhemius autem cum universo Exercitu, undenas peditum, & duodenas eqvitum Legiones, secundùm captivorū relatum, complexo, in Baudisium, ob suorum paucitatem, campū defugientem, rectâ movebat. Decreverat hic, ut diximus, ab initio, Huxteræ hostis vim præstolari, eumq; in finem munitionibus nonnullis, & subitario vallo se induerat. Verùm ubi Pappenhemium, Gronsfeldio cū nonnullis copiis ad Pollam Visurgim transire jusso, ab utraq; fluminis ripa impetū minitari, tormentisq; in castra summâ vi detonātibus, certamini jam proludere, simul qvoq; propinqvam famem unà cū hoste, exiguâ farinæ copiâ superante, ac rivis, qvibus molendina impelluntur, aliorsùm aversis, imminere vidit, consilium mutare coactus, Pappenhemio à continuo tormentorū displosu paululùm remittente, ad receptum omnia ordinabat: Re tormentariâ ac impedimentis præmissis, Exercituq; in campum educto, & in aciem disposito.

Interim Pappenhemius in altiusculum, ad Regiorū castra tormentis infestanda summè opportunū, locum, machinas traducens, circa decimă vespertinam, in munitiones, trans Visurgim exstructas, institutâ decussatim verberatione, fulminare iterùm cœpit: Sed animadverso, cŏtrariis ictibus haud responderi, id qvod res erat (Baudisium, nempè, jam in receptu totū) odoratus, eqvitatū terga se recipientium cædere jussit. Qvi Ducis imperia exseqvi prŏtus, in Trescovianam eqvitū Legionem tantâ ferociâ invectus est; ut cū supremo excubiarum Præfecto, & uno eqvitum Magistro, ipsum Tribunū in potestatem redegerit: Mox tamen à Plessiana, Wetbergiana, & Finnonica Legionibus, in præliū succedentibus, cum clade non modicâ ac trium vexillorum jacturâ repulsus. Militum desiderati utrinq; ad qvadringentos.

Pappenhemiani Gvelpherbytū obsidio liberant.

Baudisio Visurgi ripâ dejecto, Mirodius Comes, viginti duabus eqvestribus turmis, qvas inter duæ draconū alæ recĕsæ, universim septingentorū eqvitū numerū haud tamen excedentibus,

Gvelpherbytum repentè missus, septimo Calendarum Octobris, circa septimam matutinam, eo ipso tempore, qvo Georgius Dux Luneburgensis, castris, actâ Brunswigæ præteritâ nocte, valetudinis curandæ aberat, è vicina silva, qvà Hildesium itur, subito erupit; nemineq; impedire auso Gvelpherbytum ingressus, mox præsidiariorum subsidiis auctior rediit: Binas binorum Tribunorum, Kingii atq; Mitschevalii, stationes, Lindem & Halchtern, undiq; circumdatas, magno impetu oppugnans, demûq; expugnans. Cæsi Regiorum centum viginti: Ad octingentos, inter qvos ipse Kingius, vulnere, licet haud mortifero, saucius, capti, & Gvelpherbytum, unà cum duobus machinis, duodecim pondo evomentibus, & sex militaribus signis, in triumphum traducti.

Priusqvàm opprimeretur obsidionalis hic miles, Dux Luneburgensis Baudisium subsidiis nonnullis firmare, animum induxerat: Qvò Pappenhemium, ad Visurgim occupatum arceret à Gvelpherbyto obsidione liberando. Missæ etiam huic rei, Lohusii ductu, copiæ, castra ad Gvelpherbytum, per se milite haud satis valida, magis adhuc nudaverant. Verum Lohusius, ubi Sesum attigit, per diversos exploratores inopinatis adeò & minimè prævisis nunciis perculsus est: Ut vela statim legere, nec cursum modò itineris inhibere, sed Herciniæ qvoq; silvæ montana, eorumq; aspredine, velut tuto latibulo tectus, Goslariam petere cogeretur.

Cum Brunswigæ qvoq; Civitate de Exercitus receptu, si opus foret, sub Urbis mœnia præbendo, & suppeditando commeatu, per Jacobum Stenbergium, regium Legatum, fuerat actum. Qvæ de isthoc, vi fœderis cum Rege initi, promtè assensa, ne de commeatu qvidem pro virium modulo difficilem se præbuit: Nihilq; restabat, qvàm ut, perspecto camporum ingenio, castris locus deligeretur, & de eo muniendo susciperetur cogitatio. Verumenimverò, dum mora hic nectitur, & dies ducitur ex die, hostis celeritas consilii præverterat maturitatem, & receptus, ex parte serior, ut diximus, aliqvantò fuerat.

Nec mediocrem sanè cladem Georgius, Dux Luneburgensis hac ratione perpetiebatur. Francisco tamen Carolo, inferioris Saxoniæ Duce, cum noviter conscripto, Regis auspiciis, milite, & aliis copiis ad eum statim se conglobantibus, damnum hoc facilè resarctum: Ita ut, dum hostis in Saxoniæ Electorem conjuratim undiq;, perniciem unicè eidem intentans, irruit, ponte ad Magdeburgum tramisso, trans Albim, eqvitatu satis valido, suppetias illi paulò post ire potuerit.

Pappenhemius verò, cui prima hæc alea in Brunswicensi agro adeò dextrè ceciderat, indulgenti fortunæ instandum ratus, sexto Calendarum Octobris, Hildesio Exercitum admovit: Qvod non, nisi qvingentorum militum, debili & spatiosæ Urbi defendendæ impari, præsidio tenebatur. Marretichius enim Tribunus, à Georgio Duce cum Legione sua illuc missus, rumore de hostilibus mille eqvitibus, ad Hellam commorantibus, itineraq; circumcirca infesta habentibus, ad aures allapso, absterritus, re infectâ pedem retulerat. Non obstante hoc, pauci milites, unà cum civibus, defensionem initio meditari, subeuntesq; Cæsarianos longiorum tuborum ictibus excipere: Mox tamen, ubi parta ad Gvelpherbytum signa prolata; addito mendaci elogio, nempè, Georgium Ducem & Baudisium penitus profligatos, minisq; insuper adjectis, si porrò obstinarent, veniæ nullum deinceps locum fore, ad deditionem imperatam animos advertere; qvarto Calendarum Octobris certis cum Pappenhemio pacti legibus. Qvibus *ducenties mille Ioachimicorum numeratione, ad direptionem redimendam, promissâ, de libero Religionis exercitio civibus relinqvendo cautum;* provisumq; insuper: *Ne ultra bis mille militum præsidio onerarentur*. Re hac ratione transactâ, qvod tenebræ ingruentes, confusionis evitandæ, portas Urbis reserari prohiberent, armorum induciæ placitæ: Qvibus tamen durantibus continuandarum operarum, & accessuum, ad ipsam fossæ oram promovendorum, obsessoribus liberum relinqvebatur arbitrium. Luce demùm seqventi exortâ, circa qvartam matutinam,

Pappenhemius Hildesiû sub jugû mittit.

nam,

nam, Pappenhemius in Urbem receptus: Ubi præsidiariorum in duplum statim excrevit numerus. Nec intra ducenties mille Joachimicorum summam mulcta stetit; sed civium communione in curiam convocatâ, à singulis separatim census omnis habentiæ juratò exactus, certumq;, pro facultatum modo, impositum unicuiq; tributum: Qvod præcisè exsolvi, & auro atq; argento signato deficiente, ad factum, infectumve descendi oportuit. Qvin nec viliorem cujusq; generis supellectilem, aut annonarias species respuit exactorum sorditudo. Præsidiarii, qvorum qvingentos fuisse diximus, Cæsaris militiæ nomen dare coacti: Civitati deniq; aliqvammultorum articulorum extorta obligatio. Obstrinxêre enim fidem: *De memorata ducenties mille Ioachimicorum summa, nullâ praecedentis exactionis habitâ ratione, exsolvendâ; de monte, qvi Urbem præjacet, in pristinum statum reponendo; de reædificandis ante Urbem cœnobiis, & præstandâ monachis indemnitate; de reddendis Iesuitarum, qvæ ablata his erant, bonis, & refundendis interceptis Canonicorum reditibus; de Steurwaldi arce reparanda, muniendâ, pulvereq; nitrato, nec non aliis, ad rem tormentariam reqvisitis, qvibus nudata erat, sumtu Civitatis iterùm instruendâ; tandem de restituendis qvadraginta Ioachimicorum millibus, qvos Clerus pontificius Regiis antehac dependerat.* Nec hic qvievit hostilis insolentia, sed, magnâ insuper annonæ, esculentorum, similum copiâ civibus, Pappenhemii jussu, vi ereptâ, & Gvelpherbytum avectâ, munimento huic, qvod jam omnium rerum inopiâ conflictabatur, de commeatu ad diutinum tempus providit. Pappenhemio nihilo postmodùm mitior, cui vices suas discedens demandârat, Gronsfeldius Comes, Civitatem, jam exhaustam, & ad incitas redactam, crudeli adeò jugo pressit: Ut ipsemet Elector Coloniensis, calamitatem ejus miseratus, scripto interveniret; alios vicinos, oneri, civibus imposito, ex parte succedere, jus, fasq; arbitratus.

Hannobria neqvicqvam tentatur. Exemplo Hildesiensium, qvi præcipitatâ deditione maximam sibi malam crucem accersierant, cautiores facti Hannobriani, dulce canenti Pappenhemio, honorificisq; deditionis legibus ultrò oblatis possessionem Urbis aucupanti, obstruxêre aures: Extrema qvæq; perpeti, qvàm vicinorum sortem subire malle, respondentes. Qvinimò, ne ulla deditionis mentio injiceretur, qvi vel verbulum saltem de ea facere auderet, à sodalibus illicò, causâ minimè cognitâ, trucidatum iri, mutuâ pactione inter Cives conventum. Huic autem fini vicina ædificia umbrosæ arbores, sepimenta, similia, qvæ hosti, accessus molienti tegumentum præbere possent, è medio sublata, suburbium omninò dirutum, & ultra militem, Civitati stipendia merentē, tres eqvitum alæ, nec non sex peditum cohortes, à Duce Georgio in Urbē receptæ.

Brunswiga qvoq; de sui defensione anxia, ut viribus auctior hosti, obsidium forsan tentanti, obviam iret, binas peditum Legiones, alteram Georgii Ducis propriam, Merretichii Tribuni alteram, qvæ junctim mille qvingentorum capitum summam conficiebant, intra mœnia admisit.

Regii Magdeburgi, & Albis securitati prospiciunt. Violenta isthæc Pappenhemii in Saxoniæ inferioris Circulum irruptio Regios, ad Albim servantes, excitabat; ut ripariæ fluminis oræ, & Magdeburgo, qvo velut claustro obserabatur, conservandis cogitationes sedulò intenderent: Nec enim injuriâ, huc vim hostium versum iri, metus erat. Qvapropter Laurentius Caggius Tribunus, Magdeburgo cum imperio Præfectus, copiis, qvot defendendæ Urbi sufficere viderentur, è vicinia accitis, tormentariâ re affatim procuratâ, commeatu undiq; congesto, ad vim se præparatum ibat; pontones qvoq; & navigia, hinc inde in Albi reperta, in unum, eumq; tutum locum contrahens: Ut hostis, etiamsi ad Albim pedem alicubi figeret, fluvii tamen ponte sternendi commoditate & mediis destitueretur.

Pappenhemius in Thuringiam & Misniam descendit. Sed diversum Pappenhemius hac vice volvebat animo, nec tam de Albis possessione, qvàm de Electoris Saxoniæ corio potissimùm ludebatur. In Brunswicensi itaq; Ducatu satis diu debacchatus, vicario illic imperio Comiti Gronsfeldio demandato, &

to, & potioribus, qvæ pro Cæsare obtinebat, locis, præsidio munitis, Hildesii cumprimis relictis Blancardicâ peditum, & Palantianâ, Horstianâq; eqvitum Legionibus, qvarum illa septingentorum, & qvod excedebat, hæ junctim qvingentorum, plùs minùs, capitum erant, Exercitum per Isfeldium agrum Mulhusium traducebat: Cui Civitati in deditionem acceptæ ingens pecuniæ vis imperata.

Nec porro mitiùs cum Thuringiæ, qvàm Brunswicensis Ducatus incolis actum. Langensaltza, inter alia direpta, multumq; prædæ illìc repertum, qvod vicinia eò, velut in tutioris receptus locum, congesserat. Tenstadium eâdem sorte afflictum: Cujus tres Consules, à petulanti milite abducti, cum lytro, qvod enorme exigebatur, persolvendo haud essent, sublimes de trabe laqveo appensi, & intercluso spiritu semineces, mox, laqveo interciso, vasa jam colligentem vix receperunt animam. Eisenacum centum qvinqvaginta eqvites excurrerant; in Urbem admitti postulantes: Sed inde, portis obseratis, exclusi, Crucibergam divertebant; eâdem hîc, qvâ alibi, prædandi licentiâ grassati. Jam qvoq; de Erfordia sub jugum redigendâ calculus à Pontificiis fœderatis initus erat: Unde Anshelmus Casimirus, Moguntinus Elector, Fritzlariẽsi & Naumburgẽsi Præfecto suo, Henrico Christophoro à Griesheim, de possessione deperditorum isthîc jurium denuò apprehendendâ, mandata dederat: Sed Regis Sveciæ adventus rationes istas dispunxit; Pappenhemium, ne tempus hîc tereret, compellens. Is namq;, simul ac de eo inaudiret, reflexo gradu, haud procul Butstadio transiens, Mersburgum pergebat: Ubi Salâ tramissâ, & junctis cum Duce Fridlandiæ, in occursum veniente, viribus, toto demùm agmine ad Lipsiam obsidendam properatum.

Fridlandius Lipsiæ deditionem imperat.

50. Decimo qvinto Calendarum Novembris, binæ à Fridlandio literæ per tubicinem Lipsiam delatæ: Qvarum unæ Pleisfenburgi Præfecto, Senatui Civitatis inscriptæ erant alteræ. Priores à Præfecto, qvod nominis præscriptio omissa foret, nec acceptæ, nec resignatæ: Posterioribus postulabat Fridlandius. *Cæsaris partes amplexi, & obedientiæ se submittentes, nec adventanti ejus militi hostiliter obluctati, præsidium in arcem admitterent: Sin refractarii arma, cervicibus jam imminentia, irritarent, luculenta in ipsos pertinaciæ editum iri exempla.* Excusatione ad has literas, dimisso eâdem adhuc vesperâ tubicine, Magistratus urbicus usus: Pleissenburgi arcem separatum qvid ab Urbe, nec in illam qvicqvam se habere juris, sed à peculiari Electoris Præfecto custodiri. Decimo qvarto Calendarum à meridie hic ipse tubicen reversus, qvæ pridiè insinuârat, ore tenùs repetiit, parq; priori responsum à Senatu tulit. Interim defensioni pro virili parte accingi cives, & crebris infestare fulminibus, si qvi Cæsarianorum propiùs mœnia subirent: Nec hi tamen, nisi sparsim hactenùs conspici, cum urbano milite, extra Urbis munimenta procurrente, velitantes, usq; ad vesperam; qvando valida, aliqvot centuriis constans, hostilium sclopetariorum manus, conferto agmine impetum in hos faciens, campo depulsos in Urbem se recipere coegit. Duodecimo Calendarum Novembris, Holckius Campiductor, cum re tormentaria, & aliqvot peditum Legionibus, Urbi, dum rei divinæ opera intus datur, propinqvans, & ab omni parte circumfusus, non obstante grandiorum globorum, & plumbearum glandium, è propugnaculis, muris, turribusve depluentium procellâ, suburbana statim insedit; ac, ædificiorum opportunitate usus, contrariis ictibus defensores summâ vi sine mora infestare cœpit. Tres, eodem die, successu temporis, in Urbem missi tubicines, ter deditionem pro imperio flagitantes: Qvorum postremus rotundo ore edissertavit. *Fridlandio de Urbe in potestatem redigenda stare sententiam; & spontaneam deditionem respuentibus vim intentare extremam, decretissimum. Dedentes se, tolerabiles manere deditionis leges; obstinantes, præsentissimum exitium: Nec ulli homini, qvin nec canibus parsum, sed, qvicqvid animam traheret, ferro mactatum iri.*

iri. Jamq; ad deditionem ferè res spectabat: Sed, refragantibus civibus, nihil adhucdum hac luce actum. Tenebris ingruentibus pilæ qvædam granatenses, & ignes artificiosi in Urbem injecti, binis locis incendium excitârunt: Qvod tamen, flammis providâ civium, illicò concurrentium, curâ restinctis, parum damni intulit; plus metus. Magistratus enim Urbis, formidinis hoc ipso impletus, & deditionis jam certus, dum tubicen, intempestâ nocte denuò ad Urbem comparens, &, portis clausis, moram illic aliqvamdiu trahere coactus, ob infesta è Pleissenburgo in eum jacta missilia, priusqvàm admitteretur, pedem referret, tympanotribam statim, culpam admissam emendatum, Urbe emisit; stratâ deditioni mox subsecuturæ hunc in modum viâ: Qvi in continenti reversus, nomine Fridlandii, postridiè summo mane, ante sextam adhuc matutinam, ut de legibus deditionis conventuri Schonfeldæ adessent, imperabat.

Et in deditionem tam accipit.

Nec mora in his ulla, qvin ad condictam horam certi, ab Academico & urbico Senatu, civiumq; communione ad tractandum delecti, eò se conferrent: Circa nonam matutinam in Urbem reversi, & seqventibus pacti condicionibus. *Civitas Cæsaris Exercitui, ejusve conatibus nullatenùs resisteret; cætera omnia, in fide Electoris Saxoniæ, & pristino statu permaneret: Post arcem qvoqve Cæsarianis deditam miles Urbe educeretur; ducentorum tantum præsidio in arce relicto.*

Pleissenburgum vi tentat.

Sic postqvam conventum, ad mille Cæsarianorum, tympanorum pulsu latè personante, in Urbem admissi, pars tenuêre portas, pars Collegium Petrinum, Pleissenburgo oppositum, insederunt. Circa qvartam pomeridianam complures primæ notæ militares Duces, cum Holckio eqvis eò vecti, situm loci, ubinam tormentorum arci admovendorum qvàm maxima videretur esse opportunitas, ingeniosis oculis lustrantes, agricolarum, qvi Lipsiam à militum licentia confugerant, eqvis curribusve undiq; coactis, fimum è plateis & Urbis diversoriis convehi mandabant: Qvo ingesto oppleta cerevisiaria dolia, vimineorum corbium vice, in tormentorum suggestus statuerentur. Mox qvatuor dimidiatæ machinæ in Urbem cóvectæ, tribus diversis suggestibus dispositæ: Qvo integra penè nox usq; ad diluculum transacta. Arcis interim Præfectus, qvi collectitiam è civibus defensorum cohortem eò receperat, perpetem hunc diē, qvæq; seqvebatur, noctem tormentis indesinenter fulminare: Qvoad, decimo Calendarum Novembris, luce increbescente, Cæsariani respondere tormentis suis, & vicem obsessis rependere cœperunt.

Nec difficulter eo potitur.

Vix autem qvater isthæc ordine displosa fuerant, & ita sedecim in universum ictibus salutata arx, qvandò Præfectus inducias armorum, &, aditu colloqvii hac viâ patefacto, deditionem statim pepigit: Eâdemq; adhuc vesperâ, defensorum cohors, ducentorum qvinqvaginta duorum capitùm, reculis suis & armis salvis, nec non incensis fomitibus, & signo explicato, militari pompâ arce excedens, simul in forum urbanum deducta est, simul signo ab hastili direpto, sacramento militari soluta. Cives armis postmodùm exuti: Pleissenburgi arx duabus Cæsarianorum cohortibus firmata, & Urbs reliqvo milite, prout convenerat, exonerata.

Nono Calendarum Novembris, qvinqvagies mille Joachimicorū mulcta Civitati indicta, singulisq; civibus sub gravi pœna denunciatum: Unusqvisq; eorum, qvæ Noribergenses, Augustani, aliarum Urbium, regias partes foventium, incolæ fidei ipsorum commendârant, mercimoniorum faceret indicinam. Eodem die locus circa arcem complanatus, & qvicqvid conspectum eminus præpedire, aut defensioni officere posset, dirutum èq; medio sublatum. Septimo Calendarum Novembris Pappenhemius, paucis militibus stipatus in Urbem venit; cives postridiè nondum ortâ luce, circa qvartam matutinam, in curiam convocatos, de prædicta mulcta ocyùs persolvendâ, acriter urgens: Nec destitit, donec integram penè summam extorqveret.

Dum Lipsiæ hæc accidunt, alibi in Misnia & finitimis locis à Cæsarianis minimè feriatum est: Milite longè, lateq;

latéq; se explicante, & toti cis Albim terrarum tractui, eluvionis, nullis aggerum objectaculis retentæ instar, superfundente.

Hala Saxonum ei sesubmittit.

Decimo tertio Calendarum Novembris, die in noctem eunte, Halam Saxonum perventum, & Urbs, unàq; assitum Mauritioburgi castrum, imperatâ per tubicinem deditione, tentata. Cui castri Præfectus, nullâ præviâ deliberatione, *præter ignem & ferrum nil Cæsarianis debere*, respondit. Magistratus autem Urbis moderatior, hac vesperâ, &, qvi subseqvebatur, die solis integro, Cæsarianorum postulata, comiter excusando, eludere magis, qvam ut præfractè repulsam daret. Undecimo Calendarũ Novembris, nonnullæ draconum & eqvitum turmæ, nec non qvindecim Croatarum alæ, Urbi, explicatis vexillis, succedere visæ: Qvarum Dux Hatzfeldius, ni illicò deditio fieret, præsentissimam vim & arma, draconibus ad assultum paratis, nec nisi signum pugnæ operientibus, minitans, ad id extremitatum redegit Civitatem, ab omnibus, ad impetum excipiendum necessariis, flagitiosissimè paratam, nec milite tantùm, sed pulvere qvoq; tormentario (cujus vix octo pondo totâ Urbe reperta) penissimè destitutam, ut imperata continuò faceret: Cæsarianis in suburbia, decimo Calendarum Novembris, nonnullisq; in Urbem ipsam, certis legibus, qvæ scripto comprehensæ, admissis.

Mauritioburgo tamen arma obvertente.

Regii tamen, qvi in arce servabant, nihil ob id animo demissiores, continuis ictibus infestare hostes, nonnullosq; prosternere; & demum, qvarto Calendarum Novembris, his Urbe recedentibus, eruptionem etiam audere: Qvâ exiguâ Croatarum, qvam fortè inciderant, manus fusa, unoq; trucidato, alius cum tubicine captivus in arcem abductus.

Contenderat huc, paulò post, Pappenhemius cum validioribus copiis à Fridlandio dimissus; sed, Rege ad Lutzenam omnibus in Fridlandiũ viribus ex improviso ingruente, subitò revocatus.

Regii Lauffum expugnãt.

51. Rex namq; Sveciæ, qvarto Iduum Octobris, è Bavaria Noribergam redux, generalem vigiliarum Præfectum, Cniphusium, non otiosum illic, sed bellicæ expeditioni intentum repererat: Lauffi oppido & arce, qvæ, Noribergensium aliàs dicioni subjecta, Cæsarianis hactenus præbuerant receptaculum, obsidione cinctis. Ubi sanè præsidium hostile, qvod inerat, initio ferocem admodùm facere, tubicinemq;, deditionem imperantem, ludibriosis verbis rejicere, nec non duplicibus bombardis & longioribus tubis in appropinqvantes subinde detonare: Muro tamen mox impetu tormentorum aperto, & oppido vi expugnato, Regiisq; eodem aggressionis fervore, arci manum jamjam injecturis, honorificas deditionis leges, qvas paulò ante oblatas insolenter respuerat, frustrà ambire. Obstruxerant enim ad hæc aures Regii: Nec, nisi absoluto vitæ necisq; arbitrio sibi permisso, ut à vi abstinerent, adduci potuêre.

Rex hostiũ nonnullos opprimit.

Bavariæ Ducis miles, eo ipso tempore Coburgo repedans, Lauffo obsidione liberando his oris appulerat; sed seriùs veniens, Regiis loci jam potitis, obsessores nihilominùs ipsos, isthìc circumventos, vicissim velut obsidebat: Qvapropter Regi, cum eqvitum & draconum agmine, itineris comite, eò contendere, operæ pretium visum. Nec opperiri Regis adventum, hi consultum duxerant, sed, eo comperto, Hersbruccum transmeando se recipientes, tenebris demùm ingruentibus, Alenfeldæ & Schupffii pernoctatum ierant. Qvo exploratè cognito, Rex vestigia illorum perseqvi instituit, &, ultimo Calendarum Novembris, Schupffium, alterum hostiliũ hospitiorum, ubi qvinq; draconum cohortes, & binæ Croatarum turmæ diverterant, subitâ impressione irrupit: Cæsis ad ducentos, binis vexillis partis, & reliqviis hostium hinc inde dispersis.

Mox cum Exercitu in Thuringiam properat.

Regius inter hæc Exercitus Dünckelspilam, Rotenburgum ad Dubérum, Kitzingam, & Swinfurtum transiens, versùs montium, Thuringiam à Franconia separantium, radices magnis itineribus perrexerat: Qvos à Rege, post res Noribergæ & in Franconia, è præsentis temporis statu, summâ

curâ

curâ ordinatas, in continenti secuto, traductus, copiis Bernhardo, Saxoniæ Duci antehac attributis, ad Arnstadium jungebatur: Hucusq; etenim hæ, Pappenhemii progressibus ulterioribus in Thuringia sistendis, viam anteceperant. Arnstadii autem, & circumjecto terrarum tractu, ad reficiendas vires, longæ & continuæ viæ labore attritas, bidui spatio interqvievit miles: Dum interim Rex Cancellarium Regni, in superioris & inferioris aliàs Saxoniæ Circulos (siqvidem ipsemet ad Danubium & his oris diutius fuisset mansurus) destinatum, mutatis circumstantiis, in superiorem Germaniam ablegaret.

Regni Cancellarium ad Protestantium conventum ablegat.

Jam antè aliqvoties digitum intendimus, ad Regis, qvod dudùm animo agitârat, propositum; de animis, armisve Protestantium in Germania omnium universali qvodam nexu uniendis, & militiæ statu rectè ordinando: Qvò non foris modò obsisteretur hosti, sed domi qvoq; militaris disciplina, jam penè collapsa, instauraretur. Liqvidò qvippè Rex perspexerat; superiorem Germaniam, post tot insignes victorias, summi Numinis indulgentiâ neqvicqvam partas, qvamplurimis adhuc ingentibus incommodis, atq; difficultatibus implexam reperiri & immersam, ejusq; rei hanc potissimam causam: Qvod, qvorum bello hoc intererat, salutarem ipsius intentionem opere destituerent, nec strenuè satis, & prout decebat, communi necessitati sublevandæ manus admoverent. Unde fiebat, ut Rex, eorum adminiculo destitutus, & pecuniariis mediis, præcipuo rerum gerendarum nervo, defectus, nec Exercitum hostis viribus parem reddere & conservare, nec militis, utpotè stipendio exsortis, licentiam injecto militaris disciplinæ freno, compescere debito modo valeret. Junctus sanè Rex particulari erat fœdere cum plerisq; Protestantium in Germania: Sed non tantæ virtutis aut efficaciæ id emplastrum, ut morbo mederetur. Universalem itaq; animorum, armorumve conjunctionem, velut panacæam, ad malum funditùs & cum radice exstirpandum, præsentissima flagitare videbatur necessitas. Cujus operis principium facturus Rex, & primum velut positurus fundamentum, qvatuor superioris Germaniæ Circulos, Svevicum, Franconicum, & utrumq; Rhenanum congregare, conventu Ulmam, locum huic intentioni opportunum, indicto, decreverat.

Qvod verò extremum Electori Saxoniæ ab hoste imminens discrimen, ipsummet Regem his consultationibus interesse, prohiberet, suum Regniq; sui Senatorem ac Cancellarium, Axelium Oxenstirnâ, Baronem, eò mittere, vicesq; eidem suas demandare, visum: Ut ne consilia, qvæ animo conceperat, absentiâ suâ ullatenus suffiaminarentur, sed dicto Regni Cancellario ad clavum ipsius loco sedente, exoptatum conseqverentur portum. Huic fini Regni Cancellarius *cum plenissimis mandatis Legatus, ad qvatuor hos Circulos, & commorantes illic Exercitus constitutus: Consiliis belli & Pacis, Regis nomine, moderaturus; Exercituum Imperatoribus, & militiæ Ducibus qvibuscunqve cum summa auctoritate præfuturus; bellicas directurus expeditiones; inducias armorum, pro re nata, pacturus; fœdera contracturus; summatim, si qvid cum hostibus aut amicis, ad Exercitus, vel aliàs in Circulis his ordinandum occurreret, id omne, togatus, sagatusve obiturus; pervigiliq; curâ, non Regis modò, aut regii status conservationi, securitative prospecturus, sed communi qvoqve causæ & universali Protestantium omnium commodo.* Qvarum rerum omnium liberâ potestate Rex Cancellario Regni, nono Calendarum Novembris, Arnstadii factâ, regiâ insuper fide expressè cavebat: *Qvicqvid hac ratione in sui emolumentum, vi susceptorum mandatorum, gereret, disponeret, ordinaret, ratum à se, perinde ac si ipse gessisset, disposuisset, ordinâsset, habitum iri.*

His mandatis instructus Regni Cancellarius, postridiè Arnstadio relicto, reflexoq; in superiorem Germaniam itinere, tertio Calendarum Novembris, Herbipolim attigit: Francofurtum inde, & Moguntiam, mox rebus illîc pro tem-

temporum ratione dispositis, Ulmam petiturus, operamq; daturus; ut, qvæ Rex fidei & industriæ ejus commiserat, effectum daret. Qva de causa Herbipoli, Calendis statim Novembris, datis ad Electorem, Principes, Ordines horum Circulorum literis, Regis mentem, cùm *de Conventus loco* iis detexit, *qvo Ulmâ commodior haud occurrerat, tum de tempore, cui, re longiorem moram non ferente, sed qvamprimùm maturari visâ, ultimum Nonarum Decembris, diem præstituerat: Spe certâ fretus, condicto loco ac tempore haud gravatim illos affore.* Ad hæc *de mandatis, qvæ à Rege, ob subitam hostis in Misniam irruptionem, conventui adesse & praeesse impedito, accepisset,* certiores faciebat Ordines: Demùm, qvò, morâ obstaculisq; omnibus è medio sublatis, Ordinum qvisq; pro se in antecessum caperet consilia, atq; ita meditatus conventum accederet, summam eorum, qvæ prora puppisq; tractatuum futura erant, articulatim explicans, & brevi, sed luculentâ delineatione, etiam longè ac diversis locis absentibus, ob oculos velut ponens. *Actum*, videlicet, *iri* (1) *De universali fœdere, & animorum armorumve conjunctione, ad tuitionem communis causæ, propulsationem hostium, & Pacis profanæ restitutionem, tam cum Rege, qvàm inter Ordines ipsos mutuò ineundâ & stabiliendâ. Tum* (2) *in specie, de militia in ordinem redigendâ, certo Exercituum numero definito: Qvorum robore hi Circuli, ab hoste primùm repurgati, mox propriorum qvoq; armorum mole, qvantum possibile foret, bello in vicinum hosticum translato, exonerarentur. Tandem* (3) *de militari disciplina penè collapsa, Pace profanâ, commerciisq; instaurandis, & sufficientibus hunc ad finem mediis* (*ut genuinis rerum gerendarum nervis, sine qvibus nihil utiliter suscipi qveat*) *in commune conferendis: Ut horum subsidio munimenta jam possessa sufficienti commeatu instruerentur; Exercitus intra obedientiæ & legum militarium continerentur cancellos, necessaria militiæ compararentur; deniq; sine provinciarum ruina ac vastitie debellaretur.*

Rex Naüburgo occupato castra illic metatur.

Sed reversionem ad Regem facimus, qvi, Cancellario Regni in superiorem Germaniam remisso, ipse qvoq; Arnstadio Erfordiam, septimo Calendarum Novembris, movebat: Ubi regia thalami consors, relicta, valeq; eidem dictum, acerbiori, ac anteà unqvàm, animi, extremum hoc fore jam tum sibi præsagientis, morsu: Inter alia etenim hæc audita Regis verba. *Clementissimæ Summi Numinis protectioni committere nec visuram forsan, nec videndam in hac vita ampliùs, in altera tamen atqve æterna, & visuram iterùm, & videndam.* Porrò Tupadelio, qvi in Coburgi arce propugnanda intrepidam nuper operam navârat, Urbis custodela demandata, Exercitusq;, in aciem directus, & recensus, Butstadio à tergo relicto, Naumburgum iter habere jussus: Qvod Comiti Brandensteinio, cum nonnullis copiis Arnstadio huc præmisso, exiguâ mole patuerat; Captis triginta sex sclopetariis cum subCenturione, Urbis, non à vi hostium, sed commilitum injuriâ tuendæ, hîc commorantibus; præventisq; exiguo temporis momento Cæsarianis, qvorum ad sexcentos paulò post, loco isthoc hospitatum, magnâ confidentiâ adventare conspiciebantur. Tertio Calendarum Novembris, regiis eqvitibus ad pagum Altenburg Salam vado transmittentibus, peditatus cum re tormentaria pontem, qvo Kesseræ flumen sternitur, traductus: Mox circa meridiem universus Exercitus Urbem prætergressus, in campis suburbanis tetendit. Ubi, qvod exploratores, hostem stativa Weissenfelsæ, loco ad sustentandum peropportuno, cepisse, opereq; munire subitario, referrent, Rex qvoq; circumeqvitans, & locorum positum exactè contemplatus, castra, delineatione priùs munitionis ex machinatorum ingenio factâ, vallo similiter indui, imperavit. Nec in Urbem divertit, sed noctu, diu, militi, qvâ laboranti, qvâ excubiis intento, affuit; dum in eam altitudinem excresceret agger, ut defendi posse appareret: Id qvod Calendis Novembris accidit. Tertio autem Nonarum Novembris, intensissimo frigore ingruente, peditatus regius in Urbem introducebatur:

Ad

Ad ipsas usq; Nonas, qvi Lunæ erat dies, ibidem commoratus.

Subsidiū sub Georgio Duce Luneburgensi venire cunctatur.

Copiis, ad Magdeburgum hactenùs, Georgii, Luneburgensis Ducis ductu, hærentibus, Rex, Halam Saxonum occupare, si possibile foret, & statum illic capere, aut, si hostis causâ id fieri non posset, flexo ad dextram per Isfeldium agrum itinere, conjunctioni cum Exercitu suo aperire viam, mandata dederat. Verùm Georgius Dux, peditatu Magdeburgi relicto, & solis assumtis eqvitibus, diversum planè ab hoc iter ingressus, trans Albim Witebergam se contulerat. Qvo comperto, Rex denuò injunxerat suis: Seposito omni alio respectu conjunctioni in effectum deducendæ, unicè operam darent. Neq; tamen vel sic subsidia hæc, satis valida, tempori affuêre.

Rex Naũburgo Lutzenã movet.

Regi etenim intereà relatum: Fridlandium, sublatis Weissenfelsæ castris, Lipsiam versùs instituisse receptum. Qvapropter nec ipse ad Naumburgum diutiùs desidendum ratus, die, qvem diximus, Lunæ, matutinâ supplicatione priùs habitâ, Naumburgo Weissenfelsam movit; inde Lützenam usq; hostium porrò vestigiis presso pede insistens: Qvò loci postridiè, qvi ultimus Iduum Novembris dies, ad manus deventum, & memorabili ac sangvinolentâ, nec non Protestantibus, ob partam insignem victoriam, prosperâ qvidem, sed, si irreparabilem, qvàm Regis obitu, utpote capite, & summo Imperatore suo viduati, fecerunt, jacturam respicias, funestâ, nec albo, sed atro potiùs calculo signandâ, acie decertatum.

Cujus descriptioni priusqvàm stylum advertamus, in alios terrarum tractus, ubi regia arma circa hoc tempus floruêre, cogitationibus nostris regredi, & qvid illic, non ad fatalem modò hunc Regi & Protestantium partibus diem, sed porrò, ad decurrentis anni exitum usq;, memoratu dignum contigerit, dispicere, operæ pretium arbitramur.

Regiorum, hostiumq; in Bavaria molimina.

52. In Bavaria, à Regis discessu, Christianus, Comes Palatinus Rheni, (Birckenfeldensem communiter vocitavimus) copiis illìc relictis præerat, loco Bannerii: Qvi, accepto ad Noribergam vulnere, & accidentibus huic aliis symptomatibus, lecto decumbens, graviq; laborans invaletudine, militaria munia obire impar erat. Hic cum maxima eqvitatus parte, atq; ablectis nonnullis sclopetariis, Monachium excurrere, & incolas ejus, morosos, in parte mulctæ, ad redimendum exitium ab ipsis promissæ, exsolvendâ Regis debitores, reliqva flagitare animum induxerat. Continuato ergò per integram noctem itinere, ubi, Monachio jam ad sesqvimilliare vicinus, hostem sparsim in pagis hinc inde hospitari intellexit, cum primo mox agmine, qvod tribus Legionibus constabat, gradum addendo, aliqvantulùm viæ anticipatum iit: Reliqvo eqvitatui & sclopetariis, ad pagum, Phaffenhoven dictum, vestigia sua pedetentim legere, imperans. Accidit sub hæc, ingenti fortè nebulâ subortâ, & densâ caligine cœlum involvente, viarum monstratorem postremas, & subsidiarias has copias à via, qvam insistere debuerant, seducere: Qvo factum, ut Regii utrinq;, ultra horæ spatium, haud mediocri locorum intervallo disjunctos se reperirent. Interim Tribunus de Hispania cum Legione sua, præcursores regios incidens, prælium commiserat, sed fortiter ab iis exceptus & repulsus, pugnam fugâ commutârat: Strenuè adeò se gerente hoc præcursorum manipulo; ut viceni eqvites, sex hostium cohortes ad dimidium milliaris perseqvi ausi, nonnullos tardiores, sclopetis trajectos, vitâ mulctârint. Reprimere tamen militis, hostem perseqventis, ardorem potiùs visum: Qvod, adventu Regiorum per tumultum hunc innotescente, ad arma ubivis conclamaretur. Flexo itaq; itinere Bruccam itum, Ammeraq; illic tramissus. Ubi centum eqvitum agmen, qvod Landsbergam versùs exploratum, ductu cujusdam eqvitum Magistri, excurrerat, obviam factum, & undiq; circumventum, pro reliqvo commilitio luit: Ad unum enim omnes, cæsi partim, partim capti. Eo autem patrato, Birckenfeldensis, spe Monachii, aut tentandi, aut saltem territandi evolutus, pedem, re infectâ, Augustam Vindelicorum omninò retraxit,

& eqvitatu Licufii tendere hostemq; observare jusso, tutiorem pro peditatu metaturam cis Lycum in pago Haustetem elegit.

Interà Comes de Monte cuculi, & Tribunus de Salis validis eqvitum, peditumve subsidiis Duci Bavariæ, circa Pfaffenhovii Urbem aliqvot millibus militum commoranti, se junxerant. Qvarum copiarum augmento valentior simul & animosior, Schrobenhusam primò movit: Inde pridiè Nonarum Novembris, Aichachi oppidum, qvod ab Holtzmulleri Centurionis draconum cohorte tenebatur, adortus. Nec diu id restitit, sed, postqvàm primæ aggressuræ impetum sustinuerat, traditum à dicto centurione, deditionem, vi accepti à Birckenfeldensi mandati, salvis impedimentis pacto, sub pristini Domini dicionem postliminio rediit.

Hinc porrò Rainum promotus Exercitus. Cujus obsidioni remoram injecturus Bôrckenfeldensis, Augustâ cum copiis suis Oberndorffum descendebat: Ad pontem, qvi Raino haud procul Licum jungit, in oppositâ hosti ripâ castra metatus. Nec ob id minus ab hoste octiduum ferè hîc transactũ: Ita tamen, ut ad paludes, qvibus ex parte oppidum cingitur, hærens, obsidium minitanti, qvàm obsidenti esset similior. Tertio Iduum Novembris, die, qvi revelationi Divæ Virginis apud Pontificios sacer erat, tormentis pariter & sclopetis in oppidum ter ab hoste fulminatum: Id qvod senis Tillii honori dabatur; cujus exanime corpus monimento hoc die illatum, captivi retulêre. Postridiè, paulò ante diluculum, eruptio ex oppido à Regiis tentata: Qvos ferociter in se irruentes conspicatus Bavarus miles, animo resistendi abjecto, proximisq; stationibus desertis, fœdâ statim fugâ dilabebatur. Regii, nullam passi jacturam, triginta sex trucidatis, & octo captivis secum abductis, in munimenta sua reversi. Bavariæ ergò Dux, hoste, qvi in adversâ Lici ripâ statum ceperat, præsente, Rainum felici successu oppugnari posse, desperans, castris illic sublatis, Exercitum bipartitò Neoburgum partim misit, partim pontem, qvo Danubium Marxhemi paulò infra Rainum straverat, traduxit. Et forsan in Donawerdam, aut Wirtenbergensem agrum, ut opima hibernacula, cusa fuerat faba: Verùm Regii ubivis conatibus ejus præverterant; eodemq; temporis momento nuncium, de clade ad Lutzenam acceptâ, aures perculit. Qvo factum: Ut retrò in Bavariam pedem cum Exercitu referret, & illic, in hiberna distributum, interqviescere paululùm pateretur.

Paululùm, inqvam. Nec enim longâ interpositâ morâ Landsbergam, qvæ & ipsa ungvis in ulcere, violento obsidio aggrediebatur: Cujus præsidiarii, spe certâ subsidiorum & liberationis, tamdiu sustentârunt; dum, pulvere tormentario defecti, absoluto hostis arbitrio se dedere cogerentur. Et miles qvidem gregarius hac ratione adversariis signis nolens, volens successit: Ductores verò captivi Ingolstadium in custodiam amandati.

Nec hoc successu contentus Bavarus, Sveviam, cujus invadendæ ostium, Lici ad Landsbergam transitu in potestatem redacto, recludebatur, in continenti irrupit: Nonnullis illîc locis, Guntzburgo imprimis, mediâ, qvâ Augustâ Ulmam itur, viâ sito, & Cauffbeurâ occupatis; nec Regiis, ut qvi viribus impares, progressui ejus objicere se ausis.

Permovit autem protestantes Svevici Circuli Ordines, & Ducatus Wirtenbergensis Administratorem vel maximè, afflictus hic & fatiscens rerum status; ut ad Campiductorem Hornium, subsidia flagitatum, recurrerent. Jam enim injecerat is potiori Alsatiæ parti regiæ obedientiæ frenos, firmũq; adeo ibi fixerat pedem: Ut, cum parte copiarum licet recedens, statu tamen suo haud facilè dejici posse, crederetur.

In superiori Svevia, Acronium versùs lacum, provincialis Wirtenbergici agri miles, regiis nonnullis copiis, qvæ subsidio accesserant, animos ac vires addentibus, cum rebellibus Pontificiæ Religionis ruricolis, iras & prælia paulò ante miscuerat. Sub ineuntis Octobris auspicia, in Comitatum Hohenhäven, qvi Imperii subEnsiferum, Maximilianum Pappenhemium, Dominum agnoscebat, itum, *Res in superiori Sveviâ gestæ.*

atq;

atq; tertio Nonarum Octobris, Hufingæ oppidum, hostilitati obstinato animo insistens, vi ac impetu captum: Rusticorum, qvadringentis, & qvod excedit, trucidatis. Haud procul porrò Twielâ, in abrupto ardui montis sitâ, arce, Regiorum eqvitum ala, & trecenti dictorum provincialium in agricolas, qvi Bollingæ (arce & pago diœceseos Constantiensis) coierant, impigerunt: Qvorum pars concisa, reliqvi in fugam compulsi.

Sub exeuntis qvoq; anni terminum Rotwilæ Urbs, postqvàm oppugnantium vim aliqvamdiu strenuè à se defenderat, Ducis Wirtenbergensis protectioni, Religione tamen, nec non privilegiis & immunitatibus pristinis salvis, successit.

Benfeldæ obsidium.

53. In superiori Rheni tractu, & Alsatia, Gustavus Hornius, regius Campiductor, Benfeldam obsidio cingere decreverat: Cui fini præcursores regii Urbem ambire, viasq; circumcircà insidere jussi, deditione imperatâ, sexto Iduum Septembris ad Urbem primitùs se ostendêre.

Benfelda palustri & uliginoso loco Ilæ assita, & hinc naturâ ipsâ oppugnatu difficilis, sed circumjectus exigui, eòq; facilior ad defendendum, qvinq; propugnaculis, æqvali spatio invicem se respicientibus, secundum ingeniosæ artis præcepta examussim munita, nec vallo tantum denso validoq;, sed duplici qvoq; aqvaticâ fossâ circumdata reperiebatur. Non tormenta hosti, ad defensionem se accingenti, deerant, (qvorum nonnulla tantæ magnitudinis, ut qvadraginta octo ferri pondo immani ore vomerent) non res tormentaria; non præsidiarius miles. Tres etenim peditum cohortes, septingenta aut octingenta capita conficientes, & binæ eqvitum alæ, centum qvadraginta implentes numerum, unà cum aliqvot armatorum provincialium centuriis, locum tutabantur: Duce, è nobili Bulacchorum prosapiâ; extrema qvæq; ab hoste opperiri parato.

Biduo post, qvàm à regiis præcursoribus infessa itinera, qvarto, nimirùm, Iduum Septembris, Hornius cum Exercitu in conspectum Urbis venit, & primariæ peditum stationi Sandæ locum delegit: Eqvitatu in vicinis pagis tendere jusso. Cingitur autem Benfelda undiq; amplâ, nec tumulis aut clivis ullis asperâ, nec fossis aut specubus inæqvali, planitie: Qvæ à coronario opere, longè in campum procurrente, omninò detecta, humum molientes defensorum exponebat obtutui, & transversariis ictibus. His ergò evitandis, procul à centum octoginta decempedarum intervallo, qvà destinatus longioris tubi ictus haud pertingit, accessus exordiri necessum fuit. Id qvod nocte inseqventi statim factum, &, indefesso operarum labore, celeriter adeò continuatum: Ut, hoste neqvicqvam continuo tormentorum, sclopetorumq; fulminibus opus interpellante, post qvatriduum exactum, non, nisi triginta decempedarum mensurâ, à fossæ labro distarent accessus: Interjectis subinde Reductibus, ac munitis excubitorum stationibus, suggestibusq; tormentorum idoneo loco excitatis. Vix decimus sextus autem Calendarũ Octobris illucebat, qvandò viæ coopertæ, & ipsi fossæ imminens regius miles, duos suggestus labro ejusdem seu exteriori acclivitati jam superstruxerat: Lateritia tormentorum receptacula, in angulo, qvo propugnacula vallo connectuntur, & propugnaculorum auriculas, ut vocant, seu prominentes ad latus extremitates, unde fossa, qvà vineis transmittenda venit, obliqvis ictibus perstringitur, contrariâ institutâ verberatione, infesta exinde redditurus.

Obsessi aliqvoties, durante obsidio, eruptionis aleam tentârunt: Sed nunqvam non, qvâ facilitate eruperant, rejecti; absq; notabili obsidentium jacturâ. Num verò ipsi damni qvid facerent, in incerto erat: Qvippè à fossæ orâ longiùs haud progredi ausi, & tormentis tubisq; longioribus è proximo vallo in Regios, pulsum hostem perseqventes, assiduè fulminantibus, defensi, facilem semper habebant receptum, nec qvisqvam intercipi poterat. Ex armis tamen & pileis, qvæ à fugientibus cruore infecta relinqvebantur, haud usqveqvaq; cladis immunes exstitisse, conjectare licuit.

Duo-

Duodecimo Calendarum Octobris, octingenti hostilium sclopetariorum, è Colmariæ, Sletstadii, aliorum locorum præsidiis collectitia manus, rusticis nonnullis per insolita viarum occultum aditum monstrantibus, pagū Ebersmünster, qvo duæ Rhingravianæ Legionis alæ, cum draconibus nonnullis hospitabantur, ex improvisò irrupêre: Ita ut nec eqvestres excubiæ, qvæ tamen haud perfunctoriè, sed accuratè satis dispositæ, nec qvi, in loco Ehenweiher, proximè Sletstadium, collocati, hostium molimina eminus speculabantur, qvicqvam de eo persentiscerent. Eqvorum tamen, qvorum aliqvammulti abducti, qvàm hominum major jactura fuit: Cæsorum namq; numerus intra qvinarium stetit; cum hostis econtrà Gosium Centurionem, & viginti gregarios, qvà interemtos, qvà captos, in receptu desideraret.

Humus ad fossæ labrum, seu exteriorem acclivitatem scruposus & compactus erat, fossorumq; operam ob duritiem difficulter admittens; ad hæc obsessi tormentorum, tum numero, tùm magnitudine & mole potiores: Qvo plus itàq; objiciebatur difficultatum, eò plus temporis ad has evincendum, accessusq; tutò & sine temeraria hominum jactura promovendum, impendi oportuit. Nihilo tamen minùs, pridiè Calendarum Octobris, vineis in fossam labro ejus perrupto, collocandis initium factum: Qvod ut feliciùs procederet, paulò suprà Benfeldam, excitatâ obliqvâ mole, præsentem Ilæ alveum, unde aqva in Urbis fossam derivatur, obstruendo, revolutumq; objectu ejus amnem in antiqvum, qvà olim cursum tenuerat, depressâ fossorum operâ humo iterum apertum, refundendo, fluviales aqvas ab Urbe avertere visum. Vinearum autem opus tantâ celeritate processit: Ut, non obstante strenuâ obsessi hostis, tormentis dexterrimè imprimis usi, defensione, qvinto Nonarum Octobris, fossa latitudine duodenûm decempedarum, aqvam senûm pedum altitudine continens, ad tertias iis jam tramissa reperiretur.

Dum ita ad Benfeldam coangustandam à Regiis desudatur, Diœceseos Argentoratensis Vicarius, & generalis Commissarius Ossa nullum non lapidem moverant: Qvò, numeroso per Lottharingiam ac Burgundiam milite coacto, Urbem, cui Alsatiæ totius conservatio innitebatur, Regiorum, possessionem ejus ambientium, manibus eriperent. Qvibus ut tantò paratior occurreret Hornius, inter alias copias pedestrem qvoq; Comitis Solmensis Legionem ad se accersivit: Qvod Wormatiæ Urbs, ubi hactenus servaverat, conscriptis, Regis Sveciæ auspicio, ductu Gronweji SubTribuni, qvatuor peditum cohortibus, ad sui defensionem, pro ratione temporis, ipsamet satis superq; accincta videretur.

Nec mora longa intercessit, qvandò & Marchio Badensis, qvi cæsareæ militiæ in superiori Rhenano Circulo summo cum imperio præerat, & Salmensis Comes, Argentoratensis diœceseos Vicarius, coadunato omni robore, decem, plùs minùs, hominum millibus æstimato, (inter qvos tamen qvater tantùm aut qvinqvies mille conscripti milites, reliqvi è provincialium numero conflata turba erant) Sletstadium adventare auditi: Auxilium aliqvà tentare, &, aut Benfeldæ obsidio Regios vi depellere, aut certè militum qvid, ad fatiscentes jam suorum animos viresve recenti subsidio suffulciendum, in Urbem introducere certi. Bis ergò validâ manu ad Urbem pervadere conati, sed bis repulsi, tertiâ deniq; vice, inter noctis, qvæ sextū Iduum Octobris seqvebatur, silentium, totis viribus belli aleam jacere decreverunt. Jamq; ad pagum Rhingravii stativis proximum perventum erat: Qvandò excubias summâ diligentiâ & vigilantiâ ubivis haberi animadvertentes, Rhingravium insuper, adventu eorum excitum, cum Legione propria, jam adversùm movere, nec non Campiductorem ipsum, assumto ex primariis castris, aliisve stationibus, eqvite ac pedite, suppetias illi properare, senserunt. Hac itàq; expromtâ Regiorum audaciâ adeò statu suo emota eorum mens: Ut, consilio repentè mutato, non parum perturbatis ordinibus, qvam venerant viam, Sletstadium citato gradu remensi fuerint.

Interim

Interim Urbs trans Ilam, ubi situs loci introducendorum subsidiorum maximam præbere videbatur opportunitatem, munitionibus aliqvot, & cis qvoq; flumen nonnullis Reductibus arctiùs circumvallata, hostiq; , seu vi perrumpendi, seu clàm irrependi, magis, magisq; præcisa occasio.

Qvamvis autem turbæ, à cæsariano Exercitu ad extimam castrorum partem excitatæ, remoram non exiguam obsidioni continuandæ fecerint, potissimo milite huc abducto, & hostibus defendendis intento, impedire tamen penitùs vinearum progressum haud potuêre: Duabus tertiis fossati, qvinto Iduum Octobris, jam superatis. Verumenimverò nocte, qvæ hunc diem tenebris suis cooperuit, obsessi bina omnium maxima tormenta, commodo loco disposita, in vineas direxerunt; post ictus non ita multos exceptos, haud modicam brevi dantes ruinam: Priusqvàm Regii contrariâ verberatione institutâ, vehiculis confractis dejicere ista, & inutilia reddere possent.

Qvo deniq; facto, ad hiatum reparandum, & vineas, ut cœptæ erant, continuandum, initio inclinare Hornii animus: Sed, re exactiùs pensitatâ, qvod velamentum, qvo vineæ ad latus tegebantur, ob humi recenter aggesti, nec satis constipati raritudinem, ictibus tormentorum neutiqvàm esset sufferendis, & par illi, qvi acciderat, casus denuò forsan extimescendus veniret, consultius demum censere; prioribus vineis ad latus pertusis, novum corundem exordiri ordinem, & istas, terrâ ingestâ oppletas, objicere velut transversarium aggerem hostilium tormentorum ictibus. Id, qvâ consilii maturitate deliberatum, exsecutionis celeritudine effectum datum: Et vix duodecimus Calendarum terris illuxerat, qvandò posteriores hæ vineæ priorum frontem desertam jam æqvâsse, conspectæ. Octavo Calendarum Novembris præpilatæ sudes, fossam intersecantes, revulsæ, & vineæ ad murum, pedem valli sustinentem, porrò actæ: Qvò ubi postridiè deventum, muro statim perfracto, ad octonûm pedum mensuram vallo insinuatum, cuniculisq; agendis factum initium.

Obsessi strenuè hactenùs & impigrè, ut militares Viros decet, se gesserant, nec qvicqvam qvod defendendo hosti ingeniosa mortalium adinvenit industria, desiderari in se fuerant passi: Demùm tamen, nec interdiu, nec noctu qvietem sibi dari, sed, post fossatum vineis tramissum, cuniculis rem sub ipso jam geri vallo conspicati, evanescente insuper subsidiorum ac liberationis spe, deditioni animum advertere cœperunt. Nec regius Campiductor, utut de loco vi & impetu brevi expugnando minimè desperans, ab honestis deditionis legibus, abhorrere; idq; prægnantibus satis de causis. Præsidiarii enim, actis in contrarium cuniculis, regiorum cuniculorum diverticulum unum jam detexerant; propugnaculum insuper, in qvod potissima oppugnantium vis, vineis illò directis, & cuniculis sub eo actis, versa fuerat, vallo interius refecto, novâ loricâ (ut, à transfuga relatum, verum posteà cõpertum) induerant: Qvâ, priori licet cuniculorum vi disjectâ, Regii, impressionem tentantes, ab omnimoda irruptione abercerentur. Qvinimò, vallo in potestatem penitùs redacto, interior adhuc fossa, & murus restabat intactus: Ad qvæ vi superanda, nonnihil adhuc temporis & impensarum reqvireretur. Porrò multitudini, qvæ confertim, laribus suis ad primum belli motum relictis, huc confugerat, parci, qvam universos ad internecionem deleri, utilius apparebat; Ne circumjectus ager, lauta militi hospitia, nec contemnenda bello subsidia alioqvi præbiturus, incolis orbatus, uno hoc velut ictu desolaretur. Vallum qvoq; Urbis, qvam, semel occupatam, non derelinqvi, sed mordicùs teneri ratio belli flagitabat, illæsum conservari, qvàm, extremâ vi adhibitâ, destrui & everti, Regis, Regiorumve magis intererat. Deniq; recens, & à partu adhuc tenerum Sveciæ Regis in Alsatia imperium, clementiâ qvàm severitate, firmiùs fundatum iri, in mentem veniebat.

His rationum momentis inductus Hornius, haud ingratum Regi fore credidit; si certo pacto de Benfeldæ deditione cum Præfecto loci transigeretur: Id qvod, qvinto Calendarum Novem- *Benfeldæ deditio.*

Novembris seqventibus legibus factum. (1) *Præfectus, Centuriones, eqvitum Magistri, & reliqvi ordinum Ductores, nec non milites gregarii, tormentarii, & universi, cujuscunq; status aut condicionis, liberi, nec ullatenùs, aut ullius prætextus obtentu impediti, explicatis signis, globulis ori inditis, funiculis incensis, tubis ac tympanis personantibus, justis armis instructi, duasq; campestres machinas, & currum, pulvere nitrato, globisve oneratum, secum trahentes, unà cum familia sua, jumentis, impedimentis omnibus, neutiqvam excussis, Urbe excedunto; & Præfectus qvidem cum uxore, materterâ, sorore, liberis, qvique propiùs ad ipsum attinent, Ductoribus ac militibus, nec non omni eorum familiâ, Tabernas Alsatiæ, reliqvi Magistri eqvitum, Centuriones, & qvod superest militum, Brisacum deducuntor: Qva de re obsides Regii danto.* (2) *Clero & monachis, præsertim monasterium Ely incolentibus, rem divinam intra cœnobiorum claustra, ut anteà, ita imposterùm suo more celebrare, & eleemosynis ostiatim emendicandis victum qværere; reliqvis, qvi commorari diutius illic noluerint, unà cum bonis & habentiâ, tutò demigrare liceto.* (3) *Cives, Pontificiæ fidei addicti, conscientiarum & Religionis libertate fruuntor.* (4) *Residui diœceseos Argentoratensis ministri, seu rei œconomicæ & ratiociniorum sint administratores, seu aliis muneribus funguntur, tam civium numero censi, qvàm eodem exemti, unà cum bonis, uxoribus, liberis, armis, duobus curribus, eqvis, familiâ, nemine interpellante, itidem emittuntor: Traditis tamen priùs censualibus libris, & incorruptis ratiociniorum exemplaribus, in manus à Regiorum parte ad id delegatorum.* (5) *Si qvos aut morbus sonticus, aut vulnera detinent, his ulteriùs in Urbe, valetudinis curandæ, commorari, &, post recuperatam sanitatem, accepto à Regiis commeatu, signa sua seqvi, liberum esto.* (6) *In Præfecti, Centurionum, aliorum Ductorum, militum, civiumve arbitrio stato: Diœceseos territorio subjecta bona sua, aut diutiùs incolere, aliorum, qvi regiæ protectioni successerunt, adinstar; aut divendere, & in qvoscunq; alienare.* (7) *Præfecto, simul ac deditio Urbis consummata fuerit, ordinum Ductorem, acceptis à regio Campiductore liberi commeatus literis, ad diœceseos Vicarium ablegare, reiq; gestæ seriem illi denunciare, conceditor.* (8) *Civitatis ac civium privilegiis, Libertati, jurisdictioni, juribus in nullo derogator, nec ulla Urbi, ut captæ, mulcta imponitor: Sed illa potiùs à futuro Regiorum præsidio, qvantum factu possibile, defenditor adversus aliorum injustam vim atqve oppressionem; & unicuique jus suum tribuitor.* (9) *Civium omnes & singuli, in Urbe tempore deditionis factæ reperti, seu nunc, seu olim, qvandocunq; libuerit, bona sua liberè divendunto, &, commeatu à Regiis impetrato, tutò discedunto.* (10) *Agri vicini incolæ, à tempestate belli in Urbem refugi, nullis exactionibus concussi, cum pecore, armento, eqvis, aliis mobilibus, in sua, agro colendo, se recipere permittuntor.* (11) *Captivi utrinqve, nullo habito discrimine, nec ullo lytro persoluto, liberantor.* (12) *Res tormentaria, commeatus, & qvicqvid nec Præfectum, nec præsentes & Urbe excedentes, ordinum Ductores, militesve, nec cives ipsos Dominos agnoscit, certis, à Campiductore regio ad hanc rem ordinatis, hominibus absqve fraude indicator & traditor.* Hæ leges deditionis: *Cui* (13) *proxima lux destinata; admisso tamen in suburbium adhuc ante Regis occasum regio milite. Qvod si terminus abitionis Præfecto, reculis suis convasandis, arctus nimis foret, totum illum diem & inseqventem noctem, cum familia, in Urbe ac domicilio suo commorari, propriâ etiam cohorte in suburbio secum retentâ, insuper indultum.*

Deditione condicto, ut diximus, tempore factâ, præsidiariorum ad qvadringentos, Ducum desertores, victricia Regiorum signa adorabant: Nonnullis qvoq; eqvitum Ductoribus fortunæ, parti adversæ arridentis, auspicia, se brevi, missione impetratâ, secuturos, haud obscurè præferentibus.

Potiebantur Regii hic viginti qvatuor æreis tormentis, sex millibus triginta sex, multigenerum globorum tormentalium, trecentis glandium plumbearum, qvales longioribus tubis evibrantur, millibus, qvater centum id genus sclopetis, ter centum sarissis, qvadringentis pulveris sulphurei, octoginta nitri, ducentis funiculorum cente-

centenariis. Commeatus (civium, qvi pauci erant, penu in summam haud computato) ultra mille qvadringentas mensuræ in farina, omnisq; generis frumento repertæ, & qvinqvaginta vini vehes.

Hornius autem, simul ac pedem in Urbem poneret, vallum, mœnia, & si qvid, durante obsidio, tormentorũ violentiâ concussum aut deformatum, illicò resarciri, accessus ac reliqva, oppugnandæ Urbi excitata, solo æqvari, novisq; adjectis operibus, cumprimis vallo loricâ horizontali cincto, munitiorem longè, ac anteà exstiterat, reddi imperabat.

Regiorũ in Alsatia progressus.

Post Benfeldam deditam Rhingravius, cum ablectis copiis Marckelshemum missus, occupato oppido duas hostium cohortes, alteram eqvestrem, pedestrem alteram, dissipatum iit. Qvâ clade perculsi Cæsariani, Dambacco, & aliis nonnullis locis præsidia sua eximebant: Unde hæc qvoq; Regiorum, ut validiorum, partes suâ sponte secuta. Superius Berckhemum & Gemera, bina oppida, qvibus superioris ac inferioris Alsatiæ collimitium à montanis ad Ilam usq; clauditur, pariter se dedidêre: Ducentis delectis sclopetariis, qvi hîc servabant, regiæ militiæ nomina sua transcribentibus. Nec minùs, ab una parte, liberæ qvidem, sed minorum gentium, Imperii Civitates, Cæsarisburgum, Ammensweilera, Turckhemum, Sanctæ Crucis, & Herlishemum, ab altera Moltzhemi Urbs, utut hostili partim milite infessæ, ad primas Hornii, deditionem flagitantis, literas, imperata fecerunt. Ut ita Hornius, non Exercitus modò per lautissima isthæc hospitia distribuendi, & à laboribus, qvos hactenùs exantlaverat, refocillandi, media affatim, sed Sletstadii etiam atq; Colmariæ eminùs circumsidendorum nactus sit occasionem. Inter qvæ Colmaria, literis tentata, cum civibus suis deliberaturam, respondit; non obscurâ spe datâ: Nisi præsidium hostile nimium potens foret, facilè secum transactum iri. Nec seqvens eventus spẽ hanc paulò post frustratus est.

Sletstadii obsidium.

Sletstadium, principem secundùm Benfeldam in Alsatia locum, longinqvo obsidio fatigare, primò constituerat Hornius: Hinc, vicis ac oppidis circumjacentibus milite munitis, molendinorum qvoq; usum, aversis, qvi Urbem perfluunt, rivis, ademerat; in eo jam totus, ut Ilam ipsum à cursu & consveto alveo aliorsùm derivaret. Mox verò planitiem, qvæ montana & Rhenum interjacet, hîc loci qvàm maximè coarctari, adeòq; Sletstadii possessionem, ad transitus hinc inde securitatem, omninò necessariam, nec militem in hibernis aliàs tutum fore, perpendens, suffragante insuper tempestatis ratione, qvæ, utut præcipiti jam hieme, non adeò incommoda, nec sub dio tendentibns intoleranda adhuc videbatur, à lento obsidio ad vim præsentissimam animum convertit: Sexto Iduum Novembris Urbem, Exercitu propiùs admoto, adortus. Servabat hic pro Cæsare subTribunus Breitenbacchius, totâ Metternicchianâ Legione & duabus Vernierii recens conscriptis peditum cohortibus, universim tamen ultra sexcentorum capitum numerum haud conficientibus, nec non eqvitum, sub Montreschierii proTribuno, alâ suffultus. Qvi omnes pariter, ut militares Viros decet, se gessêre; nihil intermittentes, qvod hosti faceret repellendo. Tentata, inter alia, pridiè Iduum Novembris, valida irruptio: Licet, Regiis strenuè in occursum venientibus, & cum clade rejicientibus obsessos, fortuna hanc destitueret.

Lottharingici Legati ad Hornium propositio.

Ultimo Calendarum Decembris, à Lottharingiæ Duce Legatus in castra venit, cum fiduciariis ad Campiductorem regium literis, certisq; postulatis. *Argentoratensem*, nimirùm, *diœcesin Duci Lottharingiæ ducenties mille Joachimicorum debito, jam à multis annis obstrictam; nec à summo tantùm Imperii tribunali condemnatam ad solutionem, sed decretam insuper in ejusdem diœceseos bona ac reditus immissionem, binis cæsareis Edictis: Qvorum avthentica Legatus proferebat, descriptis Exemplaribus Campiductori communicatis. Qvod ergò generalis diœceseos Vicarius jã præ se ferat; non repugnare ampliùs, qvò minùs decreta à Cæsare immissio, & qvidẽ speciatim in tres reliqvas*

Ty Urbes,

Urbes, Tabernas Alsatiæ, Dachstenum, & Ruffacum, effectum sortiatur: Ideo Ducem humaniter contendere à regio Campiductore; ne impedimenti qvid hac in re ipsi creet, aut in sinistram id accipiat partem. Nec enim aliud Ducem qværere, qvàm qvod jure ipsi debeatur; nec qvicqvam, sub hoc prætextu, moliri aut machinari in Regis aut Urbis Argentoratensis præjudicium: Qvinimò, simul ac possessionem horum locorum adipiscatur, Regi & regio Exercitui omni officiorum genere obviam ire, &, in specie, liberum, nec ullatenùs impeditum transitum præbere, eâq; de rescripto fidem obligare paratum.

Hornii responsũ. Ad qvam Lottharingici Legati propositionem regius Campiductor respondit. *Regem Sveciæ non qvenqvam, qvi Pacem & qvietem amet, inqvietandi, sed amicos potiùs afflictos & & oppressos sublevandi, in has venisse oras. Ducem ergò Lottharingiæ, qvi Regi & Regio Exercitui amicitiæ jura nunc offerat, habere, qvod à Rege mutua qvæqve paris amicitiæ officia exspectet. Postulata autem Ducis tanti videri momenti, ut eorum in alterutram partem decidendorum arbitrium Campiductor Regius sibi arrogare non possit, sed ad Regem necessariò referenda veniant: De cujus mente donec constet, exiguam, qvam interponi oporteat, moram, Duci haudqvaqvam gravem fore. Interim non posse non indicare Legato, posteriores duas trium harum Urbium, deditione imperatâ, bidui, nec ampliùs, spatium ad deliberandum petiisse, & impetrâsse: Terminoq; jam elapso, necessitatem ipsi fieri, horum locorum, seu amicâ viâ, seu per vim præsentariam, sub Regis sui obedientiam, cum DEo, redigendorum. Qvod verò Alsatiæ Tabernas concernat, qvas de deditione nondum interpellarit, posse in sustinendo ab his impetu aliqvid indulgere Duci: Adeòq; Regis sui responsum, earum ratione, opperiturum.* Consultò autem Duci de Tabernis gratificatus Hornius: Qvippe non immunitæ erant, militeq; præsidiario & omnibus belli necessariis ad vim aliqvamdiu repellendam affatim instructæ; ut ita, absq; Ducis postulatis fuisset, oppugnationem illarum præcipiti hoc anni tempore tentare, periculosæ plenum aleæ futurum appareret.

Decimo sexto Calendarum Decembris, duodecim hostilium eqvitum alæ, cum nonnullis draconibus, pontem Rheni ad Brisacum transierant: Peditatum, in Burgundia noviter conscriptum, & qvis prætereà in præsidiis hinc inde dispersus reperiebatur, attracturi ad se, pulsisq; Regiis, Sletstadii expugnandi satagentibus, Urbem, si possibile foret, obsidio soluturi. Sed plagas, qvas aliis tendebant, inciderunt. Rhingravius namq;, intentione eorum retectâ, cum Legione sua properè in eos movit, & citato agmine famam adventus prævertens, in hospitiis securos oppressit. Trecenti eorùm interemti; ducenti, inter qvos supremus excubiarum sub eqvestri Legione Præfectus, tres eqvitum Magistri, & totidem alarum Legati, capti: Qvod reliqvum, septem vexillis in Regiorum manu relictis, hinc inde dilapsum. Marchio Badensis ipsemet ægrè admodùm fugâ hosti se eripuerat.

Sub hæc Regii, accessibus indies propiùs, propiùsq; Sletstadio admovendis, minimè feriari, breviq; adeò Urbi succedere: Ut exteriorem fossæ oram attingerent. Reperiri autem fossâ, duarum sarissarum longitudinem profunditate adæqvans, sed angustior, & vix senûm decempedarum latitudine; aqvis ferè destituta: Utramq; acclivitatem, cùm exteriorem, tum interiorem, lateritio muro suffulta. Hunc itaq; murum, actis eò cuniculis, in fossam præcipitare, & transversario aggeri, qvo vallum invadere parabat, viam eâ ratione sternere, decrevit Hornius.

Intereà cæsareus miles, qvi Horburgi, arce Wirtenbergensis agri satis munitâ, præsidio erat, deditionem pactus, ipsemet, unâ cum arce, fidei suæ concreditâ, in regias partes transierat.

Jamq; ad Sletstadium cuniculi, ab Hornio præparati, murum, qvem diximus, non mediocri hiatu aperuerant, qvando Civitatem de deditione primò interpellare visum: Anteà enim non nisi per literas id factum, à Præfecto Urbis, ne in civium noti- Sletstadii deditio.

notitiam pervenirent, suppressas. Sed obstinare adhuc obsessi, & ad extrema qvæq; se paratos, profiteri: Qvoad, ultimo Nonarum Decembris, granatensium pilarum, & artificiorum ignium vis ingens injecta, fractis militum pariter ac incolarum animis, deditionem extorqveret.

Honestis tamen legibus conventum; præsidiumq; hostile, *signis & vexillis evolutis, prævio tubarum clangore, & tympanorum, tam æreï, qvale equestres turmas decet, qvam aliorum, pediti usurpatorum, mugitu, funiculis ardentibus, glandibus plumbeis ori insertis, duabus porrò machinis campestribus, qvas currus, pulvere nitrato & similibus oneratus, comitabatur, secum avectis, salvis deniq; omnibus impedimentis* Urbe excedens, Brisacum usq; deductum. *Vulneratis & morbo laborantibus, qvi signa seqvi non poterant, Sletstadii in Nosocomio, valetudinis curandæ, remanere, & qvotqvot reconvalescerent, ad Legionem cuiqve suam, accepto commeatu, redire, insuper indultum.* Cautum qvoq; *de eo, qvod alterutrius partis miles ab hoste, qvamdiu præsens, qvod nunc exibat, præsidium Sletstadii agitârat, interceptum possideret, ut prædâ jure belli partâ, eidem relinqvendo.* Separatim civium communio cum regio Campiductore certis condicionibus pacta. *Cives, nempè, si qvi fortè bellicis, aut aliis muneribus pro Cæsare essent functi, nullâ ob id afficerentur molestiâ: Incolæ, & inhabitans qvoqve Clerus in pontificiæ Religionis exercitio, cænobiorumq;, ædium, jurium suorum possessione minimè perturbarentur: Ulteriorem jurisdictionem, seu absolutius Majestatis jus, ac Cæsares, ordinatiq; ab his Præfecti ab antiqvo habuerant, Campiductor regius, nomine Coronæ Svecicæ, neutiqvàm sibi arrogaret, sed Civitatem antiqvis juribus, immunitatibus, privilegiis, moribus vivere sineret; his, qvi excedere Urbe mallent, jure migrandi concesso: Demum Urbem intolerabili militarium hospitiorum onere ne gravaret, sed præsidium, qvantumcunqve loco tutando necessarium videretur, ordinario & consveto modo sustentaret; servatâ militari disciplinâ, nec non hospitiorum distribuendorum curâ arbitrio Senatus, relictâ.*

Paulò ante Sletstadii deditionem, qvarto, scilicet, Calendarum Decembris, idem ille, cujus jam mentionem fecimus, Ducis Lottharingiæ Legatus, cum literis fiduciæ denuò in castra ad regium Campiductorem comparens, eundemq;, Domini sui nomine, ob immaturum Regis obitum solatus, fide, qvam de Tabernis, dum Regis mens exqvireretur, haud tentandis dederat, unà exsolvit: *Eò qvod diœceseos Vicarius, promisso de Tabernarum deditione retractato, ad loci defensionem adversùs Regios ipsemet accingeretur.* Interim à Campiductore contendebat: *Immitteret Ducem, non qvidem in possessionem ullius loci, qvi alicujus momenti, sed agri saltem, episcopali territorio subjecti, partem qvamcunqve; ut hac eidem ratione satisfieret, de debito, qvo diœcesin sibi prætendebat obstringi.* (Iterata Lottharingi ad Hornium Legatio.)

Jamq; Regii, ad devinciendum Lottharingum, ut, si non amicus, certè nec hostis, & Protestantium intentioni, si non adjumento, nec obstaculo tamen esset, gratificari ex parte eidem cupidi, primò de locis nonnullis, ad montium radices haud procul Sletstadio sitis, mox de alterutra diœcesium, Murbacensi aut Luderensi, tradendâ, animo volvere consilia: Sed Lottharingus, Vicario Episcopatus sententiam repentè mutante, & ipse pariter versoriam cepit, iterumq; à Regiorum amicitia ad hunc aversus, cum eodem de Episcopatu Argentoratensi seqventem in modum transegit. *Tabernas Alsatiæ, & Dachstenum, cum omni, qvi eo pertineret agro, Dux, in manus sibi consignata, illas qvidem sexcentorum, hoc trecentorum peditum, utraqve verò junctim centum equitum firmaret præsidio, militiq; (vino & pane, qvæ cives præberent, exceptis) de menstruo stipendio exactè ad belli usqve exitum provideret: Necessitate qvoqve exigente augeret copias has præsidiarias, iisq;, non ad locorum modò traditorum, agrive his subjecti defensionem, sed totius diœceseos Argentoratensis tutelam, qvotiescunqve, aut Vicarius, aut* (Lottharingus Alsatiæ rebus se miscet, Tabernis & Dachstenio insessis.)

Canonicorum Collegium, aut Cancellaria Episcopalis auxilium ejus imploratum irent, uteretur. Possessione autem locorum haud cederet, nisi summâ ducenties mille Joachimicorum, quæ ab Episcopatu sibi deberi asserebat, priùs exsolutâ.

Hæc transactio Anno millesimo, sexcentesimo, tricesimo secundo exspirante, pridiè Calendarum Januarii, re ipsâ consummata est: Qvo Lottharingiæ Dux Tabernarum & Dachsteni possessionem, per militem illò introductum, apprehendit. Miserat qvoq;, simul ac cum Vicario Episcopatus conventum, Villium Regulum, & Furnierium qvendam, Legatos ad regium Campiductorem; *Moltzhemo sibi decedi* postulans: *Qvod Urbs hæc districtus & præfecturæ Dachsteniensis pars, nec armorum vi, sed tantùm per tubicinem, incruento modo, Regiis acqvisita foret.* Cui tamen postulato ut assentiretur, nullâ eorum loqventiâ persvaderi potuit Hornius.

Secundi regiorum in Alsatia successus.

Sletstadii feliciter occupati vestigia, interjecto vix aliqvot dierum spatio, alius legit Regiorum, adversùs Cæsarianos, ne ipse qvidem contemnendus, successus. Dum enim Zilhardus subTribunus, nonnullo eqvite Rhenum Schonaviæ traducto, Endingam versùs excurreret, accidit; præcursorum manum, qvæ, ductore Remchingo, alæ eqvestris Legato, septuaginta eqvitibus constabat, in Cæsarianarum partium proTribunum à Croneck, cum qvinq; hostilibus turmis, ad oppidum stantem, impingere, rapidoq; impetu in has invectam, disjectis ordinibus, in effusam conjicere fugam. Ipse proTribunus à Croneck primâ coitione cecidit, & eqvitum ultra centum; compluribus captis: Nec minùs reliqvos internecio manebat; nisi nebula, campum involvens, caligine suâ fugientes opportunè texisset. Intentio hostium fuerat, regium Tribunum, Enhusium, subitâ irruptione opprimere: Sed fortuna tristior exitium, qvod aliis meditabantur, in ipsosmet vertebat autores. Endinga autem, post suorum cladem, Regios, portis ultrò reclusis, promtè admisit.

Postridiè Regii, duas peditum cohortes, propè Brisacum inciderunt, & qvamplurimis obtruncatis, reliqvos unà cum Ducibus captivos abduxêre, ad unum penè omnes.

Colmariæ in regias partes transitus.

Colmaria animi anceps, Sletstadiensis obsidii eventum hactenùs speculata, viis omnibus circumcircà interclusis, & aqvâ aliò aversâ, farinæ, salis, lignorumve penuriâ jam laborare cœperat: Nec injuriâ verebatur, inter hos Regiorum progressus, in se ex ordine arma jam versum iri. Qvorum, lento obsidio eminùs insistentium, robur etsi morâ eludere adhuc aliqvamdiu posset, præsentissimam tamen vim extimescebat, jamjam imminentem: Insigni suo incommodo, & penitissimo forsan exitio. Præsidiarius enim miles, ejusve Præfectus, ad deditionem, extrema qvæq; opperiri certi, aures obturaverant, deq; Urbe in potestatem omninò redigendâ, & civibus sub absolutum obedientiæ jugum mittendis, consilia agitare comperti fuerant. Civitatis igitur ab interitu vindicandæ & Libertatis religiosæ, qvam Cæsar ereptũ ierat, recuperandæ, prævenire, qvam præveniri maluerunt: Præsidiariis manum, qvinto Iduum Decembris injicientes; trucidatâ eorum parte, armis captis resistere ausâ, & reliqvis cum Præfecto in custodiam datis. Mox Hornius de re omni certior factus, & de deditione agi cœptum. Nec difficilem is se præbere: Condicionibus, qvæ postulabantur, promtè assensus. Fuêre autem seqventes. *Colmaria, ut libera Imperii Civitas, moribus & legibus suis tam ecclesiasticum, qvàm civilem statum concernentibus, prout Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo sexto vixerat, ita imposterum viveret, nec Campiductor regius, aut alius, nomine Coronæ Svecicæ, qvicqvam novi & insoliti juris, præter, qvod Romani Imperatores hactenùs possederant & exercuerant, in ea sibi vindicaret: Pontificius Clerus, qvà mares, qvà fœminæ, in protectionem receptus, libero frueretur Religionis exercitio: Constitutio Magistratus, qvæ summæ Majestati debetur, ita fieret, prout è publica, & omnium civium re fore, putaretur; eo simul moderamine adhibito, ne in antiqvi moris vergeret præjudicium: Civitas ne militarium hospitio-*

rum onere, ultra vires & facultates gravaretur, hospitiorumq́ distributio penes ipsosmet maneret: Universis & singulis domi suæ, quæ tutum cujusqve refugium, debita præstaretur securitas; &, si quibus incederet aliò se conferendi libido, iis jus migrandi ne præcideretur.

His legibus deditionem pacti, qvarto Iduum Decembris, regium Campiductorem Urbe receperunt. Nec is diu moratus, Argentoratensium Senatu intentioni ejus applaudente, Doctorem Johannem Schmidium, Academiæ Professorem, & Consistorii ecclesiastici Præsidem, eò accersitum iit: Ultimo Calendarum Januarii, qvi habitâ Colmariæ postremâ Protestantium in morem concione, & Pontificiâ doctrinâ statim exinde invectâ, ante qvinqvennium civium conscientiæ criticus fuerat, eodem instaurativam concionem habere jusso. Ita Augustanæ confessionis exercitium publicum, postliminio Civitati & templis restitutum: Duoq; verbi divini ministri, Protestantium religionem professi, ab eodem Schmidio in ædem sacram, ad sinceram Evangelii doctrinam intemeratâ fide docendam, solenniter postridiè introducti.

Helvetii Pontificii pro Episcopo Basiliensi apud Hornium intercedút.

Fortunâ Hornio, regio Campiductori, per Alsatiam mirificè hunc in modum abblandiente, Basiliensis Episcopus, regiorum armorum proximantium vim subsentire qvoq; cœperat: Certis pecuniariis subsidiis, qvibus Cæsarem sæpiùs juverat, à Campiductore imperatis. Qvod ille molestè admodùm ferens, ad Helvetios, pontificiæ Religioni deditos, velut asylum confugere, eosdemq́;, ut pro ipso intercederent, inducere. Dederunt ergò hi, sexto Iduum Decembris, ad regium Campiductorem literas; ab illo postulantes. *Qvia Soloduri Urbis, & Basiliensis Episcopi, Fœderatorum suorum finibus, adeò inter se commixtis, ut in alterutrum, absqve inevitabili alterius damno, qvicqvam hostile tentare, impossibile foret, sensim appropinqvare consplceretur regius Exercitus; abstineret ab his socius ac Fœderatis suis populatus, expilationes, militarium hospitiorum onera, exactiones, oppressiones violentas, cæteraq́, id genus, hostilitatum.*

Hornii responsú.

Qvibus, penultimo Calendarum Januarii ab Hornio responsum. *Nec Regis, beatissimæ Memoriæ, unqvam fuisse intentionem, ullum, cujuscunqve status aut Religionis foret, bello vexare, nisi, qui ipsius arma prior, illatæ ultrò hostilitatis irritamento, provocâsset: Nec aliam adhucdum, à Regis obitu, Svecicorum armorum cynosuram aut normam. Qvia ergò Soloduri Urbs, qvantum in ipsius pervenerit notitiam, nullis injuriis Regios lacessierit, nihil qvoqve cum his rei esse; nec talium, qvorum Helvetii in literis suis meminissent, adversùs hos unqvam venisse in mentem. Qvoad verò Episcopum Basiliensem, relatum à nonnullis; ut foederis Pontificii, seu Ligæ, membrum, unà cum aliis sociis, Regem, gloriosæ Memoriæ, aperto impetiisse bello: De eo certè dubium nullum superare; qvod Verneriana, Colmariæ pessum data, Legio in ejus territorio, habitis illic delectibus, coierit, nec Episcopus fœderatis Helvetiæ pagis accensendus veniat. Non itaqve satis ipsi liqvere; qvid causæ Helvetios impulerit, ad satagendum tantoperè pro Episcopo Basiliensi: Qvin firmâ potiùs spe duci; neutiqvam sufflaminaturos regiorum armorum cursum, qvem decurri, ratio belli exposcat. Idq́ vel ideò maximè: Qvia tributum, non Episcopi dicionibus, quæ Helvetiorum pagis affines, sed, in specie & nominatim, Bruntrautensi districtui fuerit imperatum.*

Hagonoa regiis se dedit.

Interim Hornius, Legionis suæ proTribuno, à Croneck, Hagonoam ablegato, Urbi significandum injunxerat. *Siqvidem spontaneâ deditione armorum inferendorum necessitatem, regiæ protectioni ultrò succedentes, præverterent, pristinum statum, jura, immunitates, privilegia salva iis mansura: Sin; omnium horum imminere jacturam, habitâq́ temporis, qvod obsidioni insumendum, & sumtuum, qvi impendendi forent, ratione, duplum horum omnium à pertinacibus exactum iri.* Qvibus minis territi Hagonoenses, & simul, viribus suis accurato examine libratis, ad resistendum Regiorum impressioni impares se judicantes, simul de subsidiis, utpote hostili Exercitu

undiq;

undiq; cincti, desperantes, mitiora svadentibus aures præbuêre haud inviti: Honestis ac tolerabilibus deditionis legibus, qvas, extremâ vi exspectatâ, neqvicqvam desideraturi forsan erant, avidè amplexis, admissoq;, tertio Iduum Decembris, in Urbem regio præsidio.

Hornius, relicto in Alsatia Rhingravio, cum parte Exercitus in Sveviam tendit.

Rebus autem in Alsatia ad votum fluentibus, miles etiam, fortunæ auspicia cupidè seqvi solitus, undiq; confluere, regiumq; Exercitum aliqvot Legionum accessione augere compertus: Ita ut, partim inde deduci, salvâ nuper fundati status ratione, posse, appareret. Id qvod protestantibus Imperii Ordinibus in Svevia commodum accidit: Qvi Campiductorem regium, ad auxilia qvamprimùm ferendum, magnâ urgebant instantiâ. Horum enim precibus permotus hic qvidem, rei tamen Alsaticæ non minus prospexit: Summâ imperii Otthoni Ludowico Rhingravio, generali eqvitatus regii Præfecto, illîc demandatâ, & aliqvot millium agmine hanc in rem relicto. Qvi mox Suntgojam irrumpens, & Senhemo, Urbe in Austriacorum territorio sitâ, potitus, Thannæ qvoq; præsidiarios ad id redigebat extremitatum: Ut, duodecimo Calendarum Januarii deditionem pacti, postridiè, salvis impedimentis, armisq;, & signis expansis, Urbe excederent. Reliqva eqvitû peditumq; copia ad Schonaviam, decimo sexto & seqventi Calendarum Januarii, Rhenum traducta; qvam ipsemet Hornius, Benfeldâ decimo qvinto movens, subseqvebatur: Sveviæ, & commilitonibus ad Sveviæ tutelam à Rege destinatis, qvi prævalentium hostium mole pressi, laborabant, suppetiatum iturus.

Et initio qvidem Kentzingam perventum: Qvam Schavelitzkius Tribunus, jugum regium ferre jam antè docuerat, ac Legionis, Tribuni Ajazo ductu Cæsari militantis, reliqvias, ad ter centum capita, bono cum modo, præter vicena ad se traducens, novos delectus suos insignitè auxerat. Kentzingâ moventi Friburgum occurrit; qvod itidem dicti Schavelitzkii svadelæ jam cesserat: Unde adventanti portæ, nullâ objectâ remorâ, patuerunt. Rebus autem hic ordinatis, Neostadium, nigræ silvæ umbilico positum, porrò ibatur: Ubi tormentis & re tormentariâ ob montanorum, qvæ superanda erant, asperitudinem tardiusculè procedentibus, octavus Calendarum Januarii, primis Salvatoris nostri cunabulis sacer, qvieti datus. Postridiè verò, castris iterùm promotis, Ulmam versùs properatum: Cujus itineris successus suo loco explicabitur.

Fridelshemum à Regiis capitur.

54. Jam ut, Rheni fluxum secuti, ex Alsatia in Palatinatum inferiorem descendamus, Hispanus illîc, præter Franckendalam, Fridelshemi qvoq; oppidum, satis munitum, nec Franckendalâ procul dissitum, aliqvamdiu adhuc possederat: Vicino terrarum tractu crebris excursibus exinde vexato, & pessimè habito. Qvo nido ut hostem emoveret, & exstirparet malorum, in vicinos agros hinc subinde exundantium, velut radicem, simulq; Franckendalæ præsidiarios eò arctius incingeret, Otto Rhingravius, Svecicus ad Rheni oram proRex, impensis provincialium precibus permotus, Comitis Solmensis pedestri Legione, & qvinq; suorum alis eò missis, obsidii periculum fecit. Hispanus verò, obsessores grandiorum tormentorum adminiculo ad muros qvatiendos destitui, conspicatus, per integrum penè octiduum ferociter admodum resistebat; interdiu, noctu propiùs subeuntes crebris fulminibus infestans: Qvorum uno Leschius, Solmensis Legionis Centurio, Vir non instrenuus, occubuit. Demùm tamen, aqvis è fossa aversis, & duabus dimidiatis machinis adductis, cum, verberatione institutâ, seriò jam de corio suo ludi animadverteret, vix triduum adhuc sustentans, deditionem fecit, qvinto Calendarum Octobris. Qvo obsidio felici exitu terminato, Solmensis Legio, ut antè memoravimus, ad Hornium, regium Campiductorem, Benfeldâ oppugnandâ tunc occupatum, in Alsatiam perrexit.

Franckendala Regiis victas dat manus

Franckendala isthac ratione, qvò longiùs eò magis coangustabatur. Acciditq; inter hæc, literas ab Urbis Præfecto, ad Hispaniarum Infantem, inferioris Germaniæ, necdum liberæ, Principem, exaratas intercipi: Qvarum

rum indicinâ cognitum; præsidium hostile ob defectum cùm omnis generis necessariorum, tum militum imprimis, qvorum indies decedentium numerus nullis novis supplementis refici poterat, difficultatibus haud exiguis colluctari. Hæ ergò colloqvii inter nonnullos à Regiorum parte ad id delegatos, & dictum Præfectum instituendi, deq; Urbis deditione tractandi occasionem dederunt: Cui dies, qvartus Iduum Octobris, & locus, ad tertium longioris tubi à Franckendala jactum, condictus. Nec Præfectus, ut ut carnes, panem, vinum & sal usq; ad paschatos festum largiter suis adhuc suppetere jactaret, à deditione abhorrere visus. Postulabat tamen, unum Ductorum ad Hispaniarum Infantem in Belgium ablegandi potestatem sibi fieri; qvi, rerum statu retecto, de deditione ulteriùs agendi veniam impetraret: Sumtus etiam de suo, conservationi Urbis impensos, & contributionum circumjecto agro indictarum reliqva, qvorum omnium summa ad decem millia Joachimicorum exaggerabatur, sibi exsolvi, contendens. Qvæ, & similes deditionis appendiculæ Otthoni Rhingravio majoris momenti censebantur, qvàm ut suo arbitrio decideret. Ad Regem itaq; rejectæ, atq; hac ratione tractatus pro tempore ad irritum cecidit.

Consensu tamen Infantis Hispaniarum circa Octobris exitum resumtus, ineunte Novembri, optatum finem sortiebatur; certâ initâ transactione: Qvâ *Hispanorum præsidio, tam Ducibus, qvàm gregariis, Clero item, & qvi juri dicundo præfuerant, nec non aliis qvibuscunq, justis armis, signis ac vexillis explicatis, tympanis tubisq; personantibus, pilis ori insertis, funiculis ardentibus, salvis qvoq; impedimentis, & qvinq; machinis, qvæ Regis Hispaniarum nomen præferebant, unà cum necessario instrumento, secum abductis, Urbe exire indultum. Discedentibus ad avehenda impedimenta, sexaginta currus, & sena navigia attributa,* cautumq;: *Ut ad usq; Mosellam, Theodonis villam, aut Grevemacheram, deducerentur.*

De his legibus penultimo Nonarum Novembris scripto sanè conventum: Discessus tamen præsidii, dum miles reculis suis convasandis tempus terit, &, à Regiorum parte, de curribus ac navigiis, qvæ diximus, conqvirendis laboratur, ad sextum Calendarum Decembris adhuc prolatus. Qvando demum Hispanus locum, qvo tot annis nidulatus fuerat, & in illo triginta novem æneа tormenta (inter qvæ decem dimidiatæ machinæ, unum triginta sex pondo ferrum propellens, & duo mortaria numerata) ducentos septuaginta itidem pulveris nitrati, ultra ter centum funiculorum centenarios, & aliorum bellicorum instrumentorum copiam ingentem Regiis traditum ibat.

Fridericus, Comes Palatinus Rheni, & Bohemiæ electus Rex, spe restituendæ Franckendalæ, à qvâ tot annos exulârat, jam cominùs fruebatur: Re tamen ipsâ ut frueretur, & Urbem redux introiret, fata inviderunt. Sub finem namq; Septembris à Rege Sveciæ discedens, ad Rheni oram se contulerat: Ubi gravi qvatuordecim dierum morbo, qvem mœror ex Sveciæ Regis obitu conceptus non parum auxerat, succumbens, mundanis rebus vale ultimum dixit. Qvando inferior Palatinatus, hoste expulso, maximam partem jam recuperatus erat. Fridericus Comes Palatinus, Bohemiæ Rex, moritur.

Secundùm Franckendalam enim, qvæ deditionem jam pepigerat, sola Hedelberga, aulæ qvondam sedes, hostium compedibus vincta, restabat: Et ipsa eminus jam à multo tempore circumsessa. Nec præsidiarii interim sibi deesse, sed, sæpiculè furtim Urbe excurrentes, vicina deprædari: Plerumq; tamen cum clade repulsi. Inter alia, irruptionem in Schriessam facere: Occupatam incendio ex parte deformantes. Biduo autem exacto, multis secum curribus ac carris ad avehendum commeatum illic repertum, adductis, reversi, insidias à regiis eqvitibus, draconibusve tensas, incidere: Ab his ita accepti; ut magna pars reditus ad suos obliviscerentur. Multis qvippe cerebrum unà cum memoria excussum: Aliis captivitas arbitrii libertatem eripuit, & hostem seqvi coegit. Hedelberga, eminùs circũsessa, erũpendo turbas ciet.

In Moguntina diœcesi tranqvilla circà hoc tempus omnia, & ab armis qvies: Patres tamen Societatis (qvos appelli- Moguntiæ Jesuitæ suspectos semet reddunt.

appellitant) Jesu, finistris suspicionibus semetipsos onerando, aliqvid turbellarum dedêre. Duo namq; horum, Pater Balthasar, & Pater Henricus Bonsack, dum, pridiè Nonarum Octobris, alter in militem, alter in nauclerum, habitu transformati, navim, Coloniam ituri, conscendere occultò satagunt, deprehensi, agniti, &, qvod vestium mutatio suspectos redderet, in vincula conjecti. Id qvod, accedente accersitâ Patris Rectoris morte, qvi (febri tamen ardenti laborans) in puteum semet præcipitem egerat, causa fuit sinistræ, de societate hac conceptæ opinionis, & reliqvos qvoq; hujus farinæ, totumq; Collegium militari custodiâ circumdari effecit. Ad Gallici tamen Oratoris instantiam atq; impensa flagitia, mense postmodùm Novembri, duo isti Patres relaxati carcere, ac militaris custodia, qvæ Collegium hactenùs obsederat, remota.

Baudisii in inferiorem Rheni oram expeditio.

55. In Rheni tractu inferiori Baudisius, cum copiis licet exiguis, novum bellum ciebat. Pappenhemio etenim Visurgim relinqvente, & post Thuringiam peragratam in Misniam recedente, repedandi in Westphaliam tempus, otiumq; nactus, nullo, qvi progressus ejus impediret, hoste obvio, silvam occidentalem transcendens, in Ducatum Bergensem ac Coloniensis Electoratus dioecesin penetraverat.

Nam provinciales ejusdem dioeceseos delectus ex districtu, Eintracht vocato, civibus Lincii se aggregantibus, collectitiam è silvæ occidentalis, Wetteraviæq; Comitatibus agricolarum turbam, præeunte Comite qvodam Nassovio, Sarbruccâ oriundo, fines eorum invadentem, &, præfecturâ Aldenwietensi direptâ, ipsi Lincio, hibernandi atq; diribitoria illic instituendi animo, imminentem, ut pares cum paribus commissi, strenuè paulò ante repulerant qvidem, Comite ipso globo sclopeti trajecto: Baudisium tamen, cum Exercitu qvantulocunq;, haudqvaqvàm tulêre; sed hic, vi perrumpens, Lincii, qvam diximus, Urbem ad Rhenum, nec non Blanckenburgum ac Windeccum, arces Bergensis agri, deditione occupatum iit.

Siburgi expugnatio.

Qvarto Calendarum Novembris, Siburgum copiis qvibusdam contendens, Urbeq; è vestigio potitus, Abbatis qvoq; munitissimam naturâ sedem, ardui ac prærupti montis supercilio impositam, adeòq; penè inaccessam, nec injuriâ insignis propugnaculi nomen ob id promeritam, eodem impetus fervore adortus, pari qvoq; felicitate expugnabat: Utut præsidiarii ultra centum, omnibus ad defensionem necessariis instructissimi, locum tuerentur.

Lincii Baudisius, milite nonnullo Rhenum transmisso, loca omnia circumcircà prædationibus infesta habuit: Parvo munimento ergà Lincium, in opposita ripa, ad molem in Rhenum, fluminis coercendi, projectam, excitato, suis, Rhenum trajicientibus, de securitate providens. Ad demoliendum autem hoc opus ab Electore Coloniensi milites circiter trecenti, exspirante jam mense Octobri, se accinxêre; sed conatu haud ex sententia succedente: Res qvippè in eo statu reperta, ut, re infectâ, recedere cogerentur. Ultimo Nonarum Novembris Drachenfelsæ munita arx in Baudisii potestatem vi transiit: Ut ita, Leoburgo qvoq; dedito, totus Coloniam usq; Rheni tractus ab hoc latere imperium Regiorum agnosceret. Mox, pluribus copiis Rhenum traductis, & propugnaculo, qvod trajectum ad Lincium in ultrata ripa muniebat, validiori præsidio firmato, Saffenburgi arx impetu capta: Cujus fervore octoginta milites, & centum agricolæ, qvi locum tutati erant, in frusta concisi. Par Andernaci penè fortuna: Qvod, licet tormentis aliqvamdiu concussum, deditionem tamen respuens, & tympanotribam, imperandæ deditionis proximantem, lethali glande, contra militiæ morem, prosternens, defensionem supra vires obstinaverat. Efferati enim hoc facinore Regii, auribus ad oblata postmodùm deditionis obturatis, vi demùm irrupêre, &, qvicqvid in armis occurreret, ferro mactârunt: Incolarum bonis maximam partem militari licentiâ direptis.

Celer Tuitii occupatio pariter & desertio.

Inter hæc Colonienses, simul ac de Baudisii adventu rumor increbesceret, Tuitii vicum è regione Urbis in adversa Rheni ripa situm, magnæ molis ope-

lis operibus ac vallo circumdare cœperant: Id qvod monſtri qvid alere, & novum hoſtem parturire, Baudiſius ominabatur. Aliqvoties ergò literis Colonienſes à cœpto dehortatus, id ſemper reſponſi tulerat: Ad tranſitus Rheni, & navalium molendinorum, qvæ flumen rapidis ſuis undis circumagit, ſecuritatem unicè tendere has munitiones; cui rei Tuitii vicus dono Civitati datus fuerit. Verùm Baudiſio excuſatio hæc eluendæ, qvam fovebat, ſuſpicioni minus viſa: Munimenta enim, qvæ magno niſu excitabantur, majoris eſſe molis, qvàm tranſitus aut molendinorum tutela reqvireret; tantæq; amplitudinis; ut univerſo, qvem Coloniæ Urbs ſub ſignis habebat, milite ad defenſionem haudqvaqvàm contenta, circumjectu ſuo integri Exercitus caperet metaturam. Novo ergò opere diverſis vicibus neqvicqvam verbis nunciato, vim adhibendam ducere Baudiſius, ablectasq; eqvitum ac peditum copias, nec non machinas aliqvot campeſtres ſecum rapiens, Tuitiũ noctu, exiguâ ſuorũ jacturâ, irrumpere: Colonienſi milite, poſtqvàm acriter initio reſtiterat, in Divi Urbani mox ex parte refugo. Ut verò cœlum, vicino jam ſole exalbuit, Colonienſes ex oppoſita ripa tormentis decuſſatim magnâ violentiâ in Tuitium fulminare cœperunt: Qvod, aqvam verſùs omninò apertum, Regios infeſtis palàm exponebat ictibus. Inſuper luſtranti locum munitiones tanti circuitus repertæ: Ut vix ſex millium præſidio ſufficienter defenſum iri viderentur. Qvâ ergò celeritate occupatum ierat Tuitiũ, ſole exorto, viciſſim deſeruit Baudiſius: Nullũ penè inde referens operæ pretium, niſi qvod ducentos circiter Colonienſium milites captivos abduxerit. A Colonienſibus qvoq; Baudiſianorum nonnulli, natione Scoti & Angli, dum, prædæ inhiantes, maturi receptus obliviſcuntur, intercepti, vitâ cladem illatam luerunt. Qvâ occaſione contigit; unum eorum captum, & in Divi Urbani à furibunda plebe, necem intentante, undiq; preſſum, deq; vita ob id deſperantem, pulveri nitrato, qvi in hac æde aſſervabatur, ignem inferre: Cujus impetu ædes, unà cum omnibus, qvi inerant, & qvi propiùs verſabantur, in aerem evibrata; Adeò, ut miſerabilis hic caſus trecentorũ hominum ſtrage Colonienſibus conſtiterit. Apud qvos tamen repentina Tuitii occupatio, & eam è veſtigio ſubſecuta deſertio, contrarium planè ejus, ad qvod expeditio ſuſcepta erat, operabatur: Nec enim ab opere abſterriti, ſed ad maturandum incitati, brevi munitiones cœptas in tantam extulerunt firmitatem; ut pari ſucceſſu denuò eas tentandi ſpes Baudiſio præcideretur.

His autem Regiorum progreſſibus cohibendis non modò inferioris Iſenburgi Comes, ex Hiſpanicis, alteriusve generis, copiis, Exercitum cogebat; ſed Comes qvoq; Gronsfeldius, à Pappenhemio in Thuringiam ac Miſniam tendente, in agro Brunſwicenſi ad Viſurgim cum Legionibus nonnullis relictus, ab Electore Colonienſi verſùs Rhenum, vergente ad finem anno, iter flectere juſſus. *Cæſariani arma contra Baudiſiũ expediut.*

Irruperat hic, ſub Novembris exitum, Haſſiæ confinia, & ad Dimelæ fluminis oram ferro, flammâ, direptionibus atrociter graſſatus, aliis qvoq; & alibi ſitis hujus provinciæ Urbibus, literis incendiariis circumcircà miſſis, tributum imperârat: Ni intra viginti qvatuor horarum ſpatiũ comparentes, de ſumma penſitanda transigerent, dira qvæq; interminatus. Jamq; Fritzlariæ (qvæ in meditullio Haſſiæ ſita, duo totius regionis munitiſſima propugnacula, Caſſellas ac Zigenhemum alterum ab altero disjungit) fixo pede, contributionis jugum exinde toti provinciæ imponere, hibernaq; hîc locorum conſtituere, agitabat: Landgravio, ut conatui ejus maturè præverteret, Regni Sveciæ Cancellarium, ad auxilia properè ſubmittenda, identidem magnâ inſtantiâ urgente. *Gronsfeldius Comes Haſſiam primò irrũpit.*

Sed Baudiſii, qvos commemoravimus, progreſſus propoſitum hoc ejus interpellârunt, & in Paderbornenſis diœceſeos agrum, vel invitum, retraxêre: Inde Colonienſi Epiſcopo ſuppetias ad Rhenum porrò iturum. *Inde ad Rhenum tendit.*

Ubi caſus, notatu haud indignus, eidem obtigit. Parvus etenim Jacobus, centum qvinqvaginta eqvitum *Cladem repentinâ Haſſorũ impreſſione patitur.*

 manu

manu, vestigia abeuntis legebat: Qvi nocte, sextum Iduum Decembris secutâ, mediis Cæsarianorum hospitiis insinuans, unum è pagis, ubi eqves ejus diverterat (Norden appellatum) magnâ audentiâ aggressus, tres per manipulos completas alas, pulsis primo impetu excubitoribus, pari felicitate obtrivit. Eqves, ne arma caperet, præventus, maximam partem in abstrusioribus ædium recessibus se abdiderat, nec facilè inde poterat extrahi: Ignis itaq; pago injectus, multos unà cum latibulis suis absumsit. Inter alios captivos Rumphius, summus vigiliarum Præfectus, & unus eqvitum Magister in potestatem venêre: Eqvi etiam ad centum Hassiacis prædæ cesserunt, & unicum vexillum; reliqvis duobus flammâ pariter haustis. Qvam cladem ut, qvantum in ipso erat, hosti rependeret Gronsfeldius, Zirenbergam, Hassiaci territorii præfecturam, & alia loca Vulcano dedicatum ibat.

In Silesia cum Wratislaviensibus tractatur de recipiendo præsidio.

56. Superest, ut, qvid in Silesia, usq; ad millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi Anni exodium, sit gestum, seu potiùs non gestum, & magno cum intertrimento communis Protestantium causæ omissum fuerit, memoremus: Ubi, hoste Wratislaviæ viciniâ omninò depulso, à fœderatis Protestantibus, de præsidio recipiendo, amicè cum Civitate tractari cœptum erat.

Nec sanè ab initio, militem introducere, adeò fuisset in arduo; modò seriò & unanimi consilio Wratislavienses rem sensissent agi: Jam enim eòusq; erat deventum; ut de præsidii, mox recipiendi, sustentatione intùs deliberaretur. Simul ac verò odorati sunt urbici, Fœderatos non penitùs inter se concordes existere, sed qvemq; suo velificari commodo, simul plus difficultatum injecerunt tractatui: Superbæ, & à multis procis expetitæ sponsæ adinstar; singulos lactantis, & nullius in manum convenire certæ.

Prior à Duwalio, maturando tractatui, via proposita.

Duwalii, regiarum copiarum Præfecti, sententia erat. Tractatum hac ratione moderandum, ut ne in longum nimis protraheretur, sed Fœderati, dum amor in Protestantium partes recens, exacerbatio econtrà & odium in Cæsarem ac Cæsarianos, ex præteritarum calamitatum sensu concepta, ferverent, qvâcunq; ratione desiderii fierent compotes. Re ergò tardiusculè & testudineo gradu procedere visâ, ipse, moræ impatiens, ne nihil agendo tempus frustrà tereret, separatim ad Magistratum Urbis miserat; rotundum, simplex, & nullis limitationibus restrictum responsum postulans: Hostesne se, an, admisso in Urbem præsidio, amicos profiteri mallent?

Qvam Arnhemius improbat.

Sed Arnhemius, Saxoniæ Electoris Campiductor, ægerrimè istud ferens, Duwalii ardorem interventu suo ita attemperatum ibat: Ut, licet Civitas, rigido hoc postulato ab initio perculsa, exigui temporis moram ad deliberandum peteret, postridiè summo mane respondere promittens, luce tamen exortâ, responso, bonâ cum Fœderatorum gratiâ, supersedere posset.

Altera à Duwalio, maturando tractatui, via proposita.

Decreverat, ad hæc, Duwalius, animoq; secum constituerat; Wratislaviam, ambagibus studio qvæsitis moras diu nectentem, vi & armis compellere ad imperata faciendum: Nec de felici & facili consiliorum exitu desperabat. Basilica enim & arenarium cœnobium duabus Urbis portis, Olaviensi ac arenariæ, imminentes velut dominabantur: Tum in vallum qvoq; ipsum Urbis latè hinc despectus; adeò, ut nemo illic durare valeret, præ infestis Regiorum exinde delibratis ictibus. Eapropter binas has portas sine magno negotio occupandi fiduciam conceperat. Qvod si consiliũ istud præceps nimis & periculosæ aleæ judicaret nonnemo, alia tutiora restabant Urbem in potestatem redigendi media. Wratislavienses etenim farinam, qvæ vicenis molaribus rotis ad incolarum usum indies conficiebatur, proximè Fœderatorũ excubitores prætervehere cogebantur in Urbem: Alia mola, qvovis momento, ignis injuriæ ad Fœderatorum nutũ patebat: Olaviæ qvoq; flumen, qvod molendina nonnulla in ipsius Urbis sinu circumagit, levi operâ aversũ, juxta Urbem in Viadrum abduci poterat.

Ut

Ut ita populosam pariter & affluentiæ potiùs qvàm indigentiæ insvetam civium communionem, molituræ ademtione, ad transigendum compellere, in proclivi videretur. Incolas qvoq; ipsos, & delectus à Civitate conscriptos, qvi ad sesqvimille capitum numerum ascendebant, animo in Fœderatorum partes jam antè propensos, levi motu porrò impelli posse, verisimile erat: Paucos si exciperes, Cæsari fortunarum partem non exiguam accepto ferentes, adeóq; adversariæ factioni addictos; Qvos inter Dux Bernstadensis, supremus Silesiæ Gubernator, & duo Civitatis Syndici. His ergò causis permotus Duwalius sibi persvaserat: Haud adeò difficile, ut primo obtutu apparebat, fore; deditionis necessitate Wratislaviensibus impositâ, firmissimum status in Silesia firmandi hac ratione jacere fundamentum.

Sed pariter ab Arnhemio rejecta.

Verumenimverò Arnhemius, qvi primam Duwalii intentionem, intra minaciarum cancellos consistentem, rejecerat, hanc, cum præsentissima vi conjunctam, ut calculo suo comprobaret, multò minùs adduci potuit.

Res tandem qvalicunq; trãsactione deciditur.

Tractatus itaq;, consiliis Duwalii rejectis, per qvatuor hebdomadas magna verborum pompâ extractus, Fœderatorumq; robur maximam partem, nullâ re aliâ memorabili gestâ, ad Wratislaviam immotum hæsit: Qvo temporis intervallo hosti, ad respirandum, viresq; & animos recolligendum, sat spatii datum. Tandem parturientes montes ridiculum protulêre murem; re in transactionem erumpente, qvâ, à Fœderatorem parte, vix qvicqvam ampliùs obtentum, qvàm jam antè possidebatur: Sexcentos, nimirùm, pedites, & centenos eqvites, in Basilicam atq; arenarium cœnobium collocatos, Wratislaviensium sumtibus sustentatum iri.

Dissidia inter Regios & Saxonicos orta

Intereà diffidentia inter Fœderatos, ab occulto, nescio qvo, semine enata, velut herba irrigua succreverat uberrimè: Et indies, cùm ante, tum post initam transactionem, magis magisq; succrescebat.

1. Ex inæqvali hospitiorum distributione.

Ante omnia Regii, in distributione hospitiorum militarium insignitè se defraudatos, qverebantur. Universi enim solo Lignicensi Ducatu, & satrapiâ Drachenbergensi contenti vivere jussi; qvorum, veteri, his oris receptâ, census ratione, ad sexcenties mille Joachimicorum æstimatio: Arnhemio nil qvicqvam pensi habente, Ducatum hunc à Cæsarianis primò, mox ipsius Electoris Saxoniæ Exercitu, nunc antrorsùm, nunc vorsùm euntibus, validè afflictum, & incommodis, qvæ eunti Exercitui, maximè si militaris disciplinæ frenum paulò laxiùs habeatur, comitari solent, vexatum; cumprimis nuperâ ad Stenoam expeditione, tam Cæsaris, qvàm Fœderatorum copiis obrutum, omniq; penè habentiâ exhaustum, & tantùm non ad incitas redactum. Reliqvam ferè totam Silesiam sibi & suis asseruerat Arnhemius: Inter alia, unicæ Clitzingii, generalis vigiliarum Præfecti apud Saxones, pedestri Legioni integrum Glogoviensis Ducatus agrũ, qvi nongentis Joachimicorum millibus censetur, assignans.

2. Callidâ Brandenburgicorum à Regiis distractione.

Secundò, non mediocrem Regiis bilem movit, suspicandiq; sinistrè de Arnhemio occasionem dedit: Qvod Kötteritzium Tribunum, & Brandenburgicum militem, qvos tamen Sigismundus, Marchio, Electoris vices gerens, ejusdem Electoris nomine, Duwalii, regii Præfecti, imperio parere jusserat, singulari astutiâ à Regiis divulsos, sibi redderet obnoxios. Nam Arnhemius propriâ manu hospitiorum distributionem delineaverat, cujus vi Satrapia Militschiana Regiis obveniret; Et Duwalius, non mutatum iri, opinatus, Satrapiam milite suo jam insederat. Vix autem hoc factum, qvandò Arnhemius Kötteritzio eandem attribuit. Hac ratione ille cum hoc commissus, &, qvod nec Duwalius, aliàs mirâ hospitiorum angustiâ pressus, possessione Satrapiæ, qvam occupârat, cedere posset, nec Kötteritzius jure, Arnhemii arbitratu adepto, cedere vellet, sed præfractè ei insisteret, rixa vehemens inter illos suborta: Qvæ, parũ abfuit, qvin in nervũ erumperet. Certe Kötteritzius, hoc prætextu motus, Duwalii imperio se omninò subtra-

trahebat: Atrocibus, famamq; sauciantibus, scriptis insuper in eum debacchatus. Nec postmodùm qvicqvam ferè profectum Marchionis Sigismundi literis, ad Conradum Borgstorffium, post reversionem à Rege Sveciæ, in Silesiam, rebus illìc ordinandis,missum: Qvibus cohibere Kotteritzium, ne tale qvippiam attentare animum induceret,illi injungebatur.

3. Malè servatâ disciplinâ militari.

Ulteriùs, qvod Exercitus Fœderatorum diversis Imperatoribus regerentur, ad eundem forsan scopum haud pariter collineantibus, singuli autem nil crebrius in ore ferrent,qvàm copiis, cuiq; à Domino suo concreditis, de victu necessario providendum; non suo sibi militem succo, cochlearum instar, vivere posse, aut manibus, pedibusq; vesci; nec vitio vertendum, si de alimentis qvâcunq; sibimet ratione prospiciat: Hinc alteri alterius hospicium invadere, diripere, exactionibus violentis vexare; incolas, intolerandis injuriis affectos, laribus suis pellere; templa, sacrorumq; adyta effringere,deprædari; illustrium,nobilium, aliarum personarum scrutari & despoliare monumenta; nec ipsis, qvi eandem Religionem profitebantur, verbi divini Ministris parcere; totamq; adeò provinciam inundare eluvione nefandorum facinorum. Auctores verò flagitiorum aut ignorari, aut impunè ferre: Unoqvoq; expatratorum flagitiorum labem in diversi imperii militem amoliente; & Saxonicis Regios, his Saxonicos mutuâ criminatione incusantibus. Ita Silesiis, qvi Fœderatorum, ut Religionis necessitudine devinctorum, Exercitum festis vocibus exceperant,nil nisi miseriam, qvàm his accepto ferebant,deplorare relictum: Et ut spei, ex illius adventu efflorescentis, amœnitas animos mirum in modum recreârat, ita fructuum, inde enatorum, amaror intolerabilis erat; remediaq; morbo ipso perniciosiora. Qværebant sanè Regii huic malo ab nova hospitiorum distributione medicinam; & qvia Silesia à Viadro, mediam intersecante,in duas partes dirimitur, qvæ Poloniam contingit, sibi solis assignari,postulabant: Ita, separatis flumine à Saxonicis, confusionem, qvæ ex mixtione hospitiorum præcipuè proveniebat, sublatum, & militarem disciplinam restauratum iri, arbitrantes. Verum aliqvantò pingvior hic bolus Arnhemio, qvàm ut Regiis illum gratificaretur, visus.

4. Regiorũ, qvod in arenario ad Wratislaviam cœnobio, & Glogoviæ servabat,præsidio.

Porrò Arnhemius Duwalium identidem interpellare: Ut, Regiorum præsidio, ex arenario ad Wratislaviam cœnobio, & majore Glogoviâ abducto, loca hæc solis Saxonicis possidenda relinqverentur. Utrumq; sanè hac ratione in medium allatâ: Qvod Wratislaviensis & Glogoviensis Ducatuum territoria,in qvibus sita, Saxonicis in distributione hospitiorum obvenissent: Ultimum verò locum syngraphæ insuper obtentu; Qvam,dum regium præsidium Glogoviæ initio reciperetur, ab Arnhemio conceptam,& Duwalio ad subscribendum propositam fuisse, suprà memoravimus. Expeditionem enim, tunc temporis instantem,jam dudùm finem sortitam: Nec Arnhemium conjunctionem cum Regiis necessariam ampliùs arbitrari. Econtra Regii nisi cum præsentissima status, qvem in Silesia nuper formârant, teneri adhuc nec satis solidati,eversione his Arnhemii postulatis assentiri haud poterant. A præsidio namq;, propè Wratislaviam in arenario cœnobio excubante, unicè dependere cum hac Civitate communicatio; & ab hac communicatione potissimum Silesiacarum rerum fundamentum: Glogovia autem major aditus,& velut janua in Silesiam esse; qvâ è manibus dimissâ,Regiis, premente forsan postmodùm hoste, tutus præcluderetur receptus. Et de Glogovia qvidem vehementissimum omnium litigium fuit, acerrimaq; verbis-velitatio: Eòusq; exardescens, ut Arnhemius, si bona verba nil proficerent, vim & arma se adhibiturum, minitabundus denunciaret. Nec id tamen flexit Duwalium; qvin, excusatione usus, Regis, ad qvem de negotio retulerat, responsum, qvòcunq; tandem res caderet, sibi opperiundum præferret. Qvapropter Arnhemius, ut jactaverat, Regiis & Brandenburgicis, in Glogoviæ Urbe servantibus, militem nonnullum paulò post, ingratiis ipsorum, obtrusit. Ulteriùs, ad Regios arenario cœnobio eliminandos,

futelis

ſutelis & artificiis, qvàm vi ac minaciis ſibi utendum cenſebat Arnhemius. Wratiſlavienſes enim, ut ſuprà indicatum, certum, qvi in Baſilica, aut arenario cœnobio aſſiduè præſidio futurus erat, militum ſuſtentare numerum receperant: Nec pacto fuerat expresſum; cujus generis foret miles? Regiusne, an Saxonicus; an ex utroq; mixtus? Arnhemius ergò, datis ad Wratiſlavienſes literis, ſub Tribuno Trandorffio, cum qvatuor Saxonicis cohortibus Baſilicam tutanti, ſoli, qvod vi conventionis obſtringebantur, pendere juſſit: Regios enim, in arenario cœnobio commorantes, è Lignicenſi Ducatu, terrâ hoſpitio iis aſſignatâ, de alimentis ſibi proſpecturos. Hac ratione victus inopiâ, præſidio ſponte ſuâ excedere, coactum iri autumans. Verùm, fruſtrà hic ſe eſſe ſentiens, aſtutiarum ſuarum celocem aliò contulit. Falſi enim, de hoſtium adventu rumoris prætextu, qvaſi omnibus viribus in eum moturus, ad Duwalium qvoq; literas dabat: *Omnes, tum veteranas, tum noviter conſcriptorum eqvitum, peditumve copias, & dracones qvoqve ſuos, ne momenti qvidem morâ interpoſitâ, ad Lignicii Urbem contrahi* poſtulans; & *qvia ipſemet Baſilicâ, propè Wratislaviam, præſidium qvoqve ſuum educere decreviſſet, nùm de arenario cœnobio idem Duwalio videretur*, in ejus relinqvens arbitrio. Sed ne hæc qvidem machina ex ſententia cedere. Mirum enim Regiis videri, nec rationi bellorum gerendorum conſentaneum, ſed abſonum planè: Etiamſi in hoſtem movendum veniret, totam ob id provinciam, & opportuna tot loca, non ſine multo ſangvinis, ſumtuumve impendio parta, ſubitò uno velut momento deſeri, atq; omni præſidio denudari; ab hoſte mox iterùm occupanda. Qvin potiùs ſuſpicionis ob id impleri: Arnhemium arenario cœnobio, cui inhiare hominem noverant, iſthac viâ callidè inſidiari; ut, ſimul ac ſtatione hac ſuâ exceſſiſſent, locum vacuum inſeſſum iret. Subſtitêre ergò ad hæc literarum tentamenta immoti, in dicto cœnobio: Unde Saxo qvoq; miles, ceu ſpe, qvam de arenario cœnobio forſan conceperat, lapſus, abitu intermiſſo, Baſilicâ ſe neqvaqvam movere compertus.

Demùm acceſſêre Arnhemii mirabiles, in qvos ſubindè erumpebat, ſermones ac actiones: Unde dubium reddebatur; Cæſaris (qvem bello tamen impetebat) hoſtisne eſſet, an amicus? Et qvid Regii de eo ſibi polliceri haberent? Nec paucorum ſanè ad hunc ſcopulum promtitudo, ne Fœderatorum partibus palàm ſe conſociarent, obhæſit. Nam tractatui, cum Wratiſlavienſibus inſtituto, remoram ipſe injecerat, clam iis inſuſurrando: *Cautè procedendum, nec fortunæ, Fœderatorum partibus aſpiranti, nimiùm fidendum.* Durante etiam tractatu, Wingerskius & Mörderus, Cæſarianarum partium Tribuni, qvi Wratislaviæ tunc temporis verſabantur, Arnhemium ſæpiùs convenire, & magno cum Regiorum ſcandalo, clandeſtina miſcere cum eo colloqvia viſi. Invadentibus Sileſiam Fœderatis, multa, in Cæſarianorum vectigalium & aliorum redituum præjudicium, tentari fuerant cœpta: Id qvod Henricus Wenceslaus, Dux Munſterbergenſis, ſupremæ Præfecturæ Adminiſtrator, ad Arnhemium qveribundus detulerat; ut hæc talia intermitterentur, enixè contendens. Cui Arnhemius, ad Wratiſlaviam, in Swenitzienſi prato, omnium primò, & deinceps aliqvoties ore tenùs, nec non ſcripto qvoq;, mentem ſuam intentionemq; aperuit: Nimirùm, *non Electorem Saxoniæ, non ejusdem Exercitui, aut aliis, in Sileſia commorantibus, Fœderatorum copiis, qvicqvam innovare aut immutare propoſitum; ſed omnia in priſtino ſtatu relictum, nec ullum, hoc nomine, moleſtiâ affectum iri.* Præterea palam jactare haud verebatur: *Exercitum Fœderatorum minimè gentium in Sileſiam veniſſe, ut provincia Cæſaris obedientiæ ſubtraheretur.* Item. *Cæſarem, ut mitis, ita candidi & ſinceri animi Principem, nil ardentiùs anhelare, ac Pacem.* Id qvoq; in confeſſo: Cæſarianos favore ubivis proſecutum, &, libero Wratiſlaviam ac aliorſùm commeatu indulto, impenſè iis gratificatum. Cujus indulgentiæ ſi non alius, hic certè perniciosus fructus exſtitit: Qvod cum complicibus ſuis tutò literas commutare, internuncios hinc inde mittere, recu-

las &

5. Qvamplurimis Arnhemii inſolentibus, & alioris indaginis, actionibus, ſermonibusve.

las & mobilia sua, inter qvæ arma qvoq; & bellica instrumenta reperta, avehere, munitionum situm contemplari, animos hominum magnificorum promissorum pellaciâ, & diversis varii generis artibus attrahere, aliave qvamplurima machinari licuerit; ad qvæ feliciter tentanda aditus illis fuisset præclusus, siqvidem habiti essent, ut hostes haberi par est. Hinc à Fridlandiæ Duce seqventia, altioris indaginis, verba audita, feruntur: *Cæsaris res in Silesia extra periculi aleam constitutas; qvippe Arnhemium, qvi clavum expeditionis bellicæ illic moderetur, optimè in Cæsarem animatum.* Similiter Comes Opperstorffius, qvi Cæsaris nomine Ducatui Glogoviensi præfuerat, jactâsse scribitur: *Arnhemium, Cæsarianorum amicum, parum damni iis illaturum.* Qvinimò rumor increbuit: Arnhemio à Cæsare & Fridlandio Ducatus conseqvendi spem factam: Unde homini, majora jam animo præcipienti, Regis Sveciæ munificentia eò contemtibilior visa fuerit; per Comitem Brandensteniûm Comitatum, cum annexa parili dignitate, offerentis. Id certè liqvidò constat, fide dignorum indicio: Elapso proximè anno, octogies mille Joachimicos à Barone Donavio eidem exsolutos; sub reliqvorum, qvæ expeditionis in Borussiam deberi obtendebantur, colore.

Hæc dissidia, inter Regios & Saxonicos exorta, Fœderatorum Exercitui magno fuêre obstaculo: Qvo in medio victoriarum cursu sufflaminatus, destinatum scopum, communi Protestantium bono, asseqvi haud potuit. Utut enim Arnhemius militem per Silesiam aliqvantulùm explicaret, hostem tamen, jam penè fractum, perseqvi destitit: Qvi, eo metu solutus, ad animos recolligendos, viresq;, novis copiis undiq; accersitis, instaurandas, sat temporis & otii nactus est. Unde civili pariter ac militari prudentiâ subactis, rerum momenta accuratiùs pensitantibus, haud injuriâ metus incessit: Fœderatorum arma è victoriarum culmine, ut repentè sublimata erant, repentè revolutum iri; haud absimili, qvo non ita pridem in Bohemia Saxonicorum spes, ab initio felici successu efflorescens, mox exaruerat, eventu.

Nihil horum litigiorum, qvæ in Silesia Regios cum Saxonicis commiserant, Regi Sveciæ ignotum; Duwalii qvoq; condicio ac qvalitates satis perspectæ: Nempe, pilo, qvàm stylo tractando magis accommodum; & strenuum qvidem ac imperterriti animi militem, sed perturbato ejusmodi, & multis difficultatibus implexo statui, inter hos Ulysses, gubernando vix parem. Haud abs re igitur visum, certum eò mitti hominem; qvi, rerum civilium, atq; à statu dependentium curâ susceptâ, laborantem sub harum mole Duwalium parte sollicitudinis exoneraret. Et sanè succollaverat hoc onus Joachimus Transche Consiliarius Regis aulicus, qvem Berolini ad aulam electoralem, negotiis suis illìc expediendis, reliqverat; Bielckii, Regii in Pomerania Legati, arbitrio eò profectus: Verum hic à loco, ad qvem continuè Residentis nomine ordinatus erat, diutiùs abesse, Duwalioq; individuus comes adhærere, non poterat. Andream ergò Cochtitzkium juniorem, Baronem, ut indigenam, magnæ in Silesia necessitudinis, & multarum clientelarum, Rex ad hanc functionem eligens, qvinto Calendarum Octobris, amplissimis mandatis instructum, regii ad Silesios Legati titulo, missum iit. *Baro Cochtitzkius à Rege in Silesiam mittitur.*

Hic primo Calendarum Novembris in Silesiam venit: Qvo ipso die hostis regiarum partium sub Tribunum, Benckendorffium, cum eqvite, noviter conscripto, Braunæ, tribus à Glatzio milliaribus, hospitantem, vi aggressus, ad id necessitatis redegit: Ut, relictis impedimentis, armis, eqvis, abitionem pacisceretur. Non sine acri Regiorum sensu & in Arnhemium morsu: Locum hunc proximè hostem, eòq; periculosissimum, non ut conservarentur, sed dissiparentur & pessum irent, diribitorii nomine, suis assignâsse, murmurantium. *Regii Braunæ cladis qvid patiuntur.*

Interim Elector Saxoniæ, ab hoste in suo undiq; pressus, & in maximas redactus angustias, Arnhemium per cubicularium, cum literis eapropter expressè ablegatum, Silesiâ in continenti relictâ, ad propria defendendum, cum Exercitu reverti, imperaverat. Qvi id ab illo responsi retulit. *Arnhemius, in Misniam ab Electore avocatus, imperio haud paret.*

Qvia

Qvia de Fridlandio à Rege Sveciæ in fugam acto & profligato rumor increbuerit, haud necessarium ampliùs videri; ut cum Exercitu in Electoris provincias, magnâ earundem molestiâ, regrediatur: Qvin potiùs, pulsis omninò Silesiâ hostibus, per latissimum ejus agrum copias hiematum explicare, id verò longè consultius. Hoc responso accepto, Elector, per eundem cubicularium citatis eqvis secundâ vice remissum, mandata priora mox iterabat, impensè ab Arnhemio postulans; iter in Misniam cum Exercitu, omnibus rebus aliis posthabitis, maturaret: Datisq; simul ad Ulricum, Holsatiæ Ducem, & alios Tribunos singulos singularibus literis, siqvidē Arnhemius diutius tergiversaretur, qvēq;, suâ Legione assumtâ, eò tendere jubens. Sed Arnhemius, Senatu militari habito, rationes ac causas reperit; cur Domino, è Silesia in Misniam redire imperitanti, parere haud obstrictus foret. Demùm, ne omnem exueret obedientiam, qvinto Calendarum Novembris, ipsemet ad Electorem Saxoniæ venit Dresdam, duo circiter ablectorum sclopetariorum millia secum trahens. Unde postridiè Torgam, Regios, qvos Georgius, Dux Luneburgensis, adduxerat, lustratum profectus, pridiè Calendarum Dresdam & inde in Silesiam statim retrò iit: Severis ab Electore acceptis mandatis, de Exercitu è Silesiæ finibus in Misniam qvamprimùm abducendo. Id qvod ipsum tamen interventu sangvinolenti ad Lutzenam conflictus, & victoriæ illìc partæ nuncio allato, intermissum.

Colloqvium inter Cochtitzkium & Arnhemium.

Baro Cochtitzkius, perturbatas, ac variis diffidentiæ, dissidiorumq; tricis involutas Fœderatorum res in Silesia offendens, nihil antiqvius habuit; qvàm explicare se suosq;, & omnes pariter Fœderatorum his difficultatibus: Cui rei nulla expeditior visa via, ac in colloqvium cum Arnhemio convenire, & de liticulis sopiendis, Fœderatorumq; simul Exercitu, qvi in Silesia commorabatur, simul ipsâ provinciâ ab interitu conservandis, in commune deliberare. Dies colloqvio tertius Iduum Novembris Hanæ dictus: Comparente à Regiorum partibus dicto Cochtitzkio; qvem Joachimus Transehe, Regis ad Brandenburgici Electoris aulam, ordinarii Residentis nomine, minister, id temporis in Silesia adhuc præsens, comitabatur: Duwalius enim, corporis invaletudine præpeditus, conventui interesse non potuerat.

Duplici autem is præcipuè disceptatione transactus. Prior fuit, de regio præsidio Glogoviâ majore eximendo; qvod Arnhemius urgebat: Altera, de pristina hospitiorum distributione, qvâ Regii se defraudatos qverebantur, eiq; rei adhiberi flagitabant remedium, retractandâ.

Qvod ad priorem articulum, Arnhemius firmiter in postulato suo perstitit, multa de Duwalio conqvestus; qvod syngrapham suam habuisset insuper: Cujus vi, expeditione Stenoensi ad finem perductâ, & Arnhemio conjunctionem cum Regiis haud ampliùs necessariam judicante, militem regium Glogoviâ iterùm educere debuerat. *Utut enim manus suæ subscriptione eam haud firmâsset, assensum tamen præbuisse, & de subscribendo dedisse fidem: Nec minùs verbis & promissò hoc, qvàm manus subscriptione ad servandum, qvod convenerat, obstringi.* Ad hæc Legatus Regius. *Haud qvidem satis sibi liqvere, qvousqve Duwalius fidem hic suam, Arnhemii postulatis assentiendo, obligasset: Qvia nihilominùs syngrapham subscribere recusârit, ad id, qvod, ut imperfecta, nec ullatenùs consummata, præ se ferat, neutiqvam teneri. Recusandi etiam causas procul dubio habuisse, ac forsan syngrapham diversimodè conceptam, aliisve verbis aut clausulis insertis; qvàm in qvæ assensum præbuerit. Verùm, utut, alicujus momenti esse, concedatur, haud tamen adduci Legatum, ut eam tunc credat fuisse convenientium mentem, in qvam verba nunc detorqveantur ab Arnhemio: Nempè, conjunctionem solummodò tendere ad hostem Stenoâ depellendum. Qvinimò loqvi potiùs de expeditione in Silesiam communibus viribus suscipiendâ pariter ac terminandâ: A qvo scopo longissimo adhuc intervallo distent Fœderati. Porrò meliora de Arnhemio sibi polliceri; ut conjunctionem armorū haud ampliùs neces-*

necessariam arbitraturus sit: Qvippe hostem non modò non penitùs oppressum, sed, resumtis à casu viribus, novam indies impressionem Fœderatis minari. His tamen rationibus non obstantibus Arnhemius constanter in eo permansit. *Nec armorum conjunctionem alio fine, qvam hosti Stenoâ depellendo, institutam; nec, illo peracto, ampliùs judicasse necessariam: Hinc jam ad Wratislaviam suas à Regiis sejunxisse vires.* Summatim Arnhemius, & imaginari sibi, & aliis persvadere velle videbatur. Exercitum suum principem esse in hac expeditione Silesiaca, Regios verò pro auxiliariis subsidiis tantùm, & velut accessione habendos; qvas, aut retinere pro lubitu, aut dimittere ipsi fas esset: Regiis id pernegantibus, & æqvo se jure in societatem cum Saxonicis coiisse, contendentibus.

In secunda disceptationis parte excusatione Arnhemius utebatur, asserens. *Secundùm proportionem virium Duwalii debitam habuisse rationem, tantumq; attribuisse, hospitiorum nomine, terrarum tractum, qvi qvater mille militibus commodè explicandus sufficeret; etsi tot copias in Silesiam secum haud adduxisset; Ducatum, scilicet, Lignicensem, & Drachenbergensem Satrapiam: E qvibus veteranus ejus miles alimenta largiter habere potuisset. Verùm illum ipsummet, novis militum delectibus præcipiti consilio & immoderatiùs institutis, veteranum militem defraudasse commodè vivendi mediis, & ad id redegisse angustiarum; ut pejoris fuerit condicionis, ac Saxonicus: Cui tamen, in hoste profligando, paria præstiterit.* Regessêre ad hæc Regii. *Duwalium non minùs à Rege, ac Arnhemius ab Electore forsan habuerit, habuisse mandata, de Exercitu novis delectibus, qvantum potè, augendo: Non minùs ergò eidem de diribitoriis, ubi noviter conscriptus miles coiret, fuisse prospiciendum.* Hic Arnhemius, ullos novos delectus à se actos, inficias ire, &, utut de eo mandatum habuerit, attamen, qvia provincia sufferendo oneri pàr minimè foret, intermissos, magnâ confidentiâ asseverare: Sed exemplis, ante oculos obversantibus, falsitatis à Regiis mox argui, & ut sæpiùs, ita in hoc ipso adhuc congressu, Hanæ, diplomata militum collectiva distribuisse nonnullis conqvisitoribus, convinci. Verumenimverò dissidii hujus componendi viam commodam reperisse, Regii sibi visi, censentes: *Omnium trium Fœderatorum nomine Principum & Ordinum Silesiæ conventum indicendum, eorumq; arbitrio Exercitus sustentationem, & distributionem hospitiorum committendas. Singulari enim Principes ac Ordines ad id jam anteà ferri desiderio, nec parum mirari: Qvî fieret, qvod Fœderati, à tanto jam tempore in Silesiæ umbilico versantes, non adhucdum de Dominorum suorum proposito ullatenùs illos fecissent certiores?* Et hoc qvidem Regiorum consilium: Sed Arnhemio refragante & clamitante: *Nihil ab Electore eâ de re habere in mandatis; qvinimò nullam certam habere intentionem, aut scopum, qvò actiones suas dirigeret. Siqvidem Regii soli propriâ auctoritate conventum ejusmodi indicere vellent, id ipsis sanè licere: Se verò, nomine Domini sui, solenniter contrà protestari, & dehortaturum inde Ordines, nullumq; non, qvò res sufflaminaretur, moturum lapidem.*

Inter hæc Arnhemio, incalescentis animi fervore è dissimulationis limitibus longiùs provecto, excidêre aliqvammulta insolentia, altioris indaginis, & periculosæ seqvelæ verba: Qvæ Regii Legati animum adeò acriter penetrârunt; ut colloqvium non, qvi intendebatur, scopum contigerit, sed contrarium planè, nec exstinxerit enatam diffidentiam, sed multimodis auxerit. — *Colloqvii infelix eventus.*

Unde Legatus regius, de colloqvio hoc ad Regem, cujus mors nondum ipsi comperta erat, summatim referens, *Arnhemium communi Protestantium causæ in Silesia insigni obstaculo* judicabat, &, *firmandis illic rebus, omninò necessarium* arbitrabatur. *Aut eò rem deduci, ut avocaretur: Aut regium Exercitum, submissis novis copiis, parem robore militum reddi Saxonico, ejusq; condicionis huic præfici Imperatorem; cui, ut dignitate & auctoritate præstantiori, Arnhemius, nec in militari imperio, nec ullâ civili functione, prærogativæ controversiam movere auderet.* — *Cochtitzkii de Silesiaci belli statu judicium.*

Vix Hanâ discessum fuerat, qvandò de Regis obitu cognitum. Qvo audito, Arnhemius Wratislaviensium — *Arnhemii in Silesia à morte Regis molimina.*

animos

animos denuò, licet frustrà, tentare aggrediebatur: Num ad recipiendum utriusq; Electoris militem (salvâ tamen, qvâ Cæsari obstringerentur, fide) induci possent? A qvo tractatu Baro Cochtitzkius, & Regii planissimè exclusi: Regis enim morte mandata eorum exspirâsse, passim jactabatur. Ita Arnhemius, depositâ dissimulationis, qvâ Rege vivente se obtexerat, larvâ, palàm fecit: In ruinosum & caducum Regios verè inclinare parietem, si in ipso fiduciam collocarent.

Et hæc dissidia sunt, inter Regios, Arnhemiumq; in Silesiaca expeditione suborta: Qvæ Protestantium armis insignem ab hac parte injecerunt remoram; ne, qvâ currere cœperant, ad propositam metam decurrerent, felicitate. Vulgò autem ignorata, & paucissimis nota à prima eorundem scaturigine particulatim deducere, paulòq; accuratiùs enucleare, operæ pretium duximus; ut benevolo Lectori innotescat: Qvid causæ fuerit; cur fortuna Fœderatorum Exercitum, cui, plenis velis in Silesiam invecto, secundâ aurâ mirum, qvantum aspirare videbatur, in medio victoriarum cursu destituerit? Ita ut, licet, Cæsarianis primo impetu pulsis ac profligatis, Fridlandiæ autem Duce à Rege in superiori Germania distento, certa ulteriorum progressuum spes affulgeret, immotus tamē, instar corbitæ in tranqvillo mari, hospitiis, qvæ semel inhæserat, sederit; cunctandoq; ac otiādo tempus terens, à primis mensis Septēbris incunabulis, ad decurrentis anni finē, nil ferè qvicqvam memoratu dignū adversùs hostē, aut gesserit, aut gerere attentaverit.

Cæsariani Nisiam, & alia loca recuperāt.

Qvo ejus torpore hostis, non modò animos, viresq; recolligendi tempus abundè nactus, sed eò qvoq; audaciæ evectus est: Ut, qvi ad Fœderatorum aspectum paulò ante contremuerat, mox desides ultrò impetere, & inferendorum armorum aleam tentare, haud reformidaret. Id qvod Munsterberga, Franckenstenum, Reichenbaccum, complura alia loca, qvinimò ipsa Nissa, mense Novembri collusione & ope civium Saxonicis extorta, liqvidò testantur.

Fœderati se movēt.

Excitati hoc eorum ausu è somno Saxonici, subitò ad recuperandam Nissam advolabant: Duwalium, ut socias vires in hostem jungeret, implorantes. Neq; illis deerat: Post loca, qvæ Viadro incumbunt, commodiora sufficienti præsidio firmata, ducto huc qvamprimùm reliqvò Exercitu.

ubi Duwalius à Saxonicis deseritur.

Qvò simul ac venit, ad integra duo milliaria à Nissa, & Saxonum stativis divertere primùm, mox subitò, vasis conclamatis, itineri iterum se accingere, & Saxonicos seqvi jussus est. Dum autem seriùs id denunciatur, & propter diffusum hospitiorum positum milite cōtrahendo tempus elabitur, aurora, fugatâ noctis caligine, deprehendit ad Saxonicorū stativa properantem: Ubi tamen neutiqvàm hos ampliùs, qvi, ejus adventu minimè exspectato, retrorsùm versùm ierant, sed hostem, validâ manu ante se stantem, reperit. Non tamen aut audacia ipsum deseruit, aut audaciàm ejus hac vice fortuna: Primùm enim in hostem versus, eo ad Urbem pulso, de receptu dein cogitare cœpit. Nec tutior aut brevior aliorsùm occurrebat, qvàm Oppelium ad Viadrum: Qvò, sine mora, iter dirigens, incolumi Exercitu & vasis salvis, hoste neqvicqvam terga assultante, pervenit.

Non potuit autem non insolens iste bellandi pariter ac se recipiendi Saxonicorum modus diffidentiam, inter hos Regiosve inortam, augere, oleumq; igni (qvod ajunt) addere.

Nova inter Regios & Saxonicos transactio.

Circa anni nihilominùs jamjam exspirantis finem, qvandò Franciscus Albertus, Saxoniæ inferioris Dux, Campiductoris titulo (Arnhemius enim ad generalis Legati apicem sublimatus ab Electore fuerat) in Silesiam missus, advenit, cum novo imperio nova componendorum dissidiorum spes se exserere visa. Franciscus enim Albertus, Regios in distributione hospitiorum manifestò defraudatos cernens, ad remedium, ultrò antehac, sed neqvicqvam, ab his oblatum, animum appulit; certâ transactionis formulâ conceptâ, *Regiis Silesiæ tractum, qvi trans Viadrum Poloniam respicit, relinqvere assensus, Saxonicis verò alteram provinciæ partem cis flumen, Bohemiæ & Lusatiæ contiguam, reservans: Utriusq; Exercitus hospitiis Viadro, velut naturali limite, disterminatis, qvantoscunqve cōjunctis viribus ab utraq; ripa facere possent progressus.*

Provisum tamen: *Ut, qvæ una alterave pars, cis aut ultra Viadrum, ex priori hospitiorum distributione haberet reliqva, nondum exsoluta, pro rata temporis exigere, liberum cuiqve foret.* Cautū qvoq;, *de locis ad Viadrum sitis, fluviiq; transitu opportunis, qvæ aut jam occupata essent, aut occuparentur imposterùm, secundùm primam cum Arnhemio conventionem initam, utriusq; Exercitus milite simul firmandis; & Saxonicis, qvi contra pacta conventa Glogoviæ majori nuper immissi erant, inde educendis, seu in Basilicam transferendis; re qvoqve tormentariâ ac tormentis, si qvæ hosti eriperentur, inter utrumqve Exercitum, servatâ tamen decenti secundùm cujusqve vires proportione, dividendis.* Ultimò, sanctissimè interpositâ fide, mutuo nexu se devinxerunt. *Fideliter invicem subsidio venturos; fortunisq;, sangvine, vitâ insuper habitis, eandem subituros fortunam; si etiam in hostem, seu cis, seu ultra Viadrū, eundum esset, parem utriusqve Exercitus, nec, aut in hospitiorum distributione, aut ullo aliàs modo, alterutrius potiorem fore condicionem: Summum deniqve Senatum bellicū è primoribus utriusqve Exercitus Ducibus mixtim constitutum iri, nec Saxoniæ Ducem universis viribus conjunctim in hostem qvicqvam tentaturum; nisi communicatis cum regio Legato, si præsens adesset, aut summo regiæ militiæ Præfecto, consiliis, & impetrato prævio eorum assensu.*

Saxoniæ inferioris Ducis mādatum, de instauranda militari disciplina.

Transactionem subsecutum Edictum, à Duce Francisco Alberto, militaris disciplinæ, qvæ jam penè collapsa erat, instaurandæ, tertio Calendarum Januarii publicatum: Qvo Tribunis & aliis militiæ Ducibus, cuiq; in hospitio sibi assignato, *enormi militum licentiæ, atqve excessibus inexcusabilibus haudqvaqvam connivere, sed pœnâ potiùs vindice ea perseqvi, & incolas ab exactionum, oppressionumve injuria liberare ac tueri*, imperabat. Insuper, *si qvi reperirentur ejus farinæ & ex hac nebulonum colluvie, qvi nullo à Tribunis aut subTribunis suis commeatu muniti, nec causæ cujusqvam obtentum habentes, cur huc, illuc eant, aut hic, illic divertant, per provincias vagabundi, incolas concutiendo, expilando, verberibus afficiendo, aut vi deprædando, vexare solent, manum his injicere, &, debitæ pœnæ ab iis sumendæ, ad supremum militiæ Imperatorem comprehensos deducere, aut renitentibus, & vi resistentibus, vim similiter adhibere, imò arma obstinantes impunè trucidare*, incolis indultum.

Utrumq; effectu carens.

Et sanè potuerat diffidentia, qvæ Regios & Saxonicos perniciabili æmulatione commiserat, suprà adductâ transactione aliqvid remedii, ut & Silesia hoc Edicto aliqvid sensisse levaminis. Sed transactio utriusq; partis subscriptione, consummata haud est; tantum aberat, ut re ipsâ effectum sortiretur: Qvo ipso, qvi ex Edicto superabatur, fructus qvoq;, confusione hospitiorum, ut potissimâ mali causâ neutiqvam sublatâ, penissimè intercidit.

57. Ut verò jam deniq; ex longa ambage, qvâ per Germaniam hinc inde excurrimus, in Misniam revertamur, ac sangvinolentæ funestæq; ad Lutzenam aciei describendæ stylum admoveamus, Rex Sveciæ, comperto, hostem Weissenfelsâ movisse, eundem secutus, paulò à meridie illò appulit: Ubi Centurio, cum sclopetariis centum, à Fridlandiæ Duce, ad terga recedenti Exercitui tuta præstandum, relictus, hucusq; servaverat: Jamq; in eo erat, ut & ipse recederet; à Coloredo Tribuno, qvem Fridlandius hanc in rem cum Croatis illuc retrò ablegârat, in tutum deducendus: Qvandò regii præcursores apparuêre. In qvos selecta expeditissimorū eqvitum manus ab hoste speculatum emissa, & curriculo regressa, Regem cum universo Exercitu approperare, nec procul abesse, retulit.

Velitationes ad Weissenfelsam.

Coloredus ergò, sclopetariis grandibus gradibus versùs suos se recipere jussis, ipse cum eqvitatu subseqvebatur. Nec adeò celeriter tamen id fieri potuit; qvin Regii vestigia recedentium acriter premerent, & unam Croatarum alam, circumventam, ad internecionem penè cæderent: Vexillo, qvod ab altero latere Romani Imperii aqvilam, Fortunam auro intextam ab altero præferebat, potiti. Nonnulli ex his capti: Qvorum indicio, Pappenhemium cum aliqvot Legionibus in diversa abiisse, Regi cognitum. Diminuto itaq; per tot pugnatorum decess-

decesſum hoſtili Exercitu, Ducem Luñenburgenſem haud diutius exſpectandum ratus, rectà in hoſtem citato gradu ducere, & priusqvàm Pappenhemius revocatus rediret, acie decernere, animo ſecum conſtituit.

Et Rippacum.

Fridlandius, Regis adventu inaudito, ponè Rippacum, pagum, in aciem Exercitum direxerat: Ubi à ſelectis, hinc inde, turmis, maximè circa ponticulum, qvi intercedebat, acerrimè velitatum, legionariisq; machinis propiùs adductis, inſtanti certamini à Rege proluſum: Qvoad nox, tenebrarum ſuarum interventu, iras & arma miſceri prohiberet. Stetit nihilominùs uterq; Exercitus perpetem noctem, acie inſtructâ, in procinctu, ad prælium paratus. Et Rex qvidem aliqvot ante ſolis ortum horis totâ hoſtem virium mole adoriri decreverat; Sed ſpisſa nebula, nocte jamjam decedente, campum caligine ſuâ involvens, cœlum eidem, & unà penè hoſtem eripuit, lucisq; propinqvæ opperiundæ impoſuit vel invito necesſitudinem.

Regis, furiosad prælium animantis, verba.

Interim precibus matutinis pro more, non à Rege tantùm, ſed milite etiam ad Legiones ſingulas peractis, Rex totum Exercitum pereqvitabat: Suos non tam verbis, qvàm proprio exemplo, ad ſtrenuè pugnandum animare, ut qvosq; advehebatur, aggresſus, & Svecos qvidem, Finnonesq; in hunc ſenſum compellans. *Carisſimi cives, fortisſima pectora, jam tempus præ manibus eſt, quod illuſtri documento toti Orbi teſtatum faciet: Qvid tot acerrimis conflictibus, & cruentis præliis, hactenùs exantlatis, militaris experientiæ atq; virtutis vobis accesſerit. En hoſtem, quem tanto ambitu quæſiiſtis, tanto viarum tractu eſtis inſecuti: Non jam præruptis & penè inaccesſis montium tutum, nec poſt validum & munitisſimum vallum deliteſcentem; ſed æquâ planitie ſtantem, & manuum veſtrarum ſtrenuitati palàm expoſitum. Qvàm parum hucusq; virtuti ſuæ, viribusq; confiſus ſit, qvàm vehementer æqui martis aleam ſubterfugerit, notisſimum vobis; nec, in memoriam revocari, opus. Et jam inter fugiendi, pugnandiq; conſilia medius ac animo fluctuans, cunctatur, non reſiſtit: Nec hæret illic, quod ſpem ullam vincendi foveat, ſed quod celeritate veſtrâ omni elabendi ſpe evolutus ſit. Ne, quæſo, animum inducite, ut credatis; hoſtem, eò quod non ampliùs aciem declinare videtur, cum conſilio animum quoq; mutâsſe, &, qui ad conſpectum veſtrum expaveſcere ſolebat, nunc intrepido vos animo opperiri: Necesſitas eſt, quæ hunc ei ſtatum expresſit; non imperterriti animi robur, non conſcia ſuæ ſibi virtutis fiducia. Accingiminor ergò, cum bono Deo, non tam ad præliandum, qvàm vincendum; expedite arma, qvibus ſæpiùs hoſtem contudiſtis; gerite vos, ut milites, ut veteranos, ut quamplurimis trophæis inclytos decet, & ſpem, qvam toti Chriſtiano Orbi de inſigni virtute ac fortitudine veſtra excitaſtis, ſuſtinete: Deo, Patriæ, Regi veſtro ſtrenuam hanc manuum operam, & ſanguinem vitamq;, ſi opus fuerit, promtè impendendo. Id ſi feceritis, in hoc pariter & futuro ſeculo, Altisſimi vos manet benedictio, nec non glorioſum per univerſum Chriſtianum Orbem nomen; & à me qvoq; debitum militari fortitudini redhoſtimentum. Sin (qvod DEus clementer avertat) Sed reprimo me: Nec enim de virtute veſtra ullatenùs ambigere posſum; cujus tot ſtrenuè exantlata pericula, vades prædesq; habeo. Qvin & vultus veſtros, in quamvis audaciam erectos generoſam mortem mecum, qvàm infamem fugam ſpirare, palàm conſpicor.*

Ab his ad Germanos verſus Rex, *Conſcientiam veſtram, ſocii & commilites dilectisſimi, teſtor,* inqvit, *Famam & honorem teſtor, deniq; omnium non æternam modò ſalutem teſtor, ſed & mundanas fortunas, de qvibus hodierno die jacietis aleam; ut fortiter prælium capesſatis: Priſtinæ virtutis memores, & priſtinarum laudum, illiusq; cumprimis laureæ; qvam annò, & quod excurrit, non longè hinc à ſene Tillio, tot partis antehac victoriis claro, reportaſtis. Viſitur illic ad Breitenfeldam æqvor ingens campi truncis Legionum artubus, ac inſolentium, invictasq; ſe jactantium, animarum exuviis tumidum: Sed & præjacens agri planities hoſtilium cadaverum ſtrage in tumorem data, pari modo inclareſcat, faxo; ſi veſtra virtus ardori meo ſatis reſpondet. Euge ite propitio meců Numine: Nec enim auſpicio tãtùm meo, aut imperio, ſed ductu pugnabitis; quinimò nõ Ducem modò habebitis, ſed & commilitionem.*

Accepta-

Acceptate gratis pectoribus hanc meam expromtam operam, & vestram jungite: Ipsemet praibo, & viam vobis monstrabo ad pugnam, ad victoriam, ad triumphum; eandemq́ periculorum, vulnerum, ipsiusq́ adeò necis aleam intrepidè subibo. Incumbite mecum constipatis agminibus in hostem, &, cum DEO, victoriam illi extorqvete; cujus potissimi in vos, vestramq́ Posteritatem fructus redundabunt. Nam si effugii diverticula circumspectabitis, de Religione, Libertate, fortunis, vitâ, & temporali simul atqve aternâ salute vestrâ actum est: Ilicet.

His hortamentorum stimulis accensi, cùm Duces, tum milites, à summis ad infimos, animo erecto & alacri vultu in prælium ruebant: Aut victoriam conseqvi certi, aut mortem oppetere obstinati.

Regiæ aciei ordo. Exercitus regius, eâdem penè ratione, qvâ anno ad Lipsiam seu Breitenfeldam dispositus, & in duas diversas acies, tum in corpus, nec non bina, eidem ad dextram sinistramq; annexa, cornua distributus erat. Prima acies dextri cornu, ut honoratissimus locus, Svecico & Finnonico eqvitatui obvenerat: Ubi Smalandorum, OstroGothorum, Uplandorum, VisiGothorum, & Finnonum vexilla fulsêre. Post hæc in subsidiaria, seu secundâ acie collocatæ Uslarii, Landgravii Hassiæ, Beckermanni, Bulaccheri, Goldstenii, & Gulielmi, Saxoniæ Ducis, Legiones. Huic cornu ipsemet Rex aderat. In sinistri cornu prima acie reperiebantur Bernhardi, Ducis Saxoniæ, Carbergi Tribuni, tum è Curlandis Livonisq; conscriptus, & Corvillianus deniq; eqves. In secunda Stechnicius cum Gallis; porrò Stenbacchi, Brandenstenii & Leostenii Comitum, Anhaldini qvoq; Principis, & Baronis Hoffkirchii turmæ. Summam autem imperii hoc in cornu Rex Bernhardo, Saxoniæ Duci commiserat. Eqvitatui hinc inde certus ablectorum sclopetariorum numerus, secundùm modum ad Breitenfeldam observatum, erat interjectus. Corpus aciei octo recensebat peditum phalanges: Qvarum qvaternæ primam aciem implêrant; totidem in subsidiis relictæ, qvæ istis, ab hoste laborantibus, tempori adessent. Primâ acie ad dextram occurrebat Svecorum phalanx: Hinc prætoria, seu flava: Inde vetustior cærulea, Winckelio Duce: Demùm Bernhardi, Ducis Saxoniæ, & Wildenstenii Tribuni Legiones, junctis viribus qvartam phalangem conficientes. Huic aciei Nicolaus Brahe, Comes de Wisingsburg, Legionis qvidem prætoriæ adhucdum Tribunus, sed auctoritate tamen generalis vigiliarum Præfecti moderabatur. In secunda acie Bosii Tribuni & Gulielmi, Saxoniæ Ducis, Legiones inter se combinatæ, primum locum obtinebant: Qvibus in ordine succedebat Cniphusiana, ex duabus, albâ, nimirùm, Burtii, Norribergæ ex accepto vulnere decedentis, & Mitschevalii, ob deditum Rainum capite non ita pridem truncati, Legionibus conflata Legio, adeóq; numero valentior, & sola locum suum tueri apta: Seqvebatur Turrius Comes cum suis, & Hassis à Sinistrum deniq; latus claudebant Mitslasius, Rossius, Gerstorffius Tribuni. Terga horum medio loco Ohmius Tribunus cum eqvite suo suffulserat: Cumulus prosperis, aut subsidium laborantibus. Præerat autem eidem aciei Cniphusius, generalis vigiliarum Præfecti titulo & dignitate jampridem à Rege cohonestatus. Exercitum vicena majora tormenta, singulas primæ aciei phalanges, qvina, præcedere visa: Non connumeratis legionariis machinis; qvarum ad cornua & ablectos sclopetarios, circiter qvadraginta, hinc illinc, conspiciebantur.

Tesseram militarem Rex, eodem auspice & pari successus spe prælium initurus, eandem, qvâm anno ad Breitenfeldam dederat: Nempe, *DEus nobiscum.*

Fridlandii intentio. Fridlandiæ econtrà Dux nec ipse qvicqvam, Exercitum accuratâ diligentiâ in aciem disponendo, omiserat; qvod in prudentissimi Imperatoris munere desiderari posset. Initio qvidem haud verisimile illi apparebat; Regem hac vice manus conferendæ avidum: Qvin id potiùs qværere, opinione præsumserat; ut Georgio, Duci Luneburgensi, & Saxonicis, ad Torgâ sedentibus, junctus, viribus auctior in

in prælium rediret. Demùm verò, seriò id agi, & Regios, fronte huc versâ, cervicibus suis jamjam imminere, intelligens, animo paululum commotior, Pappenhemium, copiasq; Halam Saxonum nuper ablegatas, citatis aliqvot nunciis missis, & ancipiti discrimine, qvod subitò præter opinionem ingrueret, exposito, raptim ad se accersitum iit. Cujus reversioni ne Regiorum, in aciem magnâ animi alacritate ruentium, celeritas præverteretur, conflictus tempus summo studio, qvantum pote, in longum extrahebat: Nebulâ, qvæ sub ortum lucis campum omnem operuerat, proposito ipsius luculenter admodùm inserviente.

Opportunus loci, qvem insederat, situs.

Dum enim hujus caligine Rex detinetur, ne adeò maturè, prout secum constituerat, in hostem moveret, Fridlandiæ Dux, ad Exercitum, ultimo Iduum Novembris, summo mane, Lutzenam usq; retrahendum, tempus abundè nactus fuerat. Ubi, oppido ad dextram relicto, in planitie, qvæ multa illîc, & explicando militi aptissima, ponè viam regiam, Lipsiâ in superiorem Germaniam ducentem, acie instructâ, constitit; viam, solertiâ insigni, in usum suum adaptans, aciemq; isthac suam præmuniens. Exiguum etenim sed duplex fossatum, qvo, ad utrumq; latus in longum porrecto, agricolæ, Pacis tempore, ne currus & vectabula, iter illac facientia, in agrum aut sata evagarentur, viam hinc inde clauserant, effossâ raptim & excavatâ altiùs tellure, validam sclopetariorum ablectorum manum insidere jussit: Non sine maximo suorum commodo. Nam & hi, qvi in scrobibus delitescendo, ab adversariorum ictibus tuti, ex occulto in patescentes, irruentesq; destinatis ictibus jaculabantur, depellendi Regiis hinc erant; & fossata (id qvod per se absq; confusione atq; ordinum laxamento fieri vix poterat) transeunda: Priusqvàm cum hoste, pranso parato, & in procinctu stante, ad manus pervenirent. Tormentorum grandiorum septem ponè fossata Regios opperiebantur: Reliqva, qvatuordecim numero, à dextris, ad molam alariam, ubi planities in colliculum, omnem circa campum despectu suo retegentem, erigitur, commodissimè collocata. Acies ipsa pariter ut Regis in corpus & cornua distincta erat: Inter qvæ corpus qvatuor præcipuè ingentes complectebatur peditum phalanges. Tesseram Fridlandius militi, *Iesus Maria*, dederat: Admissâ in honoris, filio unicè debiti, partem genitrice.

Matutino ergò tempore velitando penè transacto, postqvàm nebulæ, qvæ telluri incubuerant, altiori sole parumper discussæ, aperuêre faciem rerum, Rex, tubicine qvadragesimum sextum regii Prophetæ Psalmum modulari jusso, & mox sexagesimo septimo assâ voce decantato, in hostilem aciem jamjam toto agmine moturus; *Euge eamus*, inqvit, *Christo Duce & auspice Christo:* Iterumq; altâ voce ter *Iesum Salvatorem*, *ut in prælium pro Nominis sui gloria tendenti vires sufficeret*, invocans, jejunus hostem, qvi Lutzenam, ut Regiorum impressionem ab hac parte præpediret, incenderat, sine ulteriori ambage rectâ adoriebatur. Ita circa undecimam demum meridianam acies aciei infestis animis, armisq;, & conferto pede commissa. Cujus seriem breviter, aliorum ductum secuti, trademus: Nam accuratè describere, ne his qvidem, qvi interfuêre, possibile fuerit: Spisissimâ nebulâ, omnia confusione cœcâ miscente, & unicuiq; vel propria fata, ne de alienis dicamus, occultante.

Prima coitio ad fossata, qvæ diximus, à Fridlandio altiùs depressa, & sclopetariorum præsidio firmata, ubi regius ea attigit, acerrima exstitit. Primu peditum cõflictus Svecica tamen phalanx in sclopetarios hos, utut, loci fraude priores, ferociter resisterent, magno animo irruens, & superior mox facta, ad internecionem cecîdit penè universos: Paucis, qvi stragem evasêre, pulsis, & septem, qvæ post fossata disposita erant, tormentis, in potestatem redactis. Seqvebatur hanc altera phalanx, seu flava & prætoria Regis Legio, fossatis celeri saltu superatis, in qvartam hostium, qvæ à sinistris stabat, phalangem (utut militum numero vel ter esset pollentior) tanto impetu incumbens: Ut, ordinibus disjectis, perculsam facilè dissiparet.

Nec

Nec hoc succesfu contenta, in alteram propè aftantem pari audentiâ & felicitate impegit: Nam & ifta virtuti Regiorum cedebat. Jamq; ad usq; tertiam perventum erat: Sed, rarescentibus paulatim ordinibus ex afpero atq; diuturno conflictu, & viribus langvefcentibus, tertia, nec non huic accedens qvarta hoftilium peditum phalanx, tum bina eqvitum, fuis fubfidio è proximo proruentium, agmina flavam ifthanc Legionem, unà cum vetuftiori cærulea, qvæ commilitonibus auxilio venerat, à fronte lateribusq; circumventas, ac velut nube qvâdam fuperfufas, non fine clade pepulerunt; recuperatis, qvæ amiferant tormentis. Qvartam primæ aciei à Regiorum parte phalangem tormenta, ad molam ventofam collocata, adeò infeftârant & coangustaverant: Ut ad latus poft molitoris tugurium paululùm fecesferit. Regii itaq; tormentorum, qvæ phalanges præcesferant, vim eò qvoq; vertere coacti: Contrariâ verberatione huc inftitutâ, par pari rependentes.

Primus eqvitum conflictus.

Et hæc qvidem pedeftris prælii ab initio facies. Eqvitibus autem fosfata non minori impedimento esfe: Qvippè cum, aliis feliciter ea fuperantibus, aliis ægrè ex hiatu illorum eluctantibus, non ita citò conferti iterum, cohærentesq; frontem æqvare posfent. Senfit illico Rex, eqvites, remorâ hac detentos, tardiùs pro ipfius voto in hoftem ire: Ipfemet igitur, eqvo calcaribus adacto, inter primos fosfata tranfiliit; fuos non tam verborum incitamentis, qvàm facto ipfo, exemploq;, ad paria audendum, exftimulaturus. Mox in fronte Smalandorum fe fiftens, ad hoftem, qvi proximè occurrebat, duxit: Tanto in eum animi ardore invectus; ut virtuti fuæ ac fuorum imparem ftatu depelleret.

In qvo Rex ipfe occùbit.

Verumenimverò Fata fuccesfus dulcedinem acerbisfimo Regiis mœrore mifcuerunt. Rex qvippè in conflictu infelici fclopeti ictu brachium transadactus, &, osfibus ac nervis globi violentiâ omninò contufis laceratisve, lethaliter penè vulneratus, viribus, ob fangvinem largiter è vulnere exundantem, jam deficiebat: Qvandò converfus ad Francifcum Albertum, Saxoniæ inferioris Ducem, qvi non ita pridem, relicto Cæfare ad Noribergæ hærentem fe contulerat, hactenusq;, ut honorarius miles, eum fecutus, in hoc etiam certamine latus ftipabat, è prælii tumultu in tutiorem locum deduci, poftulavit.

Dum ergò hic in eo eft, & nebulâ, qvam pulvis, difcurfu eqvorum excitatus, fumusq; ac vapor non parum auxerant, deceptus, à regiis turmis longiusculè aberrat, hoftilium eqvitum manus in eos forte fortuna impingens, Regem, jam tum Ducis ope eqvo fe vix fuftinentem, binis adhuc ictibus, uno corpus, altero caput trajectum, penitus neci dedit; nec agnitum, in campo jacentem deftituit.

Hæc de beatisfimi Regis morte fama communior: Nam qvod tunc temporis, non ab hofte, fed ab alio Summate, à qvo non debuerat, nefariè cecidisfe, murmuratum, utporè haud liqvidò nobis compertum, ad fummum occultorum criminum Judicem ac vindicem, ejusve decretorium tribunal, cognofcendum remittimus.

Funeftus hic, & nullis lacrymis fatis deplorandus Regis cafus, non tantum caballo, qvem eo die infederat, binis fangvine rubétibus fclopetulis, fine fesfore, ad fuos effufisfimo curfu reverfo & agnito, fed & Regis comitatu, rem hinc inde disfeminante, mox Exercitui pasfim innotuit: Qvi qvantum in mœrorem, trifti hoc nuncio ad aures perlato, conjectus fit, ex ardentisfimo amore & affectu, qvo vivum nunqvàm non perfeqvebatur, dijudicare licet. Nec tamen infortunium hoc ingens & irreparabilis tam cari capitis ac Imperatoris jactura, qvod aliàs fieri folet, milites perculit, aut terrore, fed irâ potiùs & ultionis cupidine implevit: Ut non tam victoriæ confeqvendæ, qvàm vindictæ ab hofte, vel cum proprio interitu fumendæ avidi, obfirmatis animis, & refpectu omni fepofito, furibundi, rabidorumq; inftar animalium, in obvia pericula, in vulnera, in præfentisfimam mortem ruerent.

Regiorũ à morte Domini fui fervor.

Sveci ante omnia ac Finnones, qvi primam aciem dextri cornu conficiebant, finiftrum hoftium cornu tanto

Et fecundus impetus, pri-

maq; victoria. tanto impetu aggrediebantur, ut hi, vim eorundem haud ampliùs sustinentes, terga verterent. Croatæ nihilominùs, aciem ab hoc latere claudentes, dextro regii Exercitus cornu per ambages circuito, ingenti clamore (ut mos ipsorum) impedimenta ac currus tormentarios, ab hac parte stantes, invaserant, nec parum confusionis excitabant: Mox tamen Gulielmi Ducis Saxoniæ, & Bulacheri, Goldsteniiq; eqvestribus Legionibus, è secunda acie dextri cornu, præproperè, fronte versâ, huc advolantibus, rejecti, & in præcipitem fugam compulsi. Qvo in certamine subTribunus à Relingen brachium globo transactus.

Nec Bernhardus, Saxoniæ Dux, nec Cniphusius, qvorum ille sinistro cornu, hic subsidiariæ seu secundæ peditum aciei moderabatur, inter hæc feriati: Ille qvidem dextrum hostium cornu summâ alacritate adortus, strenuâ eqvitum, ac his interjectorum sclopetariorum operâ, crebrisq; legionariarum machinarum fulminibus, statu id suo, & tormentorum, qvæ ad molam ventosam disposita erant, possessione dejecit: Alter cum reliqvo peditatu gradum eòusq; promovit, ut septem, qvas, reciprocantis victoriæ æstu, primùm devenisse in Regiorum, mox in hostium rediisse potestatem, antè diximus, majores bombardas hosti denuò extorqveret. His pariter retrò conversis, & in propriam aciem detonantibus, fluctuare illa initio, mox dissolvi, ac pedem referre: Partem tamen horum successuum sibi vindicante fortunâ. Eodem enim penè momento, qvo Bernhardus, Saxoniæ Dux in hostem totis viribus movebat, currus nonnulli, nitrato pulvere onusti, molam alatiam inter & patibulum stantes, igne subitò concepto, magno fragore in altum evibrati, stragem latè qvidem, sed latiùs terrorem in hostili Exercitu dederant.

Qvam Pappenhemii adventus dubiam reddit. Pappenhemius, qvem Fridlandiæ Dux, paulò ante prælium, Halam Saxonum, Mauritioburgo expugnando, miserat, sed mox, Rege præter opinionem ingruente, raptim revocârat, ut ingenio ferox, ac manu promtus, mandato posteriori accepto, nil magis habuerat in votis; qvàm obtemperare sine mora, & gloriosæ huic interesse factioni. Qvantumcunq; tamen acceleraret, tempori, re Cæsarianorum nondum inclinatâ, adesse minimè potuerat: Qvod miles Halæ, in prædam effusus, totâ Urbe divagaretur passim, tardiusq; ad signa rediret. Venit nihilominus cum eqvitibus ac draconibus, qvos raptim conglomeraverat, ad conflictus locum, eo ipso tempore; qvo cum Cæsarianis jam penissimè actum videbatur. Cujus adventu victis in præcordia redibat virtus, &, qvi nil nisi fugam paulò ante circumspectaverant, prælium resumtis animis, magno nisu instaurabāt.

Anceps autem, varium atrox id fuit: Alternante vices fortunâ. Nam & Regii, acerrimâ impressione ab hostibus factâ, tormentis, omnive, qvam tanto labore ac sangvine pepererant, victoriæ spe vicissim dejecti: Et, redintegrato mox impetu, hostem, Pappenhemii, lethaliter vulnerati, casu exterritum, denuò pepulerunt, tormentis iterùm potiti, eorumq; possessionem mordicùs defendentes; donec, nocte ingruente, hostis ab amico dignosci ampliùs non posset. Tunc enim demùm, magnâ utrinq; strage editâ, Cæsariani, campo omninò exuti, victoriâ Regiis cessêre: Bernhardus verò, Saxoniæ Dux, Exercitu recollecto, & ordinibus, qvantum temporis condicio admittebat, restitutis, perpetem noctem in loco conflictus transegit. Mox, geminatâ laureâ, clariore.

Numerus eorum, qvi cruentâ hac acie occubuerunt, ad novem millia ascendisse fertur. Inter qvos, à Cæsarianorum parte, Abbas Fuldensis, qvi spectatum venerat, Lanius item, Westrumius, & Fovesius, Tribuni; subTribuni aùtem, Taxhemius, Lambertus, & Cammerhofius reperti. Pappenhemius ipse, cui globus, è legionaria machina promissus, femur contuderat, postridiè circa tertiam matutinam, Lipsiæ, in arce Pleissenburgi, post ingentes cruciatus exantlatos, animam exhalavit: Indefessi ingenii, & expromtarum manuum miles; qvi supra centum cicatrices, acceptorum in præliis vulnerum, in corpore suo numerâsse scribitur. Nec Bartholdus, Comes Wallenstenius, senior Breu- Desideratorum numerus.

Breunerus, generalis rei tormentariæ Præfectus, & Comargus Tribunus vulneribus diu supervixère.

Regii, præter carissimum Regem suum, qvem extra omnem numerum ponimus, multos qvoq; fortissimos milites ac Duces desiderabant. Inter alios generalis vigiliarum Præfectus, Uslarius,& Gerstorffius Tribunus, in ipso certaminis fervore mortui conciderunt. In Libitinæ qvoq; censum hac occasione venit Nicolaus Brahe, Comes à Wisingsburg, prætoriæ Legionis peditum Tribunus,sed in acie generalis vigiliarum Præfecti munere functus: Qvi prudentissimi simul Ducis & strenui militis aliqvammulta Regi experimenta antehac dederat, & in hoc cumprimis conflictu cum flava sua Legione omne fortitudinis punctum tulit; eodemq; graviter genu saucius excedens, vulneris vi remediorum efficaciam superante, brevi post in vivis esse desiit. Egregius certè pariter Dux & bellator, à Rege, paucis ante obitum diebus, de primoribus suorum Ducum fortè sermonem habente, juxtà cum hodierno Campiductore, Leonhardo Torstonis, imperatorio paludamento dignus judicatus: Qvod dubio procul à Regis morte ipsum manebat; nî Fata prævertissent, Prudentiæ virtutumq; militarium, ad summum imperii apicem certatim hominem jamjam sublimantium, conatus. Eadem vulnerum atrocitas Ernestum qvoq;,Principem Anhaldinum, & Wildenstenium Tribunum è viventium numero postmodum sustulit. Ut ita acies hæc ad Lutzenam, licet victoria ad ultimum Regiis ac Protestantium parti obtingeret, majori tamen gloriâ, qvàm gaudio iis fuerit: Si ingentem Ducum, militumve desideratorum jacturam respicias, magno constans; sin funestissimum Regis ipsius casum, inæstimabili pretio emta.

Bernhardus, Saxoniæ Dux, cum Exercitu Weissenfelsam recedit.

Bernhardo autem Saxoniæ Duci, ad qvem à beatissimi Regis obitu summa imperii devoluta fuerat, nocte, qvæ prælium seqvebatur, in loco conflictus, ut diximus, consumtâ, postridie summo mane, Croatæ sub octodecim vexillis, ut tormentorum & impedimentorum in tutum deducendorum periculum facerent, appropinqvare visi, novas turbas ciebant: Qvæ tamen facilè sedârunt; iisdem, simul ac Regios in statu suo stantes conspicarentur, trepido & citato gradu Lipsiam redeuntibus. Dux qvoq; Bernhardus Exercitum, memor laboris ac vulnerum, qvibus tam anceps belli fortuna, qvamvis prospero fine, illum afflictaverat, unà cum regiis exuviis pilento impositis, Weissenfelsam reduxit: Militem, indultâ ab armis qviete, aliqvantulùm refecturus, simulq; Saxonicarum ac Luneburgensium (qvæ in itinere jam erant) copiarum adventu exspectato, junctis cum his viribus, partam prosecuturus victoriam.

Funus regium in Pomeraniam deducitur, exeqviis ubiq; celebratis.

58. Regiæ exuviæ postmodùm exenteratæ, sarcophago impositæ, Witebergam, sub Novembris exitum, inde vetus Brandenburgum, porrò q; in Pomeraniam deductæ, ac nullibi non christiano, in ejusmodi Magnatum funere solenni, ritu, imò, qvod magis est, multorum millium, amoto hoc Patrono, dira & tristia qvæq; jam tû sibi ominantium, haud simulatis aut fictis, sed veris, remotâ necessitate, atq; ex vero dolore promanantibus, lacrymis exceptæ, dimissæve. Ubivis locorum, qvà Protestantium doctrina in Germania florebat, beatissimis Regis Manibus honorario funere parentatum est: Et ubivis penè historia Josiæ Regis, qvi, ut vitæ probitate, sic exitu & mortis genere, cû Rege nostro haud incommodè assimulari poterat, sermoni funebri materiem dedit.

Inter qvas, funebris Doctoris Hoe concio notatu digna.

Imprimis Electoris Saxoniæ protoMysta, Doctor Matthias Hoe ab Hoheneck, octiduo post funestû hunc casum, supprema erga Regis memoriam munera functus, qverulâ & affectui movendo idoneâ concionem habuit, mirisq; Regem laudibus extulit: Deprædicando ut *fortissimû Regem, qvi, leonis instar, in hostem irruens, bellum Domini intrepidè gesserit; ut vigilantissimum Regem, qvi, adversùs hostem, pro communi Protestantiû bono excubans, multis sæpiùs noctibus somnû in strato haud viderit; ut laboriosissimû Regem, qvi nec noctu, nec interdiu sibi parcens, tantas ærumnas bello exantlaverit, qvâtas vel gregarius miles sibi imponi ægrè ferret; ut*

ut belli scientissimum, experientiæq; militaris summum Regem, qvi, qvicqvid bello gerendo facit, in numerato habuerit, omnesve totius Orbis Imperatores bellicâ gloriâ superarit, imò à qvo nulli non veterani, & multorum bellorum Duces, militesve, peritiores recesserint; ut felicissimum Regem, cujus cœptis, qvòcunqve arma verteret, summum Numen benedictionis suæ auram evidenter aspiraverit; deniq; ut præstantem adeò Regem ac Heroem, cui, si universarum virtutum, qvibus ille, & in summo qvidem excellentiæ gradu, exornatus fuerit, chorum respicias, Orbis terrarum suo tempore vix habuerit parem. Ulterius famam & Nomen regium vindicatum ibat à maligno & livido calumniatorum dente; *qvi, occulti Regis hostes, sinistrarum suspicionum semina de eodem in animis hominum spargere haud veriti erant*: Insignes laudum flores tumulo ejus porrò aspergens; ut *de DEo, & divini Nominis gloria, vera Evangelii doctrina, Germaniæ totius Libertate, omnibus protestantibus Imperii Electoribus, Principibus, Ordinibus, imprimis Saxoniæ Electore ac electoratu qvàm optimè merito. Fuisse enim Regem Electoratus Saxoniæ Salvatorem, ut sacra Scriptura hos magnorum meritorum Viros indigitet: Fuisse fidelissimum ipsius Electoris amicum; qvi contractum fœdus, Exercitum in subsidium adducendo, firmiter servârit, sangvineq; suo regio effuso, & vitâ ipsâ impensâ, demùm obsignaverit.* Ad ultimum conclusit. *Laudatissimi Regis manes, non tantùm querulâ voce, & debito ac grato lacrymarum tributo, decentiq; beneficiorum famigeratione, in ipsa morte honorandos: Sed posteros qvoqve ejus seriò & ex intimis cordis penetralibus, benevolo ac constanti affectu amplexandos; omnemq; his felicitatem, ac largam beneficiorum remunerationem, in millesimam stirpem, conceptis ad DEum Opt. Max. precibus ac votis, exoptandam. Deniqve Regis exemplum imitandum, vestigiisq; fortiter insistendum: Id qvod ut facerent, Germaniæ Magnates validis rationum stimulis incitari. Si enim Rex, gloriosæ Memoriæ, tanto ardore extraneæ gentis patrocinium susceperit: Qvantò magis illos deceret, pro Patria, pro dicionibus suis ac subditis, pro aurea conscientiæ & vitæ Libertate, pro oppressorum ab hostibus liberatione, imperterrito animo arma capessere, armis immori?*

59. Hostis campo, de qvo obtinendo tantâ cum Regiis animorum pertinaciâ certaverat, ad extremum relicto, tenebris nocturnis tectus, Lipsiam majorem partem se receperat: Ipsomet Fridlandiæ Duce, circiter noctis meridiem, vix octoginta eqvitibus venientem comitantibus, Urbem ingresso. Septimo Iduum Novembris circa octavam antemeridianam Exercitus reliqviæ ad Urbem conveniebant; unde triginta duo peditum signa, intra mœnia medium in forum deducta, hesternæ cladis faciem aperuêre: Rarus enim signa seqvi miles, & aplustria multa hastilibus direpta, qvin & multa signorum hastilia confracta reperiri. Mox, reclusis portis, universus Exercitus admissus, Urbem ac singulas domos replebat; insigni civium ac incolarum molestiâ, in qvos militari licentiâ debacchari jam cœperant malè-feriati hi hospites: Qvandò subitum Ducis Fridlandiæ de discessu mandatum, brevem hanc ærumnam fore, spopondit. Nec is ultra sextam vespertinam dilatus. Exiêre autem omnes Bornam versùs per portam Divi Petri: Ne qvidem Fridlandio ipso diutiùs moram trahente, sed eâdem adhuc vesperâ, circa decimam, Urbi valedicente. Postridiè, qvi sextus Iduum Novembris erat, qvicqvid reliqvum fuerat Cæsariani Exercitus, Lipsia haud invita dimisit: Complures qvoq; copiæ, qvæ aliorsùm fugâ nocturnâ nuper aberraverant, maximè à meridie septendecim eqvitum vexilla, Urbem præterire visa. Eodem die Holckius, Campiductor cæsareus, claves portarum Senatui Urbis reddebat, subjungens: Fidem promissorum datam, ut generosum Virum decet, servâsse, & ita ergà universos, singulos, conscientiâ teste, se gessisse; ut optimè ac in meliorem partem de ipso sentiendi, loqvendive, nec non, qvi morbo aut vulneribus detenti reliqvi manerent, christianâ caritate amplectendi causam essent habituri. Ita Lipsiâ, exiguo tantum præsidio illìc relicto, à Cæsarianis discessum. Pleis-

Lipsiam Cæsariani deserunt.

ſenburgi tamen arcem ducentis militibus inſeſſam retinebant: Toto agmine ad montana, Zviccaviam verſùs contendentes.

Fœderati recuperat

Nec mora longa à Cæſarianorum abitu interceſſit, qvandò regius & electoralis eqvitatus, qvi Torgæ hactenùs hæſerat, Urbi appropinqvare cœpit. Qvorum octoni, qvarto Iduum Novembris, intra ſecundam & tertiam pomeridianam, currum neſcio qvem comitati, Grimmenſem portam, qvæ unica tunc temporis, invalidâ, è militibus ac civibus mixtâ, ſtatione firmata, patebat, acceſſère, & Cæſarianorum nomen mentiti, hocq; fuco deceptis cuſtodibus, intromiſſi, qvi eſſent, mox oſtenderunt; militibus, qvi illìc ſervabant, neci datis, & portâ in poteſtatem redactâ: Donec centum qvinqvaginta eqvites, veſtigia eorum ſecuti adventarent, Urbemq; irrumpentes, obvios qvosq; Cæſarianorum trucidarent; Urbe, civibus haud repugnantibus, potiti. Mox Taubius Tribunus cum draconibus ſuis, Baro qvoq; Hoffkirchius, & Tribunus à Porta, ambo itidem Duces, alter Luneburgenſis, alter Saxoniæ, Altenburgenſis ſtirpis, advolabant, ultra qvadraginta eqvitum vexilla ſecum trahentes; qvæ per ſuburbia divertere, dracones autem arci qvàm proximè ſuccedere juſſi: Eâdemq; adhuc veſperâ deditio, ſed neqvicqvam, hoſti imperata. Johannes Voppelius, qvi arcem, fidei ipſius ab Electore concreditam, jam bis, nullâ urgente neceſſitate, hoſtibus tradiderat, ſtatim in cuſtodiam datus, & Dresdam poſtmodùm abductus, tandemq; debitam factis ſuis mercedem ibi nactus eſt.

Obſeſſo Pleisſenburgo.

Nox inſecuta vallo adverſùs arcem jaciendo, & tormentorum ſuggeſtibus excitandis conſumta. Tertio Iduum Novembris, ante meridiem, dum haberetur concio, ducenti qvinqvaginta ablecti pedites, & noctu circa undecimam veſpertinam iterùm qvingenti ſclopetarii, arci eò magis coangustandæ, Urbem intrabant: Eqvitatu è diverſo, qvod nullius hìc uſus videretur, vaſis conclamatis, diſcedente. Eodem die, circa meridiem, tympanotriba in arcem miſſus, & certas deditionis leges offerens, id reſponſi tulerat. *Non ſperare præſidiarios, qvod ab obſeſſoribus meticuloſorum & levium adeò nebulonum numero cenſeantur; qvalis fuerit, qvi nuper arcem, nullâ neceſſitate preſſus tradiderit: Qvinimò in arce, & vivere paratos, & mori. Militares eſſe Viros, nec ſibi defuturos, ſed ad arcis tuitionem manibus, pedibusq; allaboraturos: Per ſe qvoqve licere, ut, qvam ipſi ad defendendum, obſeſſores ad oppugnandum afferrent animorum manuumq; promtitudinem.* Nec factis ſegniores, ad vim toti converſi, hoſtiliterq; magnâ utrinq; vehementiâ agi cœptum: Adeò, ut Pleisſenburgi arx ita facilis, prout amiſſa, recuperatu haud fuerit; ſed, Saxonicis neqvicqvam minaciis ſuis vim miſcentibus, usq; in Decembrem menſem defenſionem obſtinarit.

Chemnicium hoſti à Regiis extorqvetur.

Regius inter hæc Exercitus Grimmam, qvam Pleisſa alluit, iter flexerat: Ubi eqvitatus Torgâ adveniens, penultimo Calendarum Decembris, illi junctus. Inde ſtatim Chemnicium, Urbi obſidendæ, itum: Qvod tres hoſtium Legiones obtinebant, Comargi (cujus, ex vulnere nuper accepto defuncti, reliqviæ, vix biduo, ante locum obſidione cinctum, in Bohemiam fuerant avectæ) Palantii & Contreras, Tribunorum; poſtremo hoc ſummæ rerum moderante.

Et obſeſſi qvidem, acriter initio à muris fulminantes, conatibus Regiorum aliqvot dierum ſpatio egregiè obniti; mox tamen, acceſſibus à Cniphuſio magnâ induſtriâ propiùs, propiusq; indies admotis, & muro tormentorum violentiâ aperto, omnibusq; aggresſuræ ſummo impetu tentandæ paratis, ad deditionis neceſſitatem compelli: Qvæ ſeriùs ad remedium hoc confugere viſis, non aliâ, ac ſeqventi ratione, obtingere potuit. *Exirent*, ſcilicet, *præſidiarii, absq; ſignis, ſilentibus tympanis, funiculis exſtinctis, pulvere nitrato atqve globulis, ut jaculandi inſtrumento, depoſitis, & Tribunus ſanè, ſeu Præfectus omnibus impedimentis ſalvis, reliqvi Duces ad Centuriones usqve (his incluſis) unicum currum ſecum educentes, SubCenturiones atqve Signiferi, duobus eqvis, altero ſeſſili, ferentario altero, inferiores deniq; ordinum Ductores & gregarii, qviq; unà cum reculis ſuis, qvantascunq;*

tacunqve dorso exportare possent, dimitterentur. Qvodsi nonnullis è præsidiariorum numero regiæ militiæ nomina addicere libitum, iis, ob desertam sacramenti fidem, ne honoris aut vitæ unqvàm à Tribuno moveretur controversia: Croatæ autem, ut manifestarii prædones, omni militari beneficio indigni, pacto haud comprehensi censerentur.

His conventis legibus, undecimo Calendarum Decembris, Cæsariani excesserunt Urbe: Præter viginti qvatuor signa, qvæ Legionibus suis prætulerant, sena alia, in Hildesii expugnatione adepta, nec non tormenta aliqvot & impedimentorum viliora Regiis, ut spolia, relinqventes. Accidit verò in discessu, militem in Duces malè animatum, impedimenta eorundem involare: Qvorum licentiæ dum Regii, propè astantes, haud difficulter accedunt, momento, priusqvàm regiæ militiæ Duces penè adverterent, cum pulvisculo direpta fuêre. Nec mora; qvin omnes, si qvinqvagenos circiter Italos exciperes, Ducibus, à qvibus altâ hanc injuriam mente repôstum ire noverant, derelictis, Regiis se aggregarent. Forgatschius autem Tribunus, hoc loco deprehensus, &, ut Croata, deditionis legibus exclusus, in custodia retentus est.

Chemnicii obsidio juniorem Gustavum Gustavi, qvem sedecim aut septendecim annorum juvenem, Wittebergæ circa hoc tempus literis operam dantem, paternæ necis fama, & justus dolor, vindictæq; flagrantia in bellum illicò exciverant, jam tum in tenera hac ætate Patris animos spirantem, dum, Urbis munitiones contemplatum, propius hostem subit, inter prima fortitudinis experimenta, impactâ in axillam plumbeâ glande, vulnere non perfunctorio afflixit.

Cæsariani, Freiburgi commorantes, his, qvæ Chemnicii acciderant, inauditis, Urbe statim desertâ, Zwiccaviam se contulêre: Sed nec istic loci diu hærere per Regios licuit. Hi enim, Chemnicio in potestatem redacto, hospitia, ab Altenburgi Urbe ad Zwiccaviam usq; extenderant; extremam vim minitabundi, nec nisi Pleissenburgensis obsidii exitum præstolantes: Cui, qvod in longum nimis extrahi videretur, maturando Cniphusius, cum parte militum, ab Exercitu Lipsiam retrocesserat.

Præsidiarii namq;, à recedente hoste hîc relicti, utut, vehementissimâ verberatione institutâ, molendinum imprimis crebris ictibus perforatum & conqvassatum esset, locum hactenùs tamen mordicùs defenderant. Sed, accedente demum Cniphusio, postqvàm cuniculis agi cœptũ, & rerum qvarundam necessariarum penuria ingruere visa, fractâ priori animorum ferociâ, ad deditionem animum appulerunt: Req;, ultimo Nonarum Decembris, certo pacto cum obsessoribus transactâ, postridiè circa tertiam pomeridianam, cum impedimentis & gladiis, seu lateralibus armis, signis & reliqvâ armaturâ depositis, arce exierunt. Qvæ in Electoris potestatem hac ratione reversa, ab eodem nonnullo milite, sub Tribuni à Porta moderamine, firmabatur. Præsidio hostili fides, præstito per Misniæ agrum in Bohemiam usq; commeatu, à nostris servata qvidem: Sed ab agricolis, ad Bohemiæ fines, impetu in illos dato, & impedimentis direptis, Annabergâ primò retrocedendi, mox in Protestantium stipendia nomina transcribendi necessitas imposita. Item Pleissenburgum.

Superabat Zwiccavia, hostium compedibus adhuc illigata: Cui liberandæ regius Exercitus, simul ac Pleissenburgum ad obseqvium redierat, continuò admotus. Saxonicis in Lusatiam, & hinc in Silesiam contendentibus: Qvorsùm, circa anni exitum, Franciscus Albertus, inferioris Saxoniæ Dux, Campiductoris nomine, ad Exercitum, Arnhemio, generalis Legati titulum adepto, mittebatur.

Zwiccaviæ Baro Suisius Cæsaris nomine præerat, armaq; in se ordine jam versum iri conspicatus, extrema qvæq; opperiri, & Cæsari, qvamdiu media defendendi se ulla superessent, Urbem asserere decreverat. Hinc suburbia flammis absumta, &, qvicqvid ad vim repellendam facit, magnâ sedulitate comparatum: Arx qvoq;, armamentarium, & una sacrarum ædiũ peculiari munitione circumdata; qvo Urbe reliqvâ pulsis tutus pateret receptus. Demum Zwiccavia.

ceptus. Nec id Cniphusiũ tamen absterruit, qvin decimo octavo Calendarũ Januarii obsidiũ aggrederetur: Exercitu ad arctiùs includendũ obsessos, in qvatuor metata distributo. Qvanqvàm verò nulla circumcircà domuncula ab incendio nupero penè superesset reliqva, subeuntibus Regiis tegimẽ præbitura aut velamentum, humum qvoq; ob intensissimũ frigus, qvod ingruente brumâ inciderat, ægrè emoliri daretur, Regii nihilominùs tormentorum nonnullis toris subitariâ operâ excitatis, & vimineis corbibus, qvos magnâ copiâ contexuerant, accessuum vice promotis, mœnibus Urbis proximare non destiterunt: Tantumq; hac diligentiâ effectum; ut, decimo qvarto Calendarum Januarii, è duobus locis duplex verberatio, ab una parte in Urbẽ, in arcem ab altera institueretur. Interim, decimo qvinto Calendarũ, Bernhardus, Saxoniæ Dux, militi animum additurus, in castra advenerat. Decimo tertio Calendarum, regius miles peropportunam stationem, haud procul Urbis fossâ capiebat; unde in ruinam, tormentorum impetu jam se aperientem, insilire, aut etiam accessibus brevi ambage ad muros usq; excurrere, in proclivi fore videbatur: Sed contraria hostiũ è superiori loco vis hinc iterum exegit vel invitũ. Qvapropter donec accessus muro propiùs succederent, ab instituta verberatione cessare, usuq; tormentorum haud necessario tamdiu supersedere, placuit.

Et lentiore qvidem gradu, qvàm pro spe primò conceptâ, procedere Zwiccaviæ oppugnandæ negotium; cum hac de causa, tum ob repentinam aeris mutationem: Qvæ, raptim anteà excitatorum suggestuum, tempestate mutatâ, mutandorum qvoq; & condensandorum fecerat necessitudinem. Procedere tamen; Regiorum constantiâ omnes difficultates atq; remoras intervenientes superante, & indies magis magisq; obsessis appropinqvante: Ita ut ad felicem tandem exitum perveniret; Suisio, de Urbe certâ ratione dedendâ, pacto. Nimirùm, *Præfectus Urbis, cum universo pedite præsidiario, justis armis instructo, globulos ori inditos, fomitésq; ab utraqve parte accensos gestante, explicatis vexillis, Urbe egrederetur; nec impedimenta modò, sed & vicenos funiculorum centenarios, tantundem plumbi, nec minus pulveris nitrati, unamq; legionariam machinam, Suisianæ Legionis individuam hactenùs comitem, secum educeret: Eqvites, eqvis insidentes, & ipsi in armis, brevioribus, scilicet, sclopetulis ephippio pro more annexis, longiusculum ore in cœlum erecto manibus gestantes, vasis similiter salvis, exirent. Utriqve autem Preswitzium, in Bohemiæ usqve fines, sufficienti comitatu adjuncto, venirent deducendi: Nec ultra duorum milliarium iter, singulis qvibusqve diebus, facere compellerentur.* Cæsaris insuper Commissarius, Conradus à Sleisburg, pacto convento nominatim comprehensus. *Pro morbo & vulnere afflictis* cautum: *Aut Regii avehendis, currus nonnullos commodarent, aut, his deficientibus, necessaria alimenta relictis in Urbe præberentur; dum, valetudine recuperata, & accepto à Regiis commeatu (de qvo ipsò non minùs provisum) signa sua seqvi possent.* Demum expressis verbis conventum: *Ne Regiis, seu largitione, seu pollicitationibus, seu aliis qvibuscunq; illecebris, militem exeuntem, eqvitem, peditemve, à signis suis abstractum, ad se pellicere liceret.*

His legibus negotio transacto, sexto Calendarum Januarii, Baro Suisius, & mille centum qvinqvaginta pedites, sub viginti qvinq; signis, sexcentiq; eqvites, Croatæ partim, partim aliarum Nationum, omnes levis armaturæ, Zwiccaviam reliqvêre: Qvò legibus deditionis pactum erat, à Regiis deducti. Urbs autem, qvod vicina Bohemia, hostili milite referta, irruptionem, limite omninò præsidiis nudato, minitaretur, à Bernhardo, Saxoniæ Duce duabus Legionibus, altera eqvitum sub Ohmio, altera peditum, sub Mitslafio, Tribunis, insessa est.

Hunc in modum Electoris Saxoniæ provinciæ ac diciones universæ duro Cæsarianorum jugo, & injectis compedibus, suffragante divini Numinis auxilio, à Regiis, cum Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi exeuntis decursu, secundâ vice omninò liberatæ: Qvæ tamen liberatio caro admodum iis constitit; dum pretiosissimum suum cimilion, Regem ipsummet eidem impenderunt.

60. Ut

Regis encomium. 60. Ut ergò Regis noſtri perſonam, vitam, regias virtutes, & heroica facta, qvibus non in Patria modò, ac apud ſuos, ſed & omnes, qvi puriorem Evangelii doctrinam profitentur, qvinimò per univerſum terrarum Orbem Magni cognomentum promeruit, levi tantùm brachio perſtringamus, & primum Hiſtoriæ noſtræ volumen eo ipſo conſignemus: Staturæ, (qvod perſonam attinet) proceritati propioris Rex noſter erat, ſolidè compactorum artuum, & ſuccipleni corporis, ad obeſitatem paululùm qvidem declinantis; qvæ tamen membrorum expeditè ſe inflectentiū agilitati, adeò haud impedimento, ut in prælio ad Ducis prudentiam bellatoris in eo deſiderares dexteritatem. Vultu blando qvidem, & humanis geſtibus; ſed peculiari qvâdam gravitate attemperatis: Qvæ in auguſto hoc domicilio, non proletariam, ſed eximiam & heroicam animam habitare, primo intuitu, oculiferii inſtar, proderet.

In veſtitu continebat ſe intra privati penè modum: Qvippe qvi animam Virtutum regiarum mundo, & vitam inclytorum factorum gloriâ, qvàm corpus aſcititio pretioſarum veſtium fuco exornandum arbitraretur.

Literarum humaniorum & Muſarum, licet Natura militem formâſſe videretur, adeò non oſor erat: Ut inſignis potiùs fautor & Mœcenas extiterit. Teſtis patria Upſalienſium, teſtis Dorpatenſis Livonum Academia: Qvarum illa, novis aliqvammultis reditibus aucta, ſub hoc Rege, velut rediviva, effloruit; hæc, ut Parenti, primulum ortum ſuum Regi venerabunda imputat. Nec ipſemet, utut à prima adoleſcentia Regiminis oneri ſuccedens, continuiſq; penè bellis exinde implicatus, literarum reperiebatur rudis aut expers. Hiſtoriarum imprimis, cum veterum, tum recentiorum monimenta aſſiduâ manu verſaverat: Inde, velut è ſpeculo, vitam ſuam formans ad aliorum præſtantiſſimorum Virorum exemplum; inde, qvod ſeqveretur, hauriens, inde, fœdum inceptu, fœdum exitu, qvod vitaret. Architectonicæ qvoq;, ingeniariæ doctrinæ, qvæ muniendarum hodiernâ arte, oppugnandarumve Urbium methodum tradit, aliarum militari ingenio convenientium, Mathematicarum artium ſolertiſſimè ſciens; latinâ inſuper lingvâ, Germanicâ itidem, Gallicâ, Italicâ, ſatis expeditè loqvebatur, nec interpretis ad exteras has gentes indigebat. Eloqventiæ autem tantum ex ore ejus flumen profluit: Ut omnes ſecum, qvò vellet, raperet; & qvarum Nationum corpora armorum robore ſubdomuerat, eorum animos, Herculis prodicii inſtar, ad ſe attractos, facundiæ dulcore ſibi redderet obnoxios.

Regias ejusdem virtutes ut ſtrictè delibemus, Pietatis, qvæ reliqvarum baſis ac fundamentum, primam curam ſibi habendum, ad eamq;, velut regulam, omnia conſilia & actiones amuſſitandum cenſuit: Rem divinam enixè ſemper fovendo ac promovendo, Eccleſiæ, atq; ſcholarum tutorem, nutritiumve ubivis ſe exhibens, piiq; Magiſtratus munere conſtanter functus. Qvid porrò, qvantumq;, extra Regnum, in Germania, ſinceriorem Evangelii doctrinam profeſſis præſtiterit, & qvàm multas animarum, ſub inclementi Pontificiorum jugo gementium, myriadas heroico Religionis zelo, inde exemerit, ex illis, qvæ toto hoc volumine longâ ſerie deduximus, in propatulo atq; palàm eſt. Imprimis ſollicitâ curâ allaborabat: Ut uſitata inter eos, qvi caſtra ſeqvuntur, impietas è militum animis eradicari, & è contrario verus DEi cultus, ac devota mens inſeri poſſet. Non modò ipſemet probâ & immaculatâ vitâ, omnibusq; Edictis efficaciore exemplo prælucens; ſed & per campeſtres verbi divini Præcones, qvos ad ſingulas Legiones, imò ſingulas cohortium qvaterniones largâ manu ſuſtentabat, docendo, monendo, redarguendo, ad pietatem inſtigans: Inſtitutis matutino ac veſpertino tempore precibus; velut qvotidiano pietatis exercitio. Criminibus qvoq; & flagitiis, qvorum inter bella uberrima meſſis ſuccreſcere ſolet, ordinato in hanc rem caſtrenſi conſiſtorio, cui ſummus regiæ aulæ Concionator, ut rei eccleſiaſticæ inſpector, præſideret, occurrendum duxerat.

captus. Nec id Chiphusiū tamen absterruit, qvin decimo octavo Calendarū Januarii obsidiū aggrederetur: Exercitu ad arctiùs includendū obsessos, in qvatuor metata distributo. Qvanqvàm verò nulla circumcircà domuncula, ab incendio nupero, penè superesset, reliqva, subeuntibus Regiis tegimē præbitura aut velamentum, humum qvoq; ob intensissimū frigus, qvod ingruente brumâ inciderat, ægrè emoliri daretur, Regii nihilominùs tormentorum, nonnullis toris subitariâ operâ excitatis, & vimineis corbibus, qvos magnâ copiâ contexuerant, accessuum vice promotis, mœnibus Urbis proximare non destiterunt: Tantumq; hac diligentiâ effectum, ut, decimo qvarto Calendarum Januarii, è duobus locis duplex verberatio, ab una parte in Urbē, in arcem ab altera institueretur. Interim, decimo qvinto Calendarū, Bernhardus, Saxoniæ Dux, militi animum additurus, in castra advenerat. Decimo tertio Calendarum, regius miles peropportunam stationem, haud procul Urbis fossâ capiebat; unde in ruinam, tormentorum impetu jam se aperientem, insilire, aut etiam accessibus brevi ambage ad muros usq; excurrere, in proclivi fore videbatur. Sed contraria hostiū è superiori loco vis hinc iterum exegit vel invitū. Qvapropter donec accessus muro propiùs succederent, ab instituta verberatione cessare, usuq; tormentorum haud necessario tamdiu supersedere, placuit.

Et lentiore qvidem gradu, qvàm pro spe primò conceptâ, procedere Zwiccaviæ oppugnandæ negotium, cum hac de causa, tum ob repentinam aeris mutationem: Qvæ, raptim anteà excitatorum suggestuum, tempestate mutatâ, mutandorum qvoq; & condensandorum fecerat necessitudinem. Procedere tamen; Regiorum constantiâ omnes difficultates atq; remoras intervenientes superante, & indies magis magisq; obsessis appropinqvante: Ita ut ad felicem tandem exitum perveniret; Suisio, de Urbe certâ ratione dedendâ, pacto. Nimirùm, *Præfectus Urbis, cum universò pedite præsidiario, justis armis instructo, globulos ori inditos, fomitesq; ab utraqve parte accensos gestante, explicatis vexillis, Urbe egrederetur; nec impedimenta modò, sed & vicenos funiculorum centenarios, tantundem plumbi, nec minùs pulveris nitrati, unamq; legionariam machinam, Suisianæ Legionis individuam hactenùs comitem, secum educeret: Equites, eqvis insidentes, & ipsi in armis, brevioribus, scilicet, sclopetulis ephippio pro more annexis, longiusculum ore in cœlum erecto manibus gestantes, vasis similiter salvis, exirent. Utriqve autem Preswitzium, in Bohemiæ usqve fines, sufficienti comitatu adjuncto, venirent deducendi: Nec ultra duorum milliarium iter, singulis qvibusqve diebus, facere compellerentur.* Cæsaris insuper Commissarius, Conradus à Sleisburg, pacto convento nominatim comprehensus. *Pro morbo & vulnere afflictis* cautum: *Aut Regii avehendis, currus nonnullos commodarent; aut, his deficientibus, necessaria alimenta relictis in Urbe præberentur; dum, valetudine recuperata, & accepto à Regiis commeatu (de qvo ipsò non minùs provisum) signa sua seqvi possent.* Demum expressis verbis conventum: *Ne Regiis, seu largitione, seu pollicitationibus, seu aliis qvibuscunq; illecebris, militem exeuntem, eqvitem, peditemve, à signis suis abstractum, ad se pellicere liceret.*

His legibus negotio transacto, sexto Calendarum Januarii, Baro Suisius, & mille centum qvinqvaginta pedites, sub viginti qvinq; signis, sexcentiq; eqvites, Croatæ partim, partim aliarum Nationum, omnes levis armaturæ, Zwiccaviam reliqvêre: Qvò legibus deditionis pactum erat, à Regiis deducti. Urbs autem, qvod vicina Bohemia, hostili milite referta, irruptionem, limite omninò præsidiis nudato, minitaretur, à Bernhardo, Saxoniæ Duce duabus Legionibus, altera eqvitum sub Ohmio, altera peditum, sub Mitslafio, Tribunis, insessa est.

Hunc in modum Electoris Saxoniæ provinciæ ac diciones universæ duro Cæsarianorum jugo, & injectis compedibus, suffragante divini Numinis auxilio, à Regiis, cum Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi exeuntis decursu, secundâ vice, omninò liberatæ; Qvæ tamen liberatio caro admodum iis constitit; dum pretiosissimum suum cimilion, Regem ipsummet eidem impenderunt.

60. Ut

mis difficultatibus involutum, hostibusq; ab omni parte circumsessum, dexterrimè ab his omnibus explicuerit, limitibus non illibatis modò, sed & cum tempore mirâ felicitate prolatis, pluribus commemorare, hujus loci haud esse arbitramur. Summus autem Fabulæ mundanæ Choragus, non ut Patriæ tantummodò commodis inserviret, tot heroicis animi dotibus, validâq; & constanti felicitate eum insignierat, sed ut toti Ecclesiæ & piorum gregi, sub Pontificiorum jugo graviter laboranti, usum sui impertiretur. Hinc, licet initio Germanicis, tanqvàm alienis nec ipsum concernentibus, turbis ultrò misceri detrectaret, penè reluctantem in scenam protrusit; ac per Cæsarianorum insolentiam ac iniqvitatem, armorum ad sui defensionem arripiendorum imposuit, vel invito, necessitatem. Qvibus postmodùm, tot secundis successibus, & inclytis victoriis, ultra hominum opinionem, spem ac vota collatis, divinitùs suffragatus, occasionem Regi dedit: Ut & suæ, suorumve securitati abundè prospiceret, & Protestantibus, qvi inter Austriaci dominatus Pontificiæq; superstitionis scopulos fluctuantes, ac bellicarum calamitatum voragine penissimè hausti, miseram vix animam trahebant, inde eductis viam præmonstraret ad pristinæ felicitatis portum. Prout in superioribus ordine deduximus.

Nec tamen fortunæ indulgentis lenocinio, à primo scopo, in ambitiosæ intentionis seu illicita, seu vana transversum abripi se Rex passus est: Si qvis Romani diadematis, aut similium mentionem injiceret, magnanimo semper ore respondere auditus. *Sat honorum sibi; sat Imperii ac dicionum: In Regnis suis ipsummet Cæsarem, nec cuiqvam Monarchæ concedere dignitatis aut eminentiæ prærogativâ. Turbis Germanicis non ambitionis instigatu, sed propriæ cumprimis causâ securitatis, dein miseratione ergà Religionis nexu junctos ductum, se immiscuisse. Hi ubi è malis, malorumve metu liberati, Cæsarq; ad eos terminos, ut æquo viciniæ jure vivere compelleretur, redactus esset, glorioso instaurata Germanicæ Libertatis titulo contentum fore.* Hæc Rex sæpè palàm, & in scriptis ad Ministros suos: Qvibus, ubi alii forsàn ejusmodi sermonibus ansam præbere viderentur, injunctum legimus. *Abstinerent iis omninò; ut qvi nec absq; offensione haberi possent, nec ad Regem absq; assentatione referri.*

Potuerat autem ob celeritatem, qvâ Germaniam à mari baltico ad Alpes usq;, continuatis, non tam itineribus, qvàm victoriis, brevi temporis spatio emensus est, cum gentili illo, Julio Cæsare, haud injuriâ jactitasse; *Veni, vidi, vici.* Verumenimverò pientissimus Rex, nihil tot successibus animo elatior, maluit cum Christiano Cæsare dicere; *Veni, vidi, Deus vicit*: Divinæ Providentiæ potentissimam dextram in se agnoscendo, victoriarum suarum gloriam in auctorem fortunæ referens, reflexáq; à triumphali trabea ad humanarum rerum lubricitatem mente, nihil ægriùs passus; qvàm promiscuam plebem in persona ipsius nimiùm confidere. Unde, paucis ante fatalem aciem diebus, populo Naumburgi ingressum magno jubilo, & festis vocibus prosequente, memorabilia hæc ejus verba ad supremum rei divinæ in aula regia Ministrum, D. Jacobum Fabritium, ab ipsomet, ceu aurito teste, memoriæ produntur. *Liqvidò conspicere, qvantâ omnium gratulatione excipiatur, & qvantis afficiatur honoribus: Interim homines precum ad DEum Opt. Max. oblivisci, & spem in hominum magis, qvàm DEi ponere auxilio; id qvod haud leve ipsi cordolium creet, & sinistri ominis loco sit. Vereri etenim, ne DEus, aut Exercitui insperatam calamitatem ac cladem immittendo, aut ipsummet ex hac vita subducendo, doceat homines; non in mortalem qvemcunq; sed unicum DEum fiduciæ suæ collocare fundamentum.*

Nec triste omen destituit eventus. Qvippe beatissimus Rex, ubi, vitæ cursu peracto, metam ab Omnipotente præstitutam attigerat, ultimo, ut diximus, Iduum Novembris, divinæ gloriæ ac verbi, Germanæq; Libertatis defensioni sangvinem regium & vitam fortiter impendit. Qvemadmodum autem flamma lychni, qvandò alimento destituta decrepat, eo ipso

rio compactorum, invento adversùs eosdem Polonos in Borussia Rex, non sine emolumento usus; ut & exiguis postmodùm, seu legionariis machinis: Qvæ sparso ac capaci ore, capsulis, ferri frustis & id genus refertis, sæpiùs, qvàm solido globo oneratæ, lethiferum grandinem in hostem longè, lateq; fundebant, cum maxima ejusdem strage. Nec est, qvod vim & effectum earum anxiè inqviramus foris; cum in Historia nostra, & Lipsiensi imprimis conflictu, de iis satis, superq; domi nobis constet.

Præter hæc Rex noster, & consiliis, & fortibus pariter factis erat inclytus; in deliberando prudens, in agendo solers; ad labores indefessus, ad pericula animo imperterritus, manu strenuus; nec magis ad imperandum, qvam, qvæ imperaverat, patrandum paratus: Summatim, prudentissimi ac omnibus numeris absoluti simul Imperatoris, simul fortissimi militis exemplar. Adeò ut vitio hoc illi verterit apud nonnullos, & id genus homines; qvi aut non norunt, aut non satis perpendunt: Periculorum & mortis ipsius contemtum, ex amore Patriæ ortum, utut modum excedat, inter eos tamen humanæ imbecillitatis defectus numerandum venire; qvi, magnorum Heroum proprii, in degenerem aut proletariam animam non cadunt.

Nec in pugna modò, sed aliis qvoq; militaribus muniis Rex præire militi; frigus æstum, famem sitim, æqvè, ac infimorum qvisq;, ferre; non pluviis, non ventis, non nivibus ab incepto retardari; cum gregariis partiri pericula, partiri labores, & pari sorte adire: Contubernales eos, commilites, fratres appellare; blanditer prensare singulos, incorrupto Ducis honore; &, si qvid asperius ingrueret, generosis confirmare hortaminibus. Hinc miles ad extrema qvæq;, seu sufferenda, seu audenda, promtus esse; &, cum Imperatorem ipsum nullâ in re parcentem sibi videret, omnia, etiam ultra vires, tolerare: Hinc nihil ejus virtuti arduum videri, qvod non contingeret; nihil impervium, qvod non perrumperet. Ipso, nimirùm, Rege ad labores, periculave subeunda non tam imperio suo animante; qvàm, qvod blandissimum juxtà ac efficacissimum jubendi genus est, exemplo.

Qvanqvam verò militum animos hac viâ sibi devinciret Rex, ab illicita tamen nimiæ indulgentiæ illecebra nunqvàm non abhorruit: Nec frenos disciplinæ laxavit militi, ut affectum ejus impiâ hac ratione mercaretur. Qvin potiùs obsistere in licentiam & flagitia proruenti; castrensis Justitiæ leges servare strictè & ad ungvem; acerrimèq; vindicare in earundem temeratores. Hinc à milite suo amari qvidem, ut commilito aut frater, honorari ut Pater; timeri tamen unà, ut severus Justitiæ & militaris disciplinæ Patronus atq; vindex. Facies castrorum ipsius, anteqvàm, male-feriatorum colluvie in Germania ab hoste inundata, velut contagio inficerentur, Civitati haud absimilis erat, certis legibus ordinatæ, & eleganter formato corpori; qvod Rex ipsemet, animæ instar, moderabatur. Collabascente autem inter Germanica bella paulatim militari disciplinâ, admodum Regis id animum pupugit, & insigni Justitiæ Zelo inflammavit: Adeò, ut non modò Principes, Magnates, alios potiores belli Duces, ad licentiam lascivientis militis compescendam, impensis verbis adhortatus sit; sed &, qvò malo huic aliqvod afferretur remedium, nullum non moverit lapidem. Hinc paulò antè, qvàm Fata eum nobis eripuêre, cogitationes mente conceperat, de stata militia inter Protestantes formandâ, ac certis legibus ordinandâ: Qvâ tam hosti condignis obsisteretur viribus; qvàm militaris disciplina, è castris, licentiâ Regnum obtinente, jam penè exulans, postliminio qvasi reduceretur.

Hac summâ prudentiâ, fortitudine, aliisve heroicis Virtutibus, nec non concessâ cœlitùs à DEO Opt. Max. felicitate, tot ac tanta expatravit Rex gloriosæ Memoriæ: Ut, vel ipsorum adversariorum testimonio, parem Heroem Svecia nullum, reliqvus Orbis paucos habuerit. Mortuum enim Germania, Fatis ita volentibus, vidit: Acie fusum, aut victum ne in ipsa qvidem morte, vidit.

Qvomodò Regnum qvampluri-

mis

mis difficultatibus involutum, hostibusq; ab omni parte circumsessum, dexterrimè ab his omnibus explicuerit, limitibus non illibatis modò, sed & cum tempore mirâ felicitate prolatis, pluribus commemorare, hujus loci haud esse arbitramur. Summus autem Fabulæ mundanæ Choragus, non ut Patriæ tantummodò commodis inserviret, tot heroicis animi dotibus, validâq; & constanti felicitate eum insignierat, sed ut toti Ecclesiæ & piorum gregi, sub Pontificiorum jugo graviter laboranti, usum sui impertiretur. Hinc, licet initio Germanicis, tanqvàm alienis nec ipsum concernentibus, turbis ultrò misceri detrectaret, penè reluctantem in scenam protrusit; ac per Cæsarianorum insolentiam ac iniqvitatem, armorum ad sui defensionem arripiendorum imposuit, vel invito, necessitatem. Qvibus postmodùm, tot secundis successibus, & inclytis victoriis, ultra hominum opinionem, spem ac vota collatis, divinitùs suffragatus, occasionem Regi dedit: Ut & suæ, suorumve securitati abundè prospiceret, & Protestantibus, qvi inter Austriaci dominatus Pontificiæq; superstitionis scopulos fluctuantes, ac bellicarum calamitatum voragine penissimè hausti, miseram vix animam trahebant, inde eductis viam præmonstraret ad pristinæ felicitatis portum. Prout in superioribus ordine deduximus.

Nec tamen fortunæ indulgentis lenocinio, à primo scopo, in ambitiosæ intentionis seu illicita, seu vana transversum abripi se Rex passus est: Si qvis Romani diadematis, aut similium mentionem injiceret, magnanimo semper ore respondere auditus. *Sat honorum sibi; sat Imperii ac dicionum: In Regnis suis ipsummet Cæsarem, nec cuiqvam Monarchæ concedere dignitatis aut eminentiæ prærogativâ. Turbis Germanicis non ambitionis instigatu, sed propriæ cumprimis causâ securitatis, dein miseratione ergà Religionis nexu junctos ductum, se immiscuisse. Hi ubi è malis, malorumve metu liberati, Cæsarq; ad eos terminos, ut æqvo viciniæ jure vivere compelleretur, redactus esset, glorioso instaurata Germanicæ Libertatis titulo contentum fore.* Hæc Rex sæpè palàm, & in scriptis ad Ministros suos: Qvibus, ubi alii forsan ejusmodi sermonibus ansam præbere viderentur, injunctum legimus. *Abstinerent iis omninò; ut qvi nec absq; offensione haberi possent, nec ad Regem absq; assentatione referri.*

Potuerat autem ob celeritatem, qvâ Germaniam à mari baltico ad Alpes usq;, continuatis, non tam itineribus, qvàm victoriis, brevi temporis spatio emensus est, cum gentili illo, Julio Cæsare, haud injuriâ jactitasse; *Veni, vidi, vici.* Verumenimverò pientissimus Rex, nihil tot successibus animo elatior, maluit cum Christiano Cæsare dicere; *Veni, vidi, DEus vicit*: Divinæ Providentiæ potentissimam dextram in se agnoscendo, victoriarum suarum gloriam in auctorem fortunæ referens, reflexâq; à triumphali trabea ad humanarum rerum lubricitatem mente, nihil ægriùs passus, qvàm promiscuam plebem in persona ipsius nimiùm confidere. Unde, paucis ante fatalem aciem diebus, populo Naumburgi ingressum magno jubilo, & festis vocibus proseqvente, memorabilia hæc ejus verba ad supremum rei divinæ in aula regia Ministrum, D. Jacobum Fabritium, ab ipsomet, ceu aurito teste, memoriæ produntur. *Liqvidò conspicere, qvantâ omnium gratulatione excipiatur, & qvantis afficiatur honoribus: Interim homines precum ad DEum Opt. Max. oblivisci, & spem in hominum magis, qvàm DEi ponere auxilio; id qvod haud leve ipsi cordolium creet, & sinistri ominis loco sit. Vereri etenim, ne DEus, aut Exercitui insperatam calamitatem ac cladem immittendo, aut ipsummet ex hac vita subducendo, doceat homines; non in mortalem qvemcunq, sed unicum DEum fiduciæ suæ collocare fundamentum.*

Nec triste omen destituit eventus. Qvippe beatissimus Rex, ubi, vitæ cursu peracto, metam ab Omnipotente præstitutam attigerat, ultimo, ut diximus, Iduum Novembris, divinæ gloriæ ac verbi, Germanæq; Libertatis defensioni sangvinem regium & vitam fortiter impendit. Qvemadmodum autem flamma lychni, qvandò alimento destituta decrepat, eo ipso

eo ipso insignem fulgorem emittere solet: Haud aliter gloriosæ Memoriæ Rex, in ipsa morte, suos ac omnes, qvi sinceram Evangelii doctrinam profitentur, insigni victoriâ beavit; moriendo vincens, & vincendo mortuus, seu mortalitate potiùs hac exemtus, & in immortalitatem translatus. Qvanqvàm nec omninò mortuus dici meretur: Cujus ingens nomen & gloria, incomparabilibus Virtutibus, factisq; parta, non modò apud subditos & amicos, sed ipsissimos hostes vivunt; & memoriâ nunqvàm interiturâ, dum machina hæc mundi durabit, ad novissimam usq; vivent Posteritatem.

Fuit autem tricesimus octavus annus ætatis Regi nostro supremus: Perinde ac Magno illi Alexandro; cujus fatis, ob militarium facinorum magnitudinem, à multis haud infimi ingenii adæqvari meruit. In eo tamen Gustavo nostro Alexander dissimilis & impar; qvod, dum noctes diesq; pergræcatur, & vino ac Veneri indulget, animam, seu heluationibus continuis succumbentem, corporis sede ejecerit, seu accepto effuderit veneno, vitam fortiter actam minùs generoso exitu transigens: Noster econtrà Gustavus, in acie medios inter hostes decedens, gloriosum, & eundem vivendi fecerit, qvem bellandi atq; vincendi finem.

Qvia verò, subtractâ hac principali columnâ, & velut basi Protestantium res, qvæ huic potissimùm innitebatur, tremebunda fatiscere & ruinam minari cœpit, aliisq; tibicinibus, ut imposterùm sustineretur, omninò fulcienda fuit: Ideò primo Historiæ nostræ volumini, cum Anni millesimi, sexcentesimi, tricesimi secundi decursu colophonem ac supremam manum imponimus; secundum, si vita suppeditaverit, à formatura novi status, qvi in Anni proximè succedentis cunabula incidit, cum bono DEO, exorsuri.





DATE DUE | DATE DUE

OCT 30 1978 | NOV 27 1978

INSERT

BOOK CARD
PLEASE DO NOT REMOVE
A TWO DOLLAR FINE WILL
BE CHARGED FOR THE LOSS
OR MUTILATION OF THIS CARD

ENTRY

PRINTED IN U.S.A.

08959234

08959234

FEB 23 1993